PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ

DE VIRTUTE RELIGIONIS
DEQUE VITIIS OPPOSITIS,

NOMINATIM VERO

DE MESMERISMI, SOMNAMBULISMI AC SPIRITISMI RECENTIORI SUPERSTITIONE.

AUCTORE

JO. PERRONE S. J.

IN COLLEGIO ROMANO STUDIORUM PRÆFECTO.

ADDITA EST IMAGO LITTERARUM, QUAS

PIUS IX. PONTIFEX M.

AD AUCTOREM DEDIT.

RATISBONÆ & NEO-EBORACI.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOL. TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. LETHIELLEUX. Via vulgo Cassette, 23. MDCCCLXVI. MATRITI: MIG. OLAMENDI. Calle de la Paz, 6.

TORNACI: H. CASTERMAN. TILBURGI: W. BERGMANS. GENEVAE: A. GARIN.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

P. Passuna

Ho ricevuto i suoi nuovi dotti lavori, instancabile com'Ella è nell'occuparsi continuamente a sostenere i diritti della Chiesa e a confutare li errori dei suoi nemici. Me ne rallegro nuovamente con lei e mi auguro di trovar tempo a leggerli. Si assicuri sempre più dei sentimenti della mia affettuosa stima, e riceva l'Apostolica Benedizione che di vero cuore le comparte.

Dal Vatic.° li 15. Luglio 1863 =

Pius P. IX.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

Qui nuper prælectiones de fide, spe et caritate in vulgus edidi ad eorum utilitatem, qui compendiariæ theologiæ dogmaticæ operam navare velint, e re esse duxi tractationem de religionis virtute subnectere, quæ inter morales virtutes et principem locum tenet, et ferme ad theologicas, aliarum omnium sane excellentissimas, accedit. Habet enim religio pro obiecto suo cultum ipsius Dei, in quem credimus, in quo speramus et quem diligimus.

Hanc commentationem sacris levitis peculiari modo profuturam is facile intelliget, qui ad multiplices actus, quos religionis virtus complectitur animum attendat. Per eam mente et corde Deo obstringimur adoratione, oratione, contemplatione, voto, sacrificio, iureiurando, aliisque bene multis pietatis operibus, quibus Deo devincimur ad eumque assurgimus, ut debitum maiestati eius obsequium tribuamus; patefacit insuper, quo pacto eiusmodi actibus rite utemur ad Eum nobis promerendum.

Verum hæc, de qua agimus, religionis virtus, solet idem in ceteris quoque omnibus virtutibus

Digitized by Google

contingere, habet opposita sibi vitia, quibus deformatur, atque ad duo maxime capita revocari possunt, videlicet ad superstitionem et irreligiositatem, quam vocant. Habet utrumque caput suas varias vitiorum species, de quibus (theologiæ enim moralis provinciam ingredi nolumus) quæ scitu magis necessaria sunt dicere constituimus, ne lucubratio nostra alicuiquam ex hac parte manca videatur.

Licet vero hæ quæstiones satis amplam disserendi segetem præbeant, non sunt tamen totum disputationis nostræ argumentum. Quandoquidem propositum est nobis, aliquanto fusius et uberius disputare de nova illa superstitionis specie, quæ in præsentiarum longe lateque dominatur, ac in dies singulos latius diffunditur cum incredibili animarum pernicie ac religionis catholicæ detrimento, nempe de magnetismo, quem vocant, animali, de somnambulismo artificiali seu magnetico, ac de sic nuncupato spiritismo. Hi sunt tres veluti gradus unius eiusdemque superstitionis, qui sese invicem complectuntur ac necessario inter se nexu copulantur.

Mirum est, quo animi æstu ac furore tam in septentrionali America, quam in Europa universa eiusmodi superstitio a perversis hominibus promoveatur. Horum plerique supernaturalem ordinem omnem reiicientes, a natura repetunt mira quæque phænomena triplicis recensitæ superstitionis, eaque vaticiniis et miraculis biblicis audacissime opponunt ad universam divinam revelationem eliminandam. Alii vero spiritus tum bonos tum malos, tum angelicos tum humanos defunctorum confitentes, necromantiam ac magiam cum omnibus, quæ ab iis pro-

Digitized by Google

fluunt, consectariis in lucem rursus evocare non verentur. Alii demum totam hanc agendi rationem ceu ludricum spectaculum ac prorsus innoxium traducunt, ac veluti novum progressum proclamant, non minus societati quam singulis eius individuis membris apprime utilem ac salutarem, ad humanitatis solamen invectum.

Id ut incautis persuadeant nefarii homines, nulli parcunt labori et industriæ; eique rei argumento esse possunt innumera prope volumina, præter ephemerides et pagellas, quovis idiomate exarata et in lucem edita. Quo fit, ut multi non minus curiosi quam leves, ubi ad ipsorum experimenta accesserint, in errorem facile inducantur; neque alio pacto insidias vitare poterunt, nisi puris e fontibus doctrinam hauriant. Atque id causæ est, cur de hoc argumento, ætate hac nostra inprimis scitu necessario, in prælectionibus theologicis ad usum candidatorum disserere nobis in animo sit, eo vel magis, quod ad hunc diem in scholis de eo, saltem dedita opera, pertractatum non fuerit. Quæ præteritis ætatibus, ac nostra etiam a plerisque viris eximiis vulgata sunt, nos in unum collecta librum ob oculos ponemus eorum, qui hæc habere cognita desiderant ad christianam plebem excolendam.

Quo autem commodior tractatio evaderet, in id meum studium contuli, ut mihi auctores plerosque omnes comparare sategerim, qui se ad hoc argumentum in utramque partem pertractandum dederunt. Agitur siquidem de nova quadam conspiratione detegenda atque in aprico ponenda, novissimis his diebus adversus Deum et adversus Christum

Digitized by Google

eius, ac propterea adversus Catholicam Ecclesiam inita, ad eam, si fieri posset, evertendam, regnumque satanæ, a Christo labefactatum, instaurandum. Huc et non alio spectant machinationes omnes, conamina, molitiones inferorum iniquorumque hominum. Quæ quoniam indignissime ferrem, quantum est in me situm, impiorum conatibus obviam ire decrevi, sperans fore ut errorum magistri tandem aliquando obmutescant, et quibus error obiicitur videant, quid vitare potissimum debeant. Nos igitur modum adhibentes, hoc theologicarum prælectionum volumine, quæ necessaria et miserrimis hisce temporibus accomodata viderentur, conclusimus; quantum autem naviter ac utiliter, aliorum esto iudicium.

Reliquum est, ut ipsi nos lucubrationemque nostram Ecclesiæ iudicio subiiciamus, paratissimi ad omnia et singula delenda, reprobanda et emendanda, quæcumque incaute nobis minus recta, quæque a vero quoquomodo deflectant, exciderint, prout filios illius sanctissimæ matris decet.

Digitized by Google

INDEX.

pag.
Lectori benevolo III
Præfatio 1

Pars prima. DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Sectio prima. De natura virtutis religionis generatim 5

Caput I. De virtutis religionis definitione 5

Caput II. De virtutis religionis obiecto 7

Caput III. De cultus partitione 9

Caput IV. De multiplicibus religionis actibus 11

Sectio secunda. De præceptis et actibus religionis in specie 14

Caput I. De Devotione 14

Caput II. De Oratione 19

Articulus I. De Oratione in genere 19

§. 1. Quotuplex distinguatur Oratio 20
§. 2. De Orationis necessitate 22
§. 3. De Orationis efficacia 27
§. 4. De iis, quæ in oratione sunt petenda 31
§. 5. Pro quibus et a quibus orandum sit 33
§. 6. De modo quo orandum est 37

Articulus II. De Oratione vocali, præcipue autem de recitatione horarum canonicarum 40

Digitized by Google

pag.
§. 1. De notione ac natura horarum canonicarum . . 40
§. 2. De origine et obligatione horarum canonicarum . 42
§. 3. De modo quo recitandæ sunt horæ canonicæ . . 45

Articulus III. De oratione mentali 51

§. 1. De meditatione seu oratione mentali in se . . 51
§. 2. De orationis mentalis seu meditationis utilitate ac necessitate 56
§. 3. De ratione peragendi mentalem orationem ad fructum ex ea percipiendum 60

Caput III. De adoratione et sacrificio 64

Caput IV. De voto 68

§. 1. De materia voti 69
§. 2. De voti obligatione 73
§. 3. De utilitate ac merito voti 76
§. 4. De relaxatione ab obligatione voti 79

Caput V. De festorum dierum præcepto et observatione . 83

§. 1. De institutione festorum 84
§. 2. De ratione qua sanctificandi sunt dies festi . . 87
§. 3. De iis, quæ a festorum observatione excusant . 91
§. 4. De dispensatione a festorum observatione . . 96
§. 5. De rigore pharisaico puritanorum et protestantium in observatione diei dominicæ 98

Caput VI. De iureiurando 103

Articulus I. De iuramenti honestate et sanctitate . . 105

Articulus II. De conditionibus ad iuramentum necessariis ut licitum habeatur 110

Articulus III. De iuramenti obligatione 118

Articulus IV. De aliis quibusdam practicis circa iuramentum quæstionibus 122

Caput VII. De adiuratione 127

Digitized by Google

Pars secunda. DE VITIIS,
QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR.

pag.

Sectio prima. De irreligiositate ac superstitione . . 138

Caput I. De irreligiositate eiusque speciebus . . . 138
§. 1. De tentatione Dei 138
§. 2. De blasphemia 140
§. 3. De sacrilegio 143
§. 4. De simonia 145

Caput II. De superstitione eiusque speciebus . . . 148
§. 1. De superstitionis notione 148
§. 2. De idololatria 149
§. 3. De divinatione 150
§. 4. De vana observantia 152
§. 5. De magia 152
§. 6. De cultu falso et superfluo 154

Sectio secunda. De recentiori mesmerismi, seu magnetismi animalis, somnambulismi ac spiritismi superstitione 156

Caput I. De mesmerismo seu de magnetismo animali notiones præviæ 159
Articulus I. De magnetismi animalis definitionibus . . 159
Articulus II. De conditionibus agendique methodis ad phænomena magnetica requisitis 161
Articulus III. De phænomenis mesmerismi seu magnetismi animalis presse sumpti, ac prout a somnambulismo distinguitur 165

Caput II. De somnambulismo eiusque notionibus præviis . . 168
Articulus I. De somnambulismo eiusque phænomenis generatim 168
Articulus II. De somnambulismi psychologici phænomenis in specie 170

Caput III. De reali magnetismi animalis ac somnambulismi phænomenorum existentia 174

Digitized by Google

pag.

Propositio. Extraordinaria quædam recentiora phænomena magnetismi animalis et somnambulismi a priori negari nequeunt, vel fraudi atque errori tribui; immo a posteriori probantur historice facta 174
Difficultates 178

Caput IV. De phænomenorum magneticorum natura et causis 187

Propositio I. Licet nonnulla physiologica magnetismi animalis ac somnambulismi phænomena per se materialibus causis naturalibus adscribi valeant, pleraque tamen illis tribui nullatenus possunt 188
Difficultates 193

Propositio II. Neque a causis naturalibus physiologicis mesmerica omnia phænomena repeti possunt . . 200
Difficultates 205

Propositio III. Voluntas humana neque immediate per se, neque per vim motricem animæ propriam potest esse causa physica phænomenorum mesmericorum, sed moralis tantum et mediata 212
Difficultates 220

Propositio IV. Causa proinde proxima phænomenorum magneticorum est intelligens ac libera, distincta ab anima humana 222
Difficultates 225

Propositio V. Eiusmodi causa natura sua est anima humana præstantior ac præternaturalis 228
Difficultates 231

Propositio VI. Eiusmodi causa esse nequeunt spiritus sive angeli boni 233
Difficultates 236

Propositio VII. Nulla alia causa magneticorum phænomenorum admitti potest præter spiritus pravos seu dæmones 239
Difficultates 247

Propositio VIII. Merito ab apostolica sede magnetismi animalis abusus vetitus atque proscriptus est . . 250
Difficultates 257

Caput V. De pneumatismo seu spiritismo. Notiones præviæ 267

Articulus I. De spiritismi origine, evolutione, gradibus, ac phænomenis variis generatim 267

Digitized by Google

pag.

Articulus II. De spiritismo cum somnambulismo magnetico comparato, deque eiusdem spiritismi phænomenis in specie 270

Articulus III. De directa spirituum evocatione 274

Articulus IV. De spirituum divinatione 278

Caput VI. De spiritismi natura et causis 280

Propositio I. Efficiens phænomenorum spiritismi causa non est nec esse potest naturalis, sed præternaturalis omnino est 283

Difficultates 287

Propositio II. Efficiens huiusmodi causa natura sua mala est, et finaliter ad nocendum hominibus, ac præsertim in perniciem christianæ religionis ordinatur . 291

Difficultates 297

Propositio III. Mensæ aliaque media, quæ spiritismo inserviunt causæ instrumentales sunt per veram invasionem, obsessionem, aut possessionem dæmonum 303

Difficultates 309

Propositio IV. Nemo prudens ac sciens potest absque piaculo frequentare, probare ac fovere spiritismi experimenta, vel etiam præsentia sua cohonestare . . 314

Difficultates 320

Caput VII. De analogia et identitate inter superstitionem veteris, mediæ ac recentioris ætatis 334

Articulus I. De oraculis, hariolis, pythonibus, sibyllis aliisque superstitionibus in antiqua societate pagana et etiamnum inter paganos 335

Articulus II. De sagis, magis, circulatoribus præsertim medii ævi in societate christiana 343

Articulus III. De identitate spiritus in superstitione penes veteres et recentiores 349

Propositio I. Magnetismus animalis, somnambulismus ac spiritismus in suo complexu nil aliud sunt, quam paganæ superstitionis atque imperii dæmonis instauratio 351

Difficultates 366

Propositio II. Protestantismus natura sua viam stravit recentiori superstitioni, atque in protestantismo, natura sua spectata, opportunum medium habetur, quo malus spiritus inter christianos superstitionem instauret

Digitized by Google

pag.

atque regnum suum contra Christi regnum redintegret; ex quo mala protestantismi ac spiritismi natura iterum confirmatur 376

Difficultates 384

Caput VIII. De discrimine inter mira magnetismi et spiritismi phænomena ac vera miracula 391

Propositio. Perperam magnetismi ac spiritismi sectatores conituntur infirmare miracula ac vaticinia biblica et charismata sanctorum obtentu phænomenorum, quæ ipsi iactant, magnetismi ac spiritismi 392

Difficultates 408

Conclusio 425

Digitized by Google

PRÆFATIO.

De Religione.

1. Quum doctorum sententiæ longe discrepent in vocis religionis etymologia statuenda, non est cur illam accuratius investigemus. Alii enim eam petunt a relegendo, ut S. Isidorus,[1]) quia quæ ad Dei cultum pertinent crebro sint legenda et animo recolenda; aut etiam a religendo ipsum Deum, ut placuit S. Augustino,[2]) quia religionem profitentes Deum, a quo per peccatum recessimus, rursum quasi religimus. Alii a religando vocabulum istud ideo derivant, ut Lactantius,[3]) quia religionis quodam quasi vinculo Deo obstringimur, in quam sententiam ipse quoque Augustinus concedit scribens: *Ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur;*[4]) et alibi passim. Quæcumque ex his eligatur vocis religionis derivatio perinde est, cum omnes conspirent ad eamdem nobis exhibendam huius virtutis notionem, quæ versatur circa Dei cultum et obsequium, quin diutius iis immorari debeamus.

2. Et hæc quidem de religionis vocabulo: quod vero attinet ad nominis ipsius significationem, multiplici sensu usurpatur. Interdum enim adhibetur ad quamcumque hominum societatem in aliquam veri vel falsi cultus formam coeuntium designandam, quo sensu dicitur religio Christiana, iudaica

---

[1]) Lib. X. Etymol. n. 334. ed. Arevali. Romæ 1798. opp. Tom. III.
[2]) Lib. X. De Civit. c. III. n. 2.
[3]) Lib. IV. Divin. Instit. c. 28. §. 3.
[4]) Lib. De vera relig. Cap. IV. n. 3.

Digitized by Google

mahumedana, pagana. Interdum sumitur pro complexione virtutum, quatenus earum possessione Deus honoratur, quo sensu dicitur Jacobi I. 27.: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*[1]) Hæc vero est, quæ sanctitas quoque identidem appellatur. Sanctitas enim iuxta S. Thomam duo præstat, id est perfectam animi munditiam a terrenis affectibus, et inviolabilem in hac munditia firmitatem.[2]) Demum accipitur plerumque in significatione magis propria pro ea virtute, cuius est debitum Deo cultum exhibere. Ac de ea postremo hoc sensu accepta nos agere instituimus.

3. Quæ de hac virtute dicturi sumus revocari possunt ad eiusdem naturam, ad eius præcepta atque actus, ac denique ad vitia seu peccata eidem opposita. In totidem proinde partes hanc tractationem distinguemus, in quarum qualibet complectemur appositis capitibus doctrinam potissime scitu necessariam, neglectis subtilioribus quæstionibus, quæ et nimis prolixum opus hoc nostrum efficerent, et iuvenum discipulorum mentes obruerent magis quam edocerent.

---

[1]) Adnotant porro Valentia et Suarez, eiusmodi virtutum exercitium per quas Deo gloria exhibetur esse effectum virtutis religionis imperantis actus aliarum virtutum. Cf. Valentia De religione quæst. VI. par. 2. et Suarez De relig. lib. I. cap. 5.

[2]) II. 2. q. 81. art. 8. ubi notandum: quoad essentiam unum idemque esse religionem et sanctitatem, nec differe nisi ratione.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sectio prima.

De natura virtutis religionis generatim.

---

4. Ad alicuius rei naturam dignoscendam potissime confert accurata eiusdem definitio, ex qua non solum generica notio atque specifica deprehenditur, verum etiam cognoscuntur obiectum, motivum, ut aiunt, seu ratio quæ ad illam nos movet et eius officia. Hæc porro sunt quæ heic singillatim persequemur.

Caput I.

De virtutis religionis definitione.

5. Quamquam si verba spectentur discrepent inter se auctores Catholici in exhibenda huius virtutis definitione, quoad rem ipsam tamen omnes consentiunt. Communi igitur sententia definitur religio: *Virtus quædam moralis quæ hominem inclinat ad exhibendum debitum cultum et honorem Deo tamquam omnium creatori et domino.* Jam nunc sunt singulæ eiusdem partes enucleandæ.

6. Ac 1° Dicitur virtus, cuius munus est bonum facere habentem, et opus eius bonum reddere.[1]) Eiusmodi porro esse religionem exinde patet, quod eius actus sit ille per quem debitus cultus Deo exhibetur: atque idcirco bonus est, bonumque reddit eum qui illum exhibet.

7. 2° Adiicitur: moralis tum quia in voluntate est[2]) perinde ac iustitia, cui annexa et affinis est; tum quia sic decla-

---

[1]) Ita passim Scholastici ex Aristot. II. Ethic. c. 6.

[2]) Non defuerunt ex veteribus, qui religionem prout virtus est modo intellectui, modo affectui seu voluntati tribuerint. Ast Lactantius

Digitized by Google

ratur quod neque supernaturalis sit, nec theologica; nam religio per se spectata neque in revelatione divina fundatur, neque habet Deum pro obiecto immediato, sed fundatur in ipsa ratione naturali, cuius lumen satis est, ut homo cognoscat et Deum existere, et ipsius nutu existere quæcumque extant, se vero officio teneri ut Deo ipsi testetur se totum id quod habet a Deo habere, atque illi obnoxium et subiectum prorsus esse: habet vero pro obiecto omnes illos actus, quibus Dei cultus exercetur.

8. 3° Dicitur: quæ hominem inclinat ad exhibendum cultum et honorem Deo tamquam omnium creatori et domino, ad significandum virtutis religionis esse proprium Deum contemplari ut rerum omnium, ac totius existentiæ nostræ principium ac dominum, cuius nutu regimur et in cuius ditione cuncta nostra sunt posita, et simul ad discrimen notandum a fide qua Deum contemplamur ut summe verum, et a spe qua eum spectamus ut beatitudinem nostram, et a caritate qua Deum ut in se summe bonum prosequimur.

9. 4° Rursum ideo ponitur: ad exhibendum debitum cultum et honorem Deo, ut innotescat religionem habere pro obiecto, seu versari circa eos actus, quibus erga Deum cultus exercetur: si namque homo agnoscit se Deo obnoxium esse, iam fieri non potest, quin eodem tempore cognoscat hanc dependentiam debere se Deo et internis animi affectibus, et externis significationibus profiteri. Isti vero interni affectus, istæ exteriores significationes sunt, quæ cultus nomine intelligimus.

10. Dum sic porro nostram definitionem enucleavimus, breviter complexi sumus quæ fuse ac recte Angelicus Doctor octo

---

lib. IV. de vera Sapientia Cap. IV. religionem aperte tribuit voluntati, dum præclare scribit: *Non potest nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiæ, et honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est, Deum scire: consequens, colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videantur. Alterum positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus rivis ex uno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ et religionis Deus est: a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi.* Cf. Suarez op. et loc. cit. Cap. II., ubi fuse hoc de argumento disserit.

Digitized by Google

articulis Quæstionis LXXXI. exponit, nempe 1° religionem tantum constare in iis quæ sunt in ordine ad Deum; 2° religionem præterea esse virtutem; 3° eamdem esse unicam virtutem specie; 4° esse distinctam specie ab omnibus aliis virtutibus; 5° non esse virtutem theologicam; 6° esse moralibus virtutibus digniorem; 7° habere actus tum interiores tum exteriores; 8° sanctitatem, prout peculiaris est virtus, non distingui re a religione, sed solum ratione, sed eamdem virtutem dici et religionem prout exhibet cultum Deo, et sanctitatem quatenus per actus eiusdem virtutis pertinentes ad cultum Dei, et per alios etiam aliarum virtutum relatos ab eadem virtute in divinum cultum mens hominis disponitur ut firmiter adhæreat Deo.[1])

11. Nostrum igitur est singulas expositæ definitionis partes enarrare ac vindicare, ex quibus natura virtutis religionis deprehenditur: scilicet obiectum tum materiale tum formale eiusdem virtutis, multiplices item eiusdem actus generatim; ut deinceps ad eiusdem actus singillatim expendendos in altera tractationis parte accedamus.

Caput II.

De virtutis religionis obiecto.

12. Jam innuimus obiectum proprium et immediatum virtutis religionis esse cultum: cultus vero nomine venit omnis actus, quo honorem et reverentiam erga alicuius excellentiam simul cum dependentia et subiectione nostra profitemur. Dico simul cum dependentia et subiectione: nam honor quidem pertinet solum ad excellentiam et dignitatem quam quis in alio agnoscit; honorem enim etiam superior interdum exhibet inferiori, ita Deus honorat sanctos, princeps identidem subditos. Cultus autem agnitionem excellentiæ simul et dominii complectitur, nec potest proinde esse nisi inferioris erga superiorem.

13. Huiusmodi autem cultus seu honoris divini obiectum duplex est, alterum materiale, formale alterum. Materiale constituitur ex quovis officio sive interno sive externo quod aptum sit ad gignendam aut excitandam tum in nobis tum in aliis

[1]) De his Suarez accurate, ut solet, toto libro I. de Religionis virtute in genere, ac deinceps de actibus singulis libris insequentibus.

Digitized by Google

existimationem, quæ Deo debetur: formale est existimatio ipsa, quæ est ratio ob quam Deo illa officia exhibemus. Utrumque passim simul obiectum generico cultus divini ac honoris seu reverentiæ nomine complectimur, etsi illa sint inter se distincta. Per religionis virtutem reipsa utrumque Deo impendimus.

14. Et sane sicut honor in communi acceptatione testimonium est excellentiæ quam in aliquo agnoscimus sive verbis sive factis expressum ut eam patefaciamus, quo convenientem de ipso opinionem et existimationem gignamus: ita divinus honor est quidquid sive verbis sive factis confert ad gignendam in aliis existimationem illius summæ excellentiæ, quæ Deo inest. Atque hinc est, quod passim in Sacris Litteris videamus glorificationem et honorem Dei cum eiusdem laudatione et amplissima virtutum enarratione coniungi; [1]) quia omnis honor et cultus Deo exhibitus eo pertinet ut illius bonitas ac maiestas mortalibus omnibus innotescat, et supremo loco habeatur. Deus ipse sacrificio laudis Ps. XLIX. 23. præcipue se honorari significat.

15. Exinde patet veram de Dei maiestate existimationem quasi effectum esse ipsius honoris divini, et promiscue tum causam tum effectum pro uno eodemque usurpari. Magis tamen proprie nuncupanda foret gloria Dei, prout ex Scripturis colligitur, in quibus pro uno eodemque accipitur glorificare Deum, seu dare gloriam Deo, et testificari ipsius bonitatem. [2]) Quod quidem ex ipsa nominis ratione apparet. Nam prout S. Augustinus animadvertit, clarissimi latinæ linguæ auctores definierunt: gloriam esse frequentem de aliquo famam cum laude. [3]) Unde Apostolus II. Cor. VI. 8. gloriæ per antithesin opposuit ignobilitatem: *Per gloriam et ignobilitatem,* quia ignobilitas est existimatio nulla aut obscura, gloria vero perspicua et clara. Tantundem proinde est per virtutem religionis divinum honorem promovere, ac conciliare gloriam Deo, cuius scopus et meta est.

16. Ex his consequitur primo: Cultum et reverentiam divinam duplici ratione accipi posse, tum nempe pro ipso actu,

---

[1]) Ut Tob. XIII. 1. Eccli. XLIII. 30. Isai. XXV. 1. Ezech. XXXIX. 27. Dan. III. 21. Aggæi I. 12. Matth. IX. 8. Luc. II. 14. et XXIII. Act. XI. 18. Rom. XV. 8. et in Psalmis iugiter.

[2]) Ut Ps. XXII. et LXXXIII. Tob. XIII. Joan. IX. Act. XI.

[3]) Tract. 105. in Jo. n. 3. et lib. 83. Quæst. q. 31. n. 3.

Digitized by Google

quo colimus Deum et damus illi gloriam, tum pro ipsa existimatione quam de eius maiestate habemus. Hoc porro secundo sensu cultus accipitur, cum affirmatur religionem versari circa cultum divinum ut eius materiam propriam.

17. Sequitur secundo: Nunc melius intelligi quomodo virtus religionis formaliter distinguatur a virtutibus theologicis, quæ habent pro obiecto immediato ipsum Deum, dum religio pro obiecto suo immediato habet existimationem de Deo, quæ in nobis est aliquid creatum. Cum tamen eiusmodi existimatio quam de Deo habemus referatur tamquam in finem ultimum ad Deum ipsum, hinc est, quod Deus dici debeat obiectum *cui*, scil. cui defertur, ut loquuntur scholæ, non autem obiectum *quod* immediate attingat. Nam proprie religio immediate non respicit Deum, sed nos et nostra, id est, nostram opinionem de Deo et mentem nostram et quidquid sumus, prout totum acceptum referimus Deo per actus religionis et eidem etiam offerimus.[1])

18. Sequitur tertio: Deum esse obiectum, ut ita dicam, remotum virtutis religionis, cuius obiectum proximum seu immediatum sunt varii actus sive interni sive externi cultus. Quomodo vero oratio, affectio, obedientia, aliique eiusmodi actus, qui ex virtute religionis eliciuntur non attingant proxime Deum ut obiectum suum proprium et directum, ostendunt theologi suo loco, inter quos præeminet Suarezius, qui in egregia sua tractatione de Religione totum hoc argumentum prolixe et acute evolvit.[2]) Nos vero, prout opus erit, inferius aliquid attingemus cum de actibus religionis singillatim disseremus.

Caput III.

De cultus partitione.

19. Ex præiacto in præcedenti Capite fundamento, quod ad cultum constituendum duo necessario concurrant, tum nempe existimationem excellentiæ illius quem colimus, tum dependentiam et subiectionem ab eodem uti inferioris a superiore, consequitur in subiecta qua de agimus materia latissime patere cultus seu religionis actus de quibus nobis disserendum est, licet diversa ratione.

---

[1]) Cf. Valent. Disp. VI. Q. 1. Punct. 1. nec non Suarez loc. cit.

[2]) Lib. I. Cap. IV. V. VI.

Digitized by Google

20. Dixi in subiecta de qua agimus materia; nam cultus per se generice sumptus potest etiam ad alios, quam ad Deum spectare. Et sane bifariam cultus distinguitur, civilis scilicet et religiosus. Civilis ille appellatur cultus, qui hominibus dignitate præstantibus exhibetur, regibus, magistratibus, viris etiam scientia ac dignitate præditis in quibus aut æstimationis nostræ fundamentum agnoscimus, aut illis etiam dependentiam profitemur pro auctoritate qua pollent, ac iisdem signa externa præbemus; religiosus vero cultus est qui Deo, vel creaturis Deo sanctitate iunctis, aut eius intuitu defertur, ut Angelis et Sanctis. Nos de solo religioso cultu solliciti sumus.

21. Cultus itaque religiosus de quo nobis est sermo, in primis alius est internus, qui solis animi sensibus peragitur, cuiusmodi ille est, qui actibus fidei, spei et caritatis, gratiarum actionis etc. prout a virtute religionis, uti inferius dicemus, imperantur, alius externus, qui membrorum ministerio et externis actionibus manifestatur, cuiusmodi sunt cantica, laudes, sacrificia, prostrationes, adgeniculationes, aliaque eius generis. Dico manifestatur; nam cultus qui in solis exterioribus actionibus consistit, nec ab interno devotionis principio proficiscitur, species quidem ac ostentatio cultus dici potest, at verus cultus non est, quo spectat illud Jsaiæ XXIX. 13. collat. Matth. XV. 8.: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.*

22. Alius etiam cultus est absolutus, qui alicui propter inhærentem excellentiam tribuitur: alius relativus, qui non solum personis, sed etiam inanimatis rebus defertur non propter excellentiam illarum, sed ob repræsentationem, quatenus scilicet ad aliquem honore dignum pertinent vel referuntur; ita sanctissimum Crucis vexillum ceteraque passionis instrumenta colimus propter Christi eiusque passionis memoriam: ita colimus Christi Sanctorumque imagines, quia Christum et Sanctos repræsentant. Alius denique est supremus, qui etiam latriæ dicitur, qui soli Deo debetur ob supremam eiusdem perfectionem et superioritatem, alius subordinatus qui vel duliæ vel hyperduliæ vocibus nuncupari solet, et creaturis etiam, non tamen sine respectu ad Deum adhibetur. [1])

23. Heic tamquam probatum assumimus: 1° Deum esse ab hominibus supremo cultu colendum: hoc enim postulat suprema eius excellentia et dominatio homini probe cognita

[1]) Cf. quæ in Tract. De cultu Ss. Cap. I. scripsimus.

Digitized by Google

et perspecta. 2° Deum esse non solum interno, sed etiam externo cultu colendum, cum Deus sit totius hominis auctor, omnesque hominis facultates par sit in debiti obsequii partes venire. 3° Neminem præter Deum hoc cultu esse colendum, cum Deus unus sit, nec multiplex esse possit, ex alia vero parte nullum ens, creatura nulla ipsius excellentiam dignitatemque coæquare possit. 4° Demum Deum esse colendum eo cultu, qui dignus Deo sit ipsique gratus esse possit, eo scilicet cultu, quem Deus ipse revelavit, cum humana ratio licet divini cultus necessitatem agnoscat, eiusdem tamen determinationem, seclusa Dei revelatione, reperire certo minime possit. Nec divina porro providentia in hac tanti momenti re defuit: hominem enim vix conditum speciali Dei revelatione de legitimo cultu adhibendo eruditum fuisse certissima traditione compertum est. Hunc autem cultum in naturæ lege simpliciorem, collapsa in universo fere terrarum orbe vera religione, Israëlitico populo nova ac splendidiore forma insignem per Mosis ministerium traditum fuisse sacri antiqui Fœderis libri testantur. Ac denique in Evangelica lege umbris ac figuris quibus tota fere Mosaica religio constabat, perfectissimam cultus rationem substitutam fuisse, quo divinum nomen ubique gentium in spiritu et veritate celebratur, ipsa Christianæ religionis existentia satis per se monet.

Cum igitur quatuor hæc veluti principia rata atque explorata tum ex philosophicis tum ex theologicis disciplinis heic habeamus, superest, ut varios multiplicesque ipsius religionis actus expendamus.

Caput IV.

De multiplicibus religionis actibus.

24. Religionis virtus latissime patet in actibus suis si tum remote seu imperative, ut aiunt, tum proxime sive elicitive spectentur. Siquidem priori sensu vere dici potest actus omnes aliarum virtutum ad religionem quadantenus pertinere, quatenus omnes concurrere possunt ad Dei gloriam et existimationem patefaciendam et promovendam, et a voluntate imperari possunt. Nam homo recte a religione seu sanctitate affectus, facile se excitare potest ad exercendos aliarum virtutum actus qui Deo gloriam afferant. Quo sensu S. Jacobus asserit *veram religionem esse visitare pupillos etc.* nempe imperative.

Digitized by Google

25. Posteriori autem sensu, proxime nempe seu elicitive, illi actus proprie religionis dicuntur, qui peculiari ratione exhibent dependentiam et subiectionem creaturæ erga Deum, ex qua oritur existimatio maiestatis Dei propria, proindeque cultus et gloria. Tales actus sunt oratio, oblatio, sacrificium etc.

26. Hi autem actus, qui presso sensu ad virtutem religionis spectant, quia immediate ostendunt nostram subiectionem ac dependentiam a Deo utpote nostro rerumque omnium principio, eiusque proinde in nos dominium patefaciunt, sic per gradus veluti quosdam distribui ac ordinari possunt pro triplici bono quod ab eo habemus, et quo ei subiicimur.

27. Primum ac potissimum bonum quod a Deo accepimus est mens nostra complectens omnes animæ facultates, adeoque spirituale est. Exinde oriuntur actus interni devotionis et orationis, qui sunt actus potissimi virtutis religionis: ad eosdem pariter spectant actus vovendi, quatenus per votum nos profitemur firmius adhærere Deo, et actus iurandi dum homo tamquam per superiorem sibi, ut loquitur apostolus, [1]) iurat et suam ab eo dependentiam testatur: demum per usum Sacramentorum, quatenus profitemur Deum auctorem gratiæ esse, quæ mentes nostras afficit, ut eas sibi magis subiiciat.

28. Alterum bonum est externum corporis, et hoc Deo subiicimus per exteriorem adorationem, quæ proinde est actus religionis; eiusmodi est genuflexio, prostratio etc.

29. Tertium est bonum quodvis externum, cuius dominium penes hominem est. Hoc vero triplici ratione subiici potest Deo:

30. I. Offerendo huiusmodi bona externa immediate ipsi Deo ita ut non cedant in alicuius hominis usum, sed omnino Deo consecrentur in eius honorem et recognitionem supremi ac universalis dominii ac potestatis in res omnes. Hoc modo offerimus Deo bona externa per sacrificia, quæ sunt actus religionis.

31. II. Offerendo illa Deo mediate, dando nempe illa Dei ministris, quatenus Dei locum tenent et mediatores quodammodo sunt Dei et hominum, in quorum usus cedunt, et per quos dispensentur prout expedire videbitur. Et sic offe-

---

[1]) Hebr. VI. 16.

Digitized by Google

runtur Deo bona externa per oblationes et primitias, quæ proinde sunt etiam actus religionis, reddentes Deo, quæ de *manu ipsius accepimus* ut dicitur 1. Paral. cap. ult., ac pariunt illi gloriam et honorem.

32. III. Offerendo hæc bona Deo adhuc magis mediate, conferendo illa Dei ministris, non immediate respiciendo Dei gloriam et honorem, sed ut obligationi satisfiat qua populus adstringitur alendi ministros qui opus Dei navant in iis quæ spectant ad Dei cultum, et hac ratione homo promovet Dei gloriam eique subiicit bona externa per decimarum solutionem, ex virtute religionis. [1])

33. Atque hæc sunt (si ea excipias quæ attingunt Sacramenta) de quibus disserit Angelicus Doctor II. 2. a q. LXXXI. ad quæst. XCI. Nos eius vestigiis insistentes hæc ipsa, quatenus ad finem nostrum opus est, persequemur.

34. Quod quidem antequam aggredimur, duo breviter expendenda sunt quæ opponi possent adversus ea quæ constituimus: ac primo quomodo fieri possit ut actus virtutum omnium imperari possint a virtute religionis, cum quædam virtutes sint excellentiores ipsa religione, ex. gr. virtutes theologicæ; hoc enim perinde foret ac affirmare inferiorem imperare posse superiori. Alterum est, quomodo dici queant elici a voluntate, ad quam pertinet religio, actus qui ab alia potentia pendent, nempe ab intellectu, cuiusmodi ex. gr. est oratio.

35. Verum prior difficultas dissolvitur si dicatur religionem nonnisi indirecte et mediate aliis superioris ordinis virtutibus imperare, quatenus nempe religio proprie imperat omnia media, quibus Dei cultus peragitur; et ideo ipsos etiam fidei, spei et caritatis actus sub hac ratione iure suo imperat, utpote media ad Dei cultum maxime necessaria.

36. Altera vero disiicitur difficultas, si dicatur actus illi virtuti tribui quæ ad eos voluntatem inclinat, etsi ab alia potentia proxime eliciantur. [1])

---

[1]) Ita ordinavit hos actus Greg. de Valentia Disp. VI. q. 1. De virt. relig. Punct. II.

[2]) Cf. ibid.

Digitized by Google

Sectio secunda.
De præceptis et actibus religionis in specie.

37. Hactenus ea constituimus quae ad naturam religionis dignoscendam multiplicesque eius actus qui ab eadem aut imperantur aut eliciuntur generatim definiendos spectent; nunc iam ad particularia expendenda sive præcepta sive actus ipsius ordo ipse rerum nos ducit. Quoniam vero hos actus in internos et externos distinximus, ab internis exordium sumimus, ac primo a devotione, quæ virtus, ex S. Ambrosio, ordine prima est ac fundamentum ceterarum. [1])

Caput I.
De Devotione.

38. Devotio a devovendo dicta a S. Thoma definitur: *Voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* [2]) Ex qua definitione deprehendimus tria ad veram devotionem constituendam concurrere, nempe 1° voluntatem, intellige firmam, constantem, generosam: nec enim qui brevi et cito deficiente aliquo pio affectu interdum movetur, devotus appellari potest; 2° quamdam alacritatem seu promptitudinem ad exequenda scilicet ea omnia quæ sunt divini cultus. Eiusmodi autem promptitudo duplici, ut ita dicam, actu constat, nempe generali et efficaci intentione divini obsequii, ad quam comparantur ut media particularia obsequia si quando eorum occasiones occurrant: et particulari exequendi quidquid intelligitur conferre ad obsequium Dei. Et in hac promptitudine statuit S. Thomas devotionem quod sit huius quasi formalis effectus. Prior est ad instar habitus, posterior ad instar actus, qui ex illa promptitudine generali oritur; [3]) 3° quamdam

[1]) In lib. De Abraham. Cap. I.

[2]) II. 2. q. 82. art. 1.

[3]) Cf. Suarez De relig. lib. II. c. VI. n. 10. seqq. præsertim n. 6. ubi præclare exponit mentem S. Thomæ ostenditque minime permiscendam devotionem, quæ in habitu consistit, cum actibus qui

Digitized by Google

delectationem, suavitatem et gustum spiritualem, qui efficit ut libentissime qui ea affectus est se tradat ad omnia illa obsequia divini cultus exequenda. Qui enim prompte agit, quadam delectatione movetur. Quapropter dici potest eiusmodi delectationem esse simul causam et effectum devotionis.

39. Dari autem eiusmodi delectationem, suavitatem, gustumque spiritualem, quam Theologi mystici consolationem spiritualem appellant, ex promptitudine provenientem tum Sacræ Literæ, tum Sancti Patres, tum vel ipsa experientia docent. Sacer Psaltes de seipso testatur: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*[1]) et iterum: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum,*[2]) ut alia haud pauca eiusmodi omittam. Ex Patribus vero in exponenda eiusmodi devotionis suavitate et spirituali gaudio eminet S. Bernardus, qui inter cetera hæc ad rem nostram scribit: *Res cordis est gratia devotionis, quam quærimus,* eamque esse dicit *hilaritatem mentis, et dulcedinem spiritualis gratiæ, qua bona opera condiuntur*[3]) et alibi passim.[4]) Huic consonat S. Bonaventura scribens: *Cum devotio sit piæ affectionis pinguedo, et magis se habeat ad affectum quam ad intellectum ..... perfecta tamen non est devotio sine lumine intellectus.*[5])

40. Sedulo hic autem distinguenda est promptitudo seu devotio substantialis a promptitudine sive devotione accidentali. Prior spectat ad voluntatem firmam ac deliberatam devovendi se totum Deo eiusque obsequiis, quæ ex Dei gratia in nostra est potestate, posterior autem quæ in suavitate ac delectatione consistit, nec est libera nec in nostra est potestate, nec proinde actus noster est nec ad substantiam virtutis pertinet. Atque hinc est quod S. Thomas eam recenseat uti effectum devotionis vocetque *spiritualem lætitiam.*[6])

---

ab ea procedunt, quique improprie devotiones vulgo nuncupantur, quia sunt materia in qua versatur devotio, vel per denominationem a devotione prout dixit S. Thomas cit. art. 1. ad 2. quod sicut motio moventis transit ad mobile, sic suo modo actio devotionis transit ad ceteras actiones, quæ ex imperio illius fiunt.

[1]) Ps. LXXXIII. 3.

[2]) Ps. CXVIII. 30.

[3]) Sermo I. De Nativ. Domini.

[4]) Sermo III. de Circumc. etc. apud Suarez loc. cit.

[5]) Opusc. De Profect. relig. lib. II. Cap. LXXIII.

[6]) Q. 82. art. 4. Cf. Suarez loc. cit. n. 19. S. Gregorius M. lib. IV. in primum lib. Reg. Cap. IV. ad illa Verba: Sacrificium po-

Digitized by Google

41. Ex his rite infertur regula, qua vera a falsa devotione secernatur. Etenim constat principium devotionis esse caritatem: siquidem cum devotio nihil aliud sit, quam promptitudo et animi alacritas ad ea suscipienda, quæ Deo placent, ea non potest nisi a caritate proficisci. Ex quo et illud sequitur devotionem eo esse puriorem, atque ardentiorem futuram, quo magis aliquis in caritate proficiat. Qui ergo suavitatem magis in devotione sectantur, qua delectentur et placeant sibi, quam veram virtutem, qua perficiantur et placeant Deo, convincuntur se veram haud habere devotionem; cum hæc non ex vera caritate, sed ex inordinato sui amore proficiscatur.

42. Infertur insuper, regulam veræ devotionis esse voluntatem divinam: Dicitur enim voluntas tradendi se prompte ad ea, quæ non ad cultum tantum, sed ad omnem Dei famulatum pertinent. Nec enim omnes qui Deum colunt religionis actibus Deo famulantur, sed qui ita colunt, ut Dei genio, non proprio obsecundent, id est qui eum colunt animo sincero, recta intentione, atque in debitis adiunctis: tum porro vera devotio non in solis religionis actibus posita est, sed in omnibus vitæ officiis, quatenus ad virtutem colendam, Deoque serviendum referuntur. Exinde sequitur 1° veram devotionem tametsi in se unam, variam tamen esse pro variis hominum conditionibus et professionibus: ut enim a divina voluntate sunt variæ humanæ societatis conditiones et officia, ita vera devotio efficit, ut unusquisque propriæ conditionis munera propter Deum diligat ac sedulo exequatur; 2° perperam eos de devotione sibi blandiri, qui pietatem a virtute divellunt, qui scilicet orationum, divini verbi, Sacramentorum, rerumque divinarum omnium frequentia et assiduitate maxime delectantur, eodemque tempore vel avaritiæ vel invidentiæ vel iræ, vel detractioni se dedunt, aliisve cupiditatibus habenas liberas permittunt, atque adversa quælibet pro Christi nomine perferre detrectant. Hi enim quomodo vere dici possunt divinæ voluntati famulari? [1])

---

puli in excelso cap. 9. scribit: *Nostræ mentis esus devotio est, tunc enim carnalia nostra destruimus, cum ardenti devotione ad cælestia sublevamur.*

[1]) Hinc Segneri ad diem 7. Febr. Manna dell' anima non alio sensu eiusmodi homines spirituales appellari posse scribit, quam quod spiritualibus vitiis detineantur. En eius verba: *Son quei tre vizi, che più di tutti gli altri son vizi puramente spirituali: la vana gloria, l'iracondia, l'invidia .... quelle persone me-*

Digitized by Google

43. Infertur tertio scopum veræ devotionis esse Dei gloriam: qui enim Deum sincere diligit summo amore, Dei excellentiam diligit atque propterea vehementer cupit non se, sed Deum per omnia glorificari. Ex quo colligitur 1° tum devotionem esse actum virtutis religionis, qui respicit cultum Dei quatenus in omnibus quæ pertinent ad Dei famulatum maxime viget; [1]) 2° tum veram devotionem in humilitate fundari, eosque a vera devotione procul abesse, qui evangelici Pharisæi exemplo apud se dicunt: non sum sicut cæteri homines, qui scilicet propriæ paupertatis et infirmitatis obliti de se præsumunt, cuncta opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, amant primas cathedras in synagogis et salutationes in foro, seque spirituales existimantes omnia iudicant, nolentes se a quopiam iudicari: hinc ceteros passim contemnunt et damnant. Nemo non videt pharisaicam quidem istam esse, minime vero christianam devotionem, cum nulla possit esse vera devotio humilitate et caritate destituta.

44. Devotionis duplicem causam assignat S. Thomas, alteram extrinsecam, nempe Deum omnium bonarum voluntatum largitorem, a quo proinde enixis precibus eam petant necesse est omnes qui eam habere cupiunt, omnes autem cupere debent; alteram intrinsecam, quæ nulla alia est, quam sedula meditatio ac frequens consideratio earum veritatum, quæ pertinent tum ad divinam bonitatem, tum ad propriam infirmitatem cognoscendam. Nam devotio duobus actibus perficitur, intellectus nempe et voluntatis: intellectus quidem, quia uti animadvertit S. Doctor *voluntas semper oritur ex intelligentia.* [2]) Hinc recte antiquus auctor Op. De spiritu et anima [3]) adstruit devotionem nihil aliud esse *nisi pium et humilem affectum in Deum: humilem ex conscientia infirmitatis propriæ, pium ex considera-*

---

desime, le quali sono chiamate spirituali, talor niente di spirituale hanno più, che questi tre vizi da cui sono tiranneggiate.

[1]) Cf. S. Thom. loc. cit. art. 2.

[2]) Q. 82. art. 3. Atque exinde patet quo in errore versentur protestantes vulgo pietistæ nuncupati, qui sensui nescio cui devotionis se totos dedunt absque intelligentiæ, imo vero sine fidei fundamento. Nam disputationum ac dissensionum pertæsi, quæ apud varias sectas vigent, veluti in desperationem acti, quin se ad veritatem catholicam recipiant, malunt se dulci illusioni tradere, se ceterosque fallentes.

[3]) Inter opera S. Augustini ed. Maur. Tom. VI. Cap. 50.

Digitized by Google

tione divinæ clementiæ. Quo ergo magis homo in rerum divinarum, suæque ipsius infirmitatis meditatione defixus versabitur, eo magis in humilitate et caritate proficiet, quæ sunt quasi partes, ex quibus vera devotio coalescit. Prior consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima causa intrinseca devotionis, altera excludit præsumptionem. Card. autem Caietanus optime persequitur beneficia et defectus hominis proprios, qui considerandi sunt:[1]) negatque eum dignum esse religiosi aut spiritualis nomine, qui quotidie saltem semel aliquid huiusmodi non meditetur. Quin etiam declarat, secus ac nonnulli censeant, scientiam non obesse devotioni, quod si scientia et quidquid est magnum Deo perfecte subiiciatur, potius promovere quam impedire devotionem.[2]) Quod vero spectat ad alterum actum, nempe voluntatis, ipse provenit ex prævia cogitatione, et quamvis ab initio soleat esse indeliberatus per modum desiderii vel gaudii iuxta illud Ps. LXXVI. 3. *Memor fui Dei, et delectatus sum,* postea vero meditationis ope fit deliberatus: siquidem meditatio est fons totius boni desiderii, et accendit caritatem ab bonos alios affectus in Deum.

45. Præter delectationem quam parere ex dictis consuevit vera devotio, quamdam ingerit salutarem tristitiam, quæ producitur ex conscientia propriorum defectuum;[3]) quæ tamen longe vincitur a suavissima voluptate, quam gignit tum testimonium bonæ conscientiæ, tum fiducia divinæ bonitatis, tum facilitas et alacritas in divinis mandatis exequendis, atque virtutum actibus suscipiendis, longo usu comparatæ; omnia enim amantibus facilia. Quæ quidem animi suavitas et quaslibet molestias facile abstergit, et eam affert animæ pacem quam mundus dare non potest, et quæ omnes sæculi cupiditatumque delicias longo intervallo superat; qua denique nulla maior excogitari potest.[4])

---

[1]) Comm. in hunc loc. S. Thomæ.

[2]) Cf. Mabillon De studiis monasticis qui tum in prima, tum in altera parte luculenter ostendit quam arcto coniugio scientia ac devotio inter se copulentur.

[3]) Eiusmodi vero tristitia effectus secundarius est et per accidens, proprius enim et primarius est lætitia.

[4]) Præclare S. Bernardus Serm. III. de Circumc.: *Jam vero,* inquit, *cum in his diu fueris exercitatus, roga dari tibi devotionis lumen et sabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei, ut quod prius cum*

Digitized by Google

Caput II.

De Oratione.

46. Orationem alterum actum spiritualem virtutis religionis esse exinde constat, quod referatur ad Dei cultum, imo partem præcipuam cultus constituat, cum per orationem Deum auctorem profiteamur et causam supernaturalem donorum gratiæ et gloriæ, quæ per orationem inprimis petimus. Nam solus Deus dat gratiam et gloriam. [1]) Constat insuper esse actum spiritualem religionis, quia est actus rationis ad quam licet utraque facultas intellectus et voluntatis concurrant, præcipue tamen in intellectu consistit, siquidem desiderium, affectumque voluntatis conceptus mentis seu intellectus præcedat necesse est sive sermo sit de oratione mentali sive de vocali. [2])

47. Quæ de oratione dicenda sunt revocari ad tria præcipua capita facile possunt, ad orationem scilicet in genere, ad orationem mentalem atque ad orationem vocalem. Cum vero uberem unaquæque disserendi segetem suppeditet, ne confusionem ingerat, de singulis agemus distinctis articulis, quos iterum in appositas paragraphos dispertiemur, prout materia exposcet.

Articulus I.

De Oratione in genere.

48. Prout diversimode oratio accipitur, varia a Patribus eius notio exhibetur. Nam a Dionysio Areopagita nuncupato, oratio unio cum Deo vocatur, quatenus *ante omnia opus est ab oratione incipere, sicut Deo nos ipsos tradentes et unientes.*[3])

---

amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cetero iam cum summa dulcedine peragas et delectatione... Qui exercitatos habent sensus devotionis huius fruuntur iucunditate.

[1]) Ps. LXXXIII. 12. Cf. Greg. de Valent.

[2]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 83. art. 1. Hoc ipso autem quod oratio sit actus rationis, infertur pertinere ad mentem seu intellectum, non autem ad voluntatem formaliter: Sane si actus aliquis voluntatis esset oratio, maxime desiderium obtinendi aliquid ab alio talis esset; iam vero desiderium orationem non esse exinde patet, quod non sit petitio: siquidem multa desideramus ab aliis fieri, quæ sæpe non audemus ab eis petere.

[3]) De Divin. Nom. Cap. III. §. 1. edit. Corderii Opp. Tom. 1. p. 536.

Digitized by Google

Ex S. Joanne Damasceno porro est *ascensus mentis in Deum:*[1]) Quo sensu S. Augustinus, seu antiquus auctor sub eius nomine: *Quid est oratio,* inquit, *nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium supernorum?*[2]) Ex S. Jo. Chrysostomo: *Oratio colloquium est cum Deo. Quod ut scias,* inquit, *audi Prophetam dicentem: iucundum sit Deo eloquium meum.*[3]) Ex quibus aliisque eiusmodi[4]) notionibus patet, oratione late sumpta, designari pium quemcumque motum, quo animus ad Deum ascendit. Oratione namque Deum Optimum Maximum adoramus, supremum nostri rerumque omnium Dominum agnoscimus, optime merito gratias agimus, bonorum omnium largitorem exquirimus, revelanti fidem profitemur, infinite bonum diligimus, in quibuslibet periculis auxilia ferentem invocamus, cunctis demum officiis, sive eius infinitæ maiestatis debitis, sive nostræ conditioni opportunis prosequimur.

49. Presse sumpta post S. Joannem Damascenum ab Angelico Præceptore oratio definitur: Petitio rerum decentium a Deo. 1° Dicitur vero petitio, quia est actus rationis practicæ, quo quis ordinat seu decernit aliquid per alium faciendum, non id imperando, sed ad id inducendo et quasi disponendo alium, ei nimirum indicando proprium desiderium, et quidem pio erga Deum affectu, ut vere petitio dici possit oratio.[5]) 2° Additur rerum decentium, id est, convenientium tum voluntati divinæ, tum æternæ saluti nostræ.

50. Nunc autem inquirendum superest 1°: quotuplex sit oratio; 2° an sit necessaria iam et quatenus efficax; 3° quidnam petendum per eam sit; 4° pro quibus orandum, et quomodo orandum. Quæ quidem insequentibus paragraphis breviter, quatenus opus est, singillatim percurremus.

§. 1. Quotuplex distinguatur Oratio.

51. Tripliciter distingui consuevit oratio, tum nempe ex parte eius qui orat: tum ex parte actus, tum denique ex parte circumstantiarum.

---

[1]) De fide orthod. lib. III. cap. XXIV. n. 1. ed. Lequien.
[2]) Serm. 230. de temp.
[3]) Hom. XXX. in Genes. n. 5. ed. Maur.
[4]) Cf. Medina q. 1. De Oratione, ubi plures de oratione notiones congeruntur.
[5]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 82. art. 1.

Digitized by Google

52. Ex parte eius qui orat dividitur oratio in communem seu publicam, quæ nempe fit ab Ecclesiæ ministro nomine totius populi fidelis, de qua legitur in op. De ecclesiasticis dogmat: *Cum sanctarum plebium præsules demandata sibi legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur.*[1]) De hac disseremus cum de Horis canonicis sermo erit: et in orationem particularem seu privatam, quæ fit ob unoquoque privatim aut pro se, aut pro alio.

53. Ex parte actus, in quo oratio consistit, dividitur in mentalem et vocalem, prout aut sola mente, nempe meditatione, contemplatione et affectu absolvitur, aut exprimitur verbis. Utriusque orationis mentalis et vocalis exempla suppetunt in Scripturis; mentalis quidem Ps. XXVI. 8.: *Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea;* vocalis vero Ps. CXLI. 2.: *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

54. Ex parte circumstantiarum, actus scilicet in quo oratio consistit, dividitur in obsecrationem, orationem simpliciter dictam, postulationem et gratiarum actionem, iuxta illud Apostoli I. Timoth. II. 1.: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quid porro discriminis intercedat inter obsecrationem, orationem et postulationem non conveniunt Patres ac interpretes inter se. Sunt qui tres has voces velut idem significantes, congerie quadam rhetorica ab Apostolo dicant usurpatas, quo vehementior sit adhortatio in re tanti momenti.[2]) Alii præsertim græci interpretes iuxta vim quam exhibet originalis textus deprecationes, obsecrationes et interpellationes,[3]) volunt deprecationes esse preces quibus petimus a malis liberari; obsecrationes, quibus oramus ut nobis bona contingant: interpellationes, quum de his qui nos lædunt querimur;[4]) aut etiam pro persequentibus oramus ut convertantur. Consentiunt autem plerique hunc Apostoli locum accipiendum esse de publicis precibus, vel de iis, quas ad altare facit Sacerdos, ut sentit Augustinus, vel generalius, quæ in conventibus Ecclesiæ per ministros eius fiunt

---

[1]) Cap. XXX. apud Valentiam loc. cit. Punct. II.
[2]) Cf. Estium in hunc loc.
[3]) *δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις.*
[4]) Cf. etiam Corn. a Lapide, Bernard. a Piconio.

Digitized by Google

simul orante cum eis populo.[1]) His vero precibus adiungi seu permisceri vult Apostolus gratiarum actiones, quia qui non agit gratias de beneficiis acceptis, eo ipso se præbet indignum, cui quantumvis oranti novum beneficium adiiciatur.[2])

55. De Oratione mentali et vocali in specie apposite paulo post agemus, interim heic persequi pergimus, quæ ad orationem generatim spectant.

§. 2. De Orationis necessitate.

56. Præter obscuros antiquos hæreticos, qui aut excessu aut defectu circa utilitatem ac necessitatem orationis turpiter errarunt, nunc temporis etiam non desunt increduli, qui ad omnem religionis actum aut exercitium quodcumque amandandum tamquam Deo iniuriosam orationem repellunt.

Massiliani, referente Damasceno,[3]) adeo extulerunt orationem, ut illam solam ad salutem sine operibus bonis, imo et sine baptismo, satis esse proclamaverint.[4]) Contra vero alii inficiati sunt necessitatem orationis, ut Pelagiani, qui teste S. Augustino[5]) autumarunt hominem sibi sufficere, sive ad bonum prosequendum, sive ad malum vitandum. Quem quidem errorem a paganis, nominatim autem a stoicis illi hausisse visi sunt, qui hominis solius esse effutiebant sibi probitatem ac virtutem comparare, neque a diis aliud esse petendum, præter divitias, honores ceteraque temporalia bona.[6]) Huius denique ætatis increduli iniuriam Deo irrogari censent oratione perinde ac si Deus ignoraret indigentias nostras, aut deberet iugiter naturæ ordinem per miracula invertere ad hominum preces exaudiendas, eo vel magis quod petitiones unius oppositæ plerumque sint petitionibus alterius.[7])

---

[1]) Cf. ibid.
[2]) Ita Estius loc. cit.
[3]) In lib. De Hæresib. hæres. 80. ed. Lequien.
[4]) Hist. trip. lib. VII. cap. 8.
[5]) Hæres. LXXXVII. et Ep. CLXXXVI.
[6]) Cf. Bergier Dict. art. Prière. Sic etiam nonnulli pseudomystici, quorum propos. XIV. ab Innoc. XI. damnata est: *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ.* Quæ est una ex propositionibus Michaëlis de Molinos confictis.
[7]) Ita increduli apud Bergier Diction. theol. art. cit. Alii vero

Digitized by Google

57. Verum de fide est, orationem non modo utilem sed necessariam prorsus esse ad salutem tum necessitate medii in adultis tum necessitate præcepti, quod et Sacræ Litteræ docent, ac universa traditio semper professa est.

Sane Christus non solum præivit exemplo *pernoctans in oratione Dei,* [1]) et de ipso testatur Apostolus, quod *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis* [2]) obtulerit: sed passim inculcavit orandi necessitatem, ut Matth. VI. 9.: *Sic vos orabitis,* inquit, *Pater noster etc.;* et ibid. VII. 7.: *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis;* rursum ibid. XXVI. 41.: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem;* Lucæ vero XVIII. 1.: *Oportet semper orare;* et ita porro. Apostoli tum facto ipso Christi exemplum sectati sunt, tum eius documenta inculcaverunt. Siquidem legitur Act. I. *ipsos perseverantes fuisse in cœnaculo unanimiter in oratione cum Maria Matre Jesu,* et ibid. III.: *ascendisse in Templum ad horam orationis nonam;* item B. Petrum *in oratione defixum fuisse cum Cornelii centurionis legationem suscepit* (ibid. X. 9.); ut alia omittam. Paulus fidelibus nihil frequentius oratione inculcat: Sic Rom. XII. 12.: *Orationi instantes;* Ephes. VI. 17.: *Galeam salutis assumite.... per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu;* Coloss. IV. 2.: *Orationi instate, vigilantes in ea;* ac I. Thess. V. 17.: *Sine intermissione orate.* Demum B. Jacobus V. 16.: *Orate,* scribebat, *pro invicem ut salvemini.*

58. Post hæc velle Patrum auctoritatem urgere, vere foret tempus terere; nam ipsi adeo orationis necessitatem agnovere, ut ad eam persuadendam integros libros et tractatus evulgaverint. Sane Tertullianus librum quemdam de oratione inscripsit: Cyprianus pariter integro libro expositionem orationis Dominicæ complexus est: Cyrillus Hierosolymitanus catechesin mystagogicam V., Gregorius Nyssenus homilias quinque hoc de argumento edidit, Chrysostomus librum pariter integrum de oratione vulgavit, Augustinus Lib. II. De sermone Domini in monte cap. IV. seq. de ea fuse agit, et epistola CXXX. ad Probam, ut alios silentio prætereamus.

---

increduli ideo orationem reiiciunt quod nihil possit apud Deum, cuius voluntas immutabilis est: nihil igitur aliud præstat quam animum confirmare. Ast de hoc postea.

[1]) Luc. VI. 12.

[2]) Hebr. V. 7.

Digitized by Google

59. Et quum omnes uno ore orationis necessitatem deprædicent, unius vel alterius speciminis gratia satis erit testimonium proferre. Itaque S. Cyprianus: *Qui fecit,* inquit, *vivere, docuit et orare, benignitate ea scilicet, qua et cetera dare et conferre dignatus est; ut dum prece et oratione, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur.* [1]) Sic S. Joan. Chrysostomus scribit: *Ut enim corpus hoc nostrum, cum animus abest, mortuum est ac fœtidum: sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera et graviter olens.* [2]) S. Augustinus: *Cum constet,* inquit, *alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* [3]) Demum S. Cælestinus Pontifex decernit: *In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor et protector orandus est: superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat.* [4])

60. Sed et ratio ipsa theologica idipsum plane suadet: Illud enim tamquam necessarium medium ad salutem censendum est, sine quo gratia et perseverantia haberi nequeunt quibus salvemur; iamvero ex dictis talis est quoad adultos oratio, saltem ex ordinaria providentia. Quod si est necessaria oratio necessitate medii, iam hoc ipso patet eamdem necessariam esse etiam necessitate præcepti. Siquidem Deus præcipit ut mediis necessariis utamur. [5]) Hinc Concilium Trid.: *Deus,* inquit, *impossibilia non iubet: sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis.* [6])

---

[1]) In exposit. Orat. Domin. pag. 204. ed. Maur.

[2]) Orat. 1. De Precatione quæ ab editoribus Maurinis Opp. Tom. II. in admonitione prævia, licet Chrysostomi digna dicatur, attamen ob leves aliquas difficultates ibidem recensitas inter dubias recensetur. Certe antiqui scriptoris opus est.

[3]) Lib. De dono persev. Cap. XVI. pag. 780. n. 39.

[4]) In epist. ad Epp. Galliar. Cap. IX. n. 10. ubi refert Zosimi prædecessoris sui verba. Ed. Coustant. pag. 1191.

[5]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 3. art. 2. Notandum tamen est plura interdum dari sine oratione: hinc S. Thom. q. 83. art. 2. ad 3.: *Dicendum, quod Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita: sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem.*

[6]) Sess. VI. Cap. XI.

Digitized by Google

61. Falsum porro est quod increduli assumunt, nos tantum ad orandum teneri ut Deo omniscienti nostras patefaciamus necessitates, quasi ipse eas ignoraret: nam tenemur præterea orare, ut nostram ab eo dependentiam profiteamur, et ipsum esse supremum bonorum omnium auctorem et largitorem; ut ad Deum identidem saltem assurgamus, nec teneamur luto nostro defixi ac sensibilibus irretiti penitus et absorpti, memores scilicet dignitatis nostræ. [1])

62. Nec opus est ut Deus naturæ leges invertat per miracula, quo petitionibus nostris obsecundet, cum innumera ipsi suppetant media, quibus exaudiat præter miracula; cum providentia sua cuncta gubernet, dispensetque omnia fortiter et suaviter: licet interdum diversa imo et contraria uno eodemque tempore a pluribus petantur.

63. Neque pariter necesse est, ut divina immutetur voluntas ut exaudiantur petitiones nostræ; nam, uti iamdiu adnotaverat S. Gregorius M., *ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.* [2])

---

[1]) Nam nihil magis hominem extollit ac eius dignitatem patefacit, quam eius cum Deo communicatio, quæ potissimum per orationis assiduæ exercitium obtinetur.

[2]) Dialog. lib. I. cap. VIII. Ex quibus liquet non propterea nos orare, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut inquiramus quod Deus disposuit per orationes esse adimplendum. Cf. etiam S. Thom. II. 2. q. 83. art. 3. Exinde etiam fallacia deprehenditur communicationis, quæ per Spiritus alicuius mali obtenta est his temporibus in urbe Metensi, in qua dum mirifice oratio extollitur, reipsa destruitur eius vis et efficacia. *La prière,* dictum est, *est une aspiration sublime à laquelle Dieu a donné un pouvoir si magique, que les esprits la réclament pour eux constamment. Tendre rosée qui est comme un raffraichissement pour le pauvre exilé de la terre.... Priez: C'est un mot descendu du Ciel, c'est la goutte du roseau pendant l'orage, c'est la planche du pauvre naufragé pendant la tempête, c'est l'abri du mendiant et de l'orphelin, c'est le berceau de l'enfant pour s'endormir. Émanation divine, la prière est ce qui nous relie à Dieu par le langage, c'est qui l'intéresse à nous: le prier c'est l'aimer, l'implorer pour son frère, c'est un act des plus méritoires.* Deinde subditur quod omnem efficaciam ora-

Digitized by Google

64. Si quis vero quærat, quandonam obliget orandi præceptum, respondebimus obligare quoties necessitas urget, prout in ceteris affirmativis præceptis contingere solet. Sic obligat cum quis gravibus impetitur tentationibus, cum aliquod arduum opus ac periculosum est aggressurus, item cum quis debet se ad gratiam recipiendam disponere ut vitet repellatque peccata. Atque exinde eruitur quam frequens et assidua debeat esse orandi cura: nam in hac valle lacrymarum constituti inter pericula continua et continua certamina Dei ope iugiter indigemus tum ad remissionem peccatorum obtinendam, tum ad vincenda tentationum obstacula, tum ad perseverandum in accepta iustitia, iuxta illud Augustini, seu potius auctoris de eccles. dogmat.: *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri.* [1])

65. Orandus vero Deus et solus quidem ut auctor et largitor bonorum omnium tum naturæ, tum gratiæ, tum gloriæ; nam: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,* scribit S. Jacobus.[2]) Orandus autem non in nomine nostro, nulla enim sunt merita nostra, sed in nomine et per merita Unigeniti filii sui et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui factus est nobis iustitia et redemptio, cuiusque nomen unum est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri: hæc propterea conditio ita necessaria proponitur, ut sine ea nihil, cum ea omnia simus impetraturi. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis,* uti Joan. XVI. 23. pollicitus est Christus. Hoc autem non obstat quominus Sanctos etiam oremus et invocemus tamquam amicos Dei et intercessores nostros, ut nimirum orent pro nobis, suisque suffragiis id agant apud Deum, ut quæ ab ipso petimus facilius et uberius per Christi merita impetremus, ut suo loco ostendimus.[3])

---

tionis destruit: *La prière agit directement sur l'esprit qui en est le but, elle ne change pas ses épines pour des roses, elle ne modifie pas sa vie de souffrances — ne pouvant rien sur la volonté immuable de Dieu, — qu'en lui imprimant cet essor de volonté qui relève son courage, en lui donnant la force pour lutter contre les épreuves et les dominer.* Cf. Le Spiritisme à Metz p. 6. collat. Le livr. des esprits. Tom. II. n. 310. suiv.

[1]) Cap. 26. Cf. S. Alphons. Del gran mezzo della preghiera.

[2]) Ep. I. 17.

[3]) In Tract. de cultu Ss. cap. III.

Digitized by Google

§. 3. De Orationis efficacia.

66. In oratione rite peracta triplex efficacia inveniri potest, scilicet merendi, satisfaciendi et impetrandi, adeoque licet in re una sit, ratione tamen distinguitur in meritoriam, satisfactoriam et impetratoriam; meritoriam quidem ratione sui, quatenus est actus bonus et, ut supponitur, in gratia factus: satisfactoriam prout actus est pœnalis: impetratoriam uti est petitio. Interdum tamen eiusmodi proprietates ab invicem separantur. Hinc fieri potest ut actus sit quidem meritorius, quin tamen sit impetratorius, ut accidit B. Paulo petenti sibi auferri stimulum carnis suæ nec impetravit, quia illi non expediebat. Sic potest esse actus impetratorius, non autem meritorius, ut contingit in peccatore qui in statu gratiæ nondum reperitur, aut in beatis qui impetrare pro nobis quidem possunt quin eorum actus meritorius sit. Numquam autem potest esse meritorius quin sit satisfactorius, quia et in gratia factus et ex se pœnalis actus est iuxta illud Eccles. XII. 12.: *Frequensque meditatio carnis afflictio est.*[1]) An vero possit oratio esse satisfactoria et non meritoria, controversia agitatur inter Scotum affirmantem et D. Thomam probabilius negantem.[2])

67. Jam vero ut declaremus orationis efficaciam quatenus petitio est seu impetratoria, pro certo habendum est numquam orationem carere posse effectu, si ea petantur quæ peti debent, et eo modo quo debent peti. Deus siquidem seipsum negare non potest, seu deesse pollicitationibus suis. Ipse autem ait Lucæ XI. 10. *Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Et Ioan. XVI. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quapropter mirum non est, si Patres tot tantisque verbis efferunt infallibilem orationis vim ad quæcumque a Deo impetranda: recte enim dici potest, tam patere orationis efficaciam ad impetrandum, quam patet omnipotentia divina ad operandum.

68. Quod si non semper obtinetur quod petitur, id non ex orationis defectu, sed ex causis extrinsecis repeti debet; ac 1°

---

[1]) Cf. De Satisfact. in Tract. de Incarnat.

[2]) Cf. Greg. de Valent. Disp. VI. q. 2. Punct. 4. ubi totum argumentum lucide explanat, atque animadvertit orationem esse unam re, quamvis ratione ac virtute tres in ea numeratæ proprietates distinguantur, prout est aut esse potest meritoria, satisfactoria et impetratoria, prout et nos paulo ante adnotavimus.

Digitized by Google

quia interdum petuntur ea, quæ sunt contra rationem salutis; *Deus autem Salvator est,* inquit S. Augustinus, *non solum quando facit, quod petimus, verum etiam quando non facit: Novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus: et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem;*[1]) 2⁰ quia quæ petuntur non raro male petuntur, id est non iis conditionibus, quæ ad rectam orationem requiruntur.

69. Quatuor autem iuxta S. Thomam ponuntur conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit; scilicet ut pro se petat, ut necessaria, ut pie et perseverantur petat.

70. Iᵘᵐ est ut quis pro se petat; nam exaudiuntur *omnes Sancti pro se ipsis,* inquit S. Augustinus, *non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est dabit, sed: dabit vobis.*[2]) Ratio est, quia oratio quæ fit pro aliis, quamvis recte fiat, potest tamen impediri ne effectum suum sortiatur propter vitium aliquod eorum, quorum gratia suscipitur: cuius rei exemplum habemus Jerem. XV. 1., ubi legimus: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Adnotat vero S. Thomas hanc conditionem necessariam esse quoad certitudinem impetrandi, non quoad rectitudinem orandi.[3]) Quamvis enim non semper impetret oratio pro aliis facta, semper tamen recte et meritorie adhibetur: *Obsecro* inquit Apostolus, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.*[4]) Et Jac. V. 16.: *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Ex quibus intelligimus huiusmodi orationes non solum habere effectum movendi, sed etiam non raro vim impetrandi, ut insignes conversiones Sauli ad preces S. Stephani, et Sancti Augustini per piæ matris lacrymas satis manifestant.

71. IIᵃ conditio est ut necessaria petantur, nempe ad salutem, de qua licet aliquid iam diximus in notione orationis

---

[1]) Tract. LXXIII. in Joan. n. 3.
[2]) Tract. CIII. in Joan. n. 1.
[3]) Cf. II. 2. q. 83. art. 7. ad 2.
[4]) I. Tim. II. 1. seq.

Digitized by Google

tradenda; id præterea planum fit ex Christi verbis Matth. VI. 33: *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis.* Et sane omnia, quæ Christus Dominus nobis meruit ab æterno Patre, meruit ut media conducibilia ad beatitudinem consequendam.

72. III^um^ est ut pie, seu pio animi affectu fiat, quæ dispositio plura complectitur: in primis fidem, qua orans certe teneat posse Deum efficere quod petit: *Qui enim hæsitat,* inquit Apostolus Jacobus c. I. 6.: *similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur: non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Deo;* tum 2° vivam fiduciam, qua de divina bonitate magis confidat, quam de propria indignitate formidet, nam *magna fides magna meretur,* monet S. Bernardus, *et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris eatenus possidebis.* [1]) 3° profundam humilitatem, qua se divinis beneficiis prorsus imparem agnoscat: nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* [2]) et Ps. CI. 18.: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.* Luc. XVIII. legimus orationem publicani humilitatis gratia exauditam, Pharisæi autem præsumptionis vitio reiectam; 4° attentionem, id est animi applicationem qua orans velit et conetur pro viribus mentem totam in divinæ Maiestatis ac præsentiæ eorumque quæ petit cogitationem defigere. Quis enim non videat quanta sit irreverentia, divinæque Maiestatis contemptus in iis, qui orationis opus suscipiunt, eoque Deum sibi præsentem appellant, mox vero animum ab oratione ad aliena ac inutilia huc illuc negligenter ac voluntarie evagari patiuntur?

73. IV^a^ conditio orationis est perseverantia, cuius necessitatem docet Christus dum præcipit Luc. XI. non solum petendum et quærendum, sed etiam pulsandum; et confirmat parabola amici ad amicum venientis noctu et pulsantis commodari sibi panes, qui persistens pulsando, tandem impetrat propter improbitatem, seu importunitatem, sibi dari quæ petit; et Matth. XV. exemplo Chananææ, quæ semel iterumque reiecta amplum denique perseverantiæ suæ præmium refert cum eximia simul fidei suæ commendatione. Cur vero Deus aliquando differat postulata concedere variæ afferuntur causæ, quarum una est ut divina beneficia in ea qua par est æstimatione habeantur: *Cum aliquando tardius dat, commendat Deus dona, non*

---

[1]) Serm. XXXII. in Cantic. n. 8.
[2]) Jac. IV. 6.

Digitized by Google

negat: diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt, ut loquitur Augustinus. [1]) Altera est, ut ea dilatione humiliores efficiamur; inde enim magis magisque de indigentia et infirmitate nostra monemur. Demum: ut ingeminatis petitionibus, aucto desiderio et aucta fide, ad ea quæ postulamus assequenda efficiamur aptiores. *Petendo autem et quærendo,* rursum inquit Augustinus, *crescis, ut capias: servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magne desiderare.* [2])

74. Licet vero conditiones omnes recensitæ ad orationem concurrant, quum Deus concedit quod petimus, existimandum non est ipsum concedere ex iustitiæ debito, ut nonnulli autumant, [3]) quia se promissione obligavit. Nec enim omnis promissio inducit obligationem iustitiæ distributivæ, sed illa sola quæ fit in compensationem operis. Porro oratio seu petitio ut talis non compensatur, sed auditur. Quare tantum Deus promisit se concessurum petita certo et infallibiliter, sed solum ex misericordia, non autem ex iustitia in compensationem aliquam ipsius orationis. Exemplo sit is qui promitteret se daturum eleemosynam cuicumque petenti; is quidem semper ex promissione daret, sed solum ex misericordia. Hinc Daniel c. IX. 18. aperte profitebatur: *Non enim in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis exaudi Domine etc.*

75. Illud præterea addendum ad infallibilem efficaciæ orationis certitudinem necessariam minime esse sive actualem, sive habitualem caritatem, ut nonnulli censuerunt, cum hanc conditionem non exposcat orationis substantia; alioquin numquam peccatores exaudirentur, quod est falsum et contra Scripturæ auctoritatem, et adversatur Ecclesiæ praxi. Ratio vero est, quia orationis ius ad impetrandum non fundatur in dignitate personæ orantis, sed in misericordia divina et verbo eius. Numquam propterea peccatores exanimandi sunt aut retrahendi ab oratione, sed magis impellendi sive adhuc in

---

[1]) Serm. LXI. cap. V. n. 6. ed. Maur.

[2]) Loc. cit.

[3]) Uti inter ceteros sensit Joannes Medina, qui in Tract. De Oratione Quæst. XVIII. scribit, quando Deus exaudit orationem habentem debitas conditiones, illum exaudire ex debito iustitiæ: quia, inquit, audit ex promissione.

Digitized by Google

peccatis sint quin advertant, sive advertant et actu doleant, sive actu nec doleant nec proponant, non tamen ita constituti sint, ut aliquando nolint converti et resipiscere, qui sunt tres gradus in quibus inveniri possunt. [1]) Fatendum nihilominus est statum gratiæ utilissimam esse dispositionem ad facilius a Deo beneficia obtinenda. [2])

§. 4. De iis quæ in oratione sunt petenda.

76. *Hoc licet orare,* inquit S. Augustinus, *quod licet desiderare.* [3]) Unde facile patet quæ sint oratione petenda, et quo ordine petenda. Patet nimirum primo et ante omnia petendum esse regnum Dei et iustitiam eius, deinde spiritualia bona tum ad declinandum peccatum, tum ad faciendum bonum pertinentia, utpote quæ necessariam habent et immediatam cum æterna salute connexionem: *demum temporalia quasi quædam adminicula, quibus adiuvemur ad tendendum ad beatitudinem,* ut loquitur S. Thomas, *in quantum scilicet per ea vita spiritualis sustentatur, et in quantum nobis mediate deserviunt ad actus virtutum.* [4]) Hinc discimus temporalia numquam petenda esse, nisi quatenus ea sanctificationi nostræ Deus expedire iudicaverit.

77. Horum vero omnium, quæ a Deo petere possumus ac debemus, formam et exemplar perfectissimum præbet Oratio Dominica ideo dicta quia a Christo Domino ipso tradita. In hac enim oratione, ait S. Thomas, non solum petuntur omnia, quæ recte desiderari possunt, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sic oratio non solum instruat postulare, sed

---

[1]) Cf. Suarez lib. I. cap. XXV., ubi fuse et accurate de his disserit. Verum hic attendendum est ad Quesnelli propositionem LIX. a Clemente XI. confixam in dogmatica Constit. Unigenitus.: *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit est novum iudicium.* Testimonia Scripturarum, quæ a Jansenianis adversus hanc doctrinam afferri consueverunt, ex. gr. Ps. LXV. 18.: *Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus,* Prov. XXVIII. 9.: *Qui declinat aures suas, ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis,* aliaque eiusmodi intelligi debent de peccatoribus, qui formaliter tales sunt, orantque ex prava cordis dispositione, ex pravo fine, vel malam circumstantiam participant. Cf. Viva, et Fontana in Commentariis super hanc propositionem in vindiciis Constit. citatæ.

[2]) Vid. S. Thom. q. 83. art. 16.

[3]) Ep. ad Probam.

[4]) Quæst. cit. art. 6.

Digitized by Google

etiam sit informativa totius nostri affectus. Prosequitur autem S. Doctor docens ordinem eorum, quæ in oratione Dominica petimus, ita se habere, ut primo finem, deinde petamus ea, quæ sunt ad finem. Petimus enim 1° ut Divinum nomen sanctificetur, quod pertinet ad dilectionem, qua Deum in se ipso diligimus; 2° ut adveniat nobis regnum eius, idest, ut regnemus cum illo, quod est optare nostram beatitudinem in Deo assequendam; 3° ut impleatur divina voluntas sic in terra, quemadmodum in cælo, idest, modo perfectissimo; atque ita petimus præcipuum medium ad beatitudinem, nempe mandatorum divinorum observationem. 4° Petimus panem nostrum quotidianum, quod intelligi potest tum de pane supernaturali, tum de necessariis vitæ subsidiis, quæ quidem vitæ subsidia sunt secundaria, et quasi instrumentalia media ad Deum promerendum. In reliquis tribus petitionibus rogamus ut removeantur obstacula, quæ possunt prohibere nos a beatitudine: ac 1° quidem, ut dimittantur nobis peccata admissa; 2° ne inducamur tentationibus in nova peccata; 3° ut liberemur a malis quoque temporalibus, a quibus sine salutis detrimento liberari possimus. [1])

78. Hinc recte D. Augustinus affirmat quod *quælibet alia verba dicamus . . . , nihil aliud dicimus, quam quod in ista dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus. Qui autem dicit in Oratione verbi gratia: Domine multiplica divitias meas, aut: da mihi tantas quantas illi vel illi dedisti, aut: honores meos auge . . . puto eum non invenire in oratione dominica, quo possit hæc vota cooptare. Quamobrem pudeat saltem petere, quæ non pudet cupere.* [2])

79. Ex his patet orationem dominicam tribus partibus constare, scilicet proœmio *(Pater noster qui es in cœlis)*: septem deinde petitionibus quarum duæ sunt circa ipsum ultimum finem nostrum *(sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum)*, quinque autem circa media perducentia ad eum finem, vel per se et proxime *(fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra)*, vel remote scilicet iuvando, ad adimplendam voluntatem Dei.

---

[1]) Q. cit. art. 9. Cf. Suarez De orat. lib. III. c. VIII., ubi fusius hæc ipsa explanat; item Segneri in Manna dell' Anima Mens. Octobris, qui meditationum serie non minus solide, quam eleganter Orationem Dominicam exponit. Præiverat S. Theresia in op. Communio Spirituale.

[2]) Epist. CXXX. ad Probam n. 22. 23.

Digitized by Google

(Panem nostrum quotidianum da nobis hodie), vel per accidens quoque per remotionem obstaculorum *(Dimitte nobis debita nostra — et ne nos inducas in tentationem — sed libera nos a malo)*; demum conclusione *Amen*, quod tantundem valet ac vere, fideliter, fiat.[1])

80. Deprehendimus præterea finem et quæ sunt ad finem posse nos absolute petere, media vero nonnisi conditionate, quatenus ad finem obtinendum inserviunt.[2]) Quum vero bona etiam temporalia ad finem perducere queant, consequitur ea sub hoc respectu peti posse; et quidem etiam determinate, secus ac nonnulli antiqui philosophi autumarint.[3]) Falsum autem est veteres Judæos nonnisi temporalia bona petiisse; contrarium enim ostendunt orationes prophetarum, ac psalmi passim, præsertim vero integer psalmus centesimus decimus octavus, quo ferventissimæ ad Deum preces continentur ad efflagitandam divinam gratiam mandatis Dei servandis omnino necessariam.[4])

§. 5. Pro quibus et a quibus orandum sit.

81. Illud pro certo in primis statuendum est, non pro nobis solis orare nos debere, sed ex præcepto divino pro iis omnibus quos diligere debemus: diligere porro debemus omnes omnino homines in hac vita degentes, qui proximum nostrum constituunt, utpote omnes capaces obtinendi beatitudinem æternam ad quam creati sunt. Id enim aperte constat ex Apostolo iubente *orationes fieri pro omnibus hominibus;*[5]) quia Deus vult omnes homines salvos fieri, et Christus pro omnibus mortuus

---

[1]) Ex veteribus exposuerunt orat. Dominicam: Tertullianus de Orat., S. Cyprianus in expositione orat. Dominicæ., S. Cyrillus Hierosolym. Catech. V. mystag., S. Chrysost. Homil. de orat. Dom., S. Greg. Nyss. item in Homil. de Orat., S. Ambros. lib. III. de Sacram., S. Augustinus lib. II. de serm. Dom. c. V., Cassianus Collat. IX. c. 18 seq., S. Petrus Chrysolog. Serm. 67 seq.

[2]) Necesse non est ut hæc conditio sit expressa: satis enim est ut sit tacita seu implicita.

[3]) Socrates apud Valerium Maximum lib. VII. cap. II.: *Nihil*, dicebat, *ultra petendum a diis immortalibus, quam ut bona tribuerent; quia ii demum scirent quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret.* Opp. Edit. Torren. Leidæ 1726. Sic notum illud: *Dii tibi dent annos, a te nam cetera sumes.*

[4]) Quid id effutierint apud interpretes recoli possunt.

[5]) I. Timoth. II. 1.

Digitized by Google

est; constat præterea ex oratione Dominica in qua plurali nomine, uti advertunt Ecclesiæ Patres, nos docemur in communi pro nobis et pro aliis orare, ac petere æque pro aliis ea ipsa quæ petimus pro nobis ipsis. [1])

82. Ex quo generali principio infertur 1° non modo pro amicis et affinibus, verum etiam pro inimicis et extraneis, imo et nos insectantibus teneri nos preces ad Deum fundere. Quod enim ad inimicos speciatim pertinet, expressum habemus Christi mandatum Matth. V. 44 seq.: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

83. Infertur 2° debere insuper nos orare pro infidelibus, hæreticis, schismaticis et excommunicatis, non quidem tamquam pro Ecclesiæ membris; sed in ordine ad eorum conversionem aut resipiscentiam, ut compotes aliquando fiant æternæ vitæ. Et sane pro his omnibus publice Ecclesia orat feria VI. in Parasceve. [2])

84. Infertur 3° neminem umquam viventium nos excludere posse ab orationibus nostris, quæ collective aut privatim fiant pro communi bono, quia etsi plures paucioresve ex viventibus reprobi futuri sint, cum tamen nos lateat in particulari quinam hoc numero censeantur, uti animadvertit S. Augustinus, [3]) ideo omnibus salutem optare ac prout in nobis est, exorare debemus, neque coniecturæ in contrarium permovere nos possunt.

---

[1]) S. Cyprianus inter ceteros qui in libro de oratione dominica præclare scripsit: *Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister singillatim noluit et privatim precem fieri, ut quis, cum precatur, non pro se tantum precetur. Non enim dicimus: Pater meus qui es in cœlis, nec: Panem meum da mihi hodie .... Publica est nobis et communis oratio; et quando oramus, non pro uno sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus.* Ed. Maur. pag. 205 seq.

[2]) Cf. Auctorem libri de vocatione gentium, qui S. Prosper putatur, lib. I. cap. XIII. De quo videri possunt fratres Ballerini Tom. II. Opp. S. Leonis in admonitione prævia.

[3]) Lib. De corrept. et grat. cap. XV. ubi scribit: *Neque enim scimus quid contingat sequenti die; aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est: aut contradici Deo potest, ne respiciat et det pœnitentiam, et, accepto sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti, a reatu quamvis iustæ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet.*

Digitized by Google

85. Infertur 4° nos ita teneri ad orandum pro recensitis omnibus, uti tenemur eos diligere: iam vero nos haud obstringimur diligere in particulari sed solum in communi; ita debemus pro ipsis in communi orare, non autem tenemur in particulari, ut docet S. Thomas. [1])

86. Hactenus quidem de solis viventibus verba fecimus; quod vero spectat ad vita functos, illud pro rato habendum est: pro animabus in purgatorio degentibus nos orare posse, ac suffragia nostra illis prodesse, ut suo loco ostendimus. [2]) Sic pariter pro certo habendum est minime nos posse pro damnatis orare, quum nulla ipsis salutis spes affulgeat, atque in inferno nulla sit redemptio. Quod Ecclesia facto suo ostendit, quæ numquam pro ipsis orare consuevit, [3]) et Patres docent, inter quos unum laudamus S. Gregorium Magnum, cuius verba hæc sunt: *Eadem causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo angelisque eius æterno supplicio deputatis, quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia pro eis utique, quos æterno deputatos supplicio iam noverunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* [4])

87. Ex quibus luculentissimis verbis deprehendimus, quod refert S. Joan. Damascenus de S. Gregorio quod oraverit pro anima Traiani infidelis et persecutoris iam ante quingentos pæne annos e vita sublati, cuius liberationem impetravit, falsum, aut saltem dubium esse, [5]) nisi velis peculiari Dei instinctui id adscribere, qui profecto nulla lege devincitur.

---

[1]) Q. 25. art. 8. et 9.

[2]) In Tract. de Deo Creatore Part. III. Cap. VI. art. 11., nec non in Tract. de Indulgentiis Propos. IV.

[3]) Quæ contra habentur, suo loco disiecimus. Cf. cit. Tract. de Deo Creat. loc. cit.

[4]) Lib. IV. Dialog. Cap. XLIV.

[5]) Cf. S. Damascenum in orat. de iis, qui in fide obdormierunt §. XVI. Verum hac super re consulendus Le-Quien in Diss. V. Damascenica n. 3., qui veluti fabulas traducit Traiani et Falconillæ liberationes ab inferis. Cf. etiam Dissert. Natalis Alexandri De liberatione commentitia Traiani imperat. ab inferis, in qua hanc propositionem statuit: *Traiani imperatoris ab inferis liberatio Sancti Gregorii precibus commentitia prorsus est, nec a theologo veritatis amante asserenda.* Prostat autem in Thesauro theolog. Zaccariæ Tom. IV. p. 752.

Digitized by Google

88. Quod vero attinet ad hæreticos aut schismaticos defunctos, pro quibus interdum solent eorum propinqui et amici eleemosynas tribuere sacerdoti ut Sacrum pro iis offerat, sunt qui absolute inficientur id fieri posse; alii autem censent id licere dummodo, suppresso ipsorum nomine et sub conditione id fiat, nempe si ultimo vitæ spiritu resipuerint, et interiori saltem Ecclesiæ communione cum Ecclesia communicaverint, seu ut dicitur, anima saltem ad Ecclesiam spectaverint. Res incerta est, nec temere quidpiam est affirmandum. [1])

89. Et hæc quidem quoad eos pro quibus orándum est; nam si sermo sit de iis qui orare possunt, hi sunt omnes qui superiorem habent, et ratione potiuntur. Quocirca nec personis divinis, quæ superiorem non agnoscunt, nec agnoscere possunt, orare competit, [2]) nec brutis quæ ratione destituta sunt: restat igitur ut soli Angeli et homines orare queant. Nihil porro impedit quominus sive Angeli, sive animæ beatorum possint pro nobis orare, ac reipsa in Sacris Litteris exempla suppetunt intercessionis Sanctorum et Angelorum, [3]) et Ecclesia consuevit ipsorum preces et intercessionem efflagitare.

90. De animabus vero in purgatorio degentibus res non adeo est eliquata, quod pro nobis preces fundant, pia tamen fidelium persuasio viget animas illos beneficia nobis a Deo obtinere, [4]) quia licet utpote in statu termini constitutæ pro se

---

[1]) Accepi quod reipsa passim Protestantes præsertim in Germania consueverint a Sacerdotibus catholicis efflagitare suffragia pro suis defunctis, iisdemque offerre eleemosynas ad Sacrum faciendum in eumdem finem. Ceterum cf. Billuart Tom. IV. De relig. Diss. II. art. 6.

[2]) Adeundus hic est Petavius, qui De incarnat. lib. XII. cap. VIII. erudite expendit quæ tum in Sacris Litteris, tum apud Ss. Patres dicuntur de interpellatione Spiritus Sancti pro nobis, tum ipsius Christi, ostenditque eam nonnisi tropice esse intelligendam; interpellationem Christi prout et homo est ac noster mediator atque apud Deum sacerdos, contendit nihil impedire, quominus de vera interpellatione ac oratione pro nobis etiam in cælo facta intelligatur; dumque merito suggillat Origenem qui indigna de modo quo Christus orat effutivit, probat haud paucorum Patrum tum græcorum tum latinorum sententiam, qui statuunt, Christum vere et proprie pro nobis orare, dempto servili modo, qui non competit nisi creaturis.

[3]) Cf. nostrum Tract. de cultu Sanctor. cap. III. Prop. I. et II.

[4]) Cf. Theophylum Raynaudum Heteroclitorum Spiritualium cœ-

Digitized by Google

amplius mereri haud possint, queunt tamen, utpote caritate præditæ ac Deo amicæ, aliquid precibus suis impetrare. Verumtamen fatendum est, Ecclesiam non consuevisse ad ipsarum preces confugere.

§. 6. De modo quo orandum est.

91. Quæ ad modum sive rationem bene recteque orandi referuntur, revocantur a S. Thoma ad pietatem et attentionem.[1]) De utraque breviter nonnulla perstringenda sunt post ea, quæ superius diximus, licet ambæ hæ conditiones per modum unius ad recte orandum concurrant.

92. Et primo quidem pietas requiritur, quatenus qui ad orationem se confert ex fide et caritate permovetur: fide, qua se coram Deo sistit sive ad impetrandum, sive ad consolationem experiendam: caritate autem, quia causa orationis est desiderium caritatis, quo magis ac magis in Deum affectus excitetur. Necesse præterea est ad pietatem, ut actus ipse orandi vacet omni mala circumstantia et conditione, cuiusmodi esset si quidpiam mali, vel ad salutem non pertinens a Deo peteretur; aut si ad malum finem, vel malo modo et supervacaneo multiloquio a Christo reprobato, quidpiam etiam mali peteretur, aliaque eiusmodi.

93. Attentio porro ita comitari debet orationem ex S. Thoma, ut saltem initio precationis habeat quis in animo attendere vel ad Deum quem orat, vel ad sententiam orationis et rem quam petit, et ad verba, si sermo sit de oratione vocali, ne indecenter aberret, neque id animi propositum postea in orationis progressu mutet, aut voluntarie mentem ad aliam rem convertat, quæ orationem impediat.

94. Huiusmodi autem attentio saltem necessaria est, ut oratio et culpa vacet, et impetratoria sit. Ad hoc vero ut oratio consolationem animo afferat, perdurans attentio necessaria est.[2])

---

lestium et infernorum Part. II. sect. 1. 2. et 3. Opp. edit. Lugdun. Tom. XV. Item Bellarminum De Purgat. lib. II. cap. XV. n. 11.

[1]) Q. 83. art. 3. et 4.

[2]) Cf. S. Thom. art. 13., ubi præclare scribit: *Causa orationis est desiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio; quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu vel virtute:*

Digitized by Google

95. Quo referuntur Patrum sententiæ quibus ipsi fideles informabant ad attente pieque orandum. Exemplo sit S. Cyprianus dicens: *Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis?* [1]) Et S. Joan. Chrysostomus qui ut ostendat quanta sit culpa voluntarie in oratione distrahi: *Qui cum rege,* inquit, *terreno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire .... Tu vero cum Rege regum alloquens, cui cum tremore serviunt Angeli, omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris? Nihil enim aliud sunt huius vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? Quis autem te ab hac vindicta liberabit?* [2])

96. Duabus his vero concurrentibus conditionibus, pietate scilicet et attentione, nihil præterea ex parte modi requiritur, ut oratio recta evadat Deoque grata. Adeoque quæcumque circumstantiæ indifferentes sunt sive ex parte actus orandi vocalis aut mentalis, sive ex parte formæ verborum, quibus oretur, sive ex parte temporis quo oretur (nisi præscriptum fuerit in oratione publica), sive ex parte loci, vel gestus corporis in orando.

97. De forma verborum nullum dubium, variam eam esse posse: compertum id est tum ex sacris litteris, in quibus reperimus Apostolos diversam adhibuisse ab illa quam Christus præbuit in admirabili oratione dominica, [3]) tum ex Ecclesiæ praxi, quæ multiplices formulas orandi usurpat. Ex quo deprehendimus non in sensu, quem vocant, exclusivo Christum eam præscripsisse, prout nonnulli hæretici contendunt, [4]) sed *satis est,* uti animadvertit S. Augustinus, *ut sententias in ea expressas licet aliis verbis retineamus.* [5])

---

manet enim virtus huius desiderii in omnibus, quæ ex caritate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur I. Cor. 10.

[1]) In Expos. orat. Dominic. p. 214. ed. Maur.

[2]) Homil I. super illa verba Is. VI. Vidi Dominum. n. 4. Opp. edit. Maur. Tom. VI. p. 101 seq.

[3]) Act. I. 24., item IV. 24. et alibi passim.

[4]) Nonnulli scilicet Protestantes, ex quibus e contra non desunt qui respuant veluti antiquatam vel ipsam orationem Dominicam. Hic est vere progressus!! quin etiam respuunt omnem, quam vocant, orationem formulatam, et hac de causa carpunt Catholicos.

[5]) Ep. CXXX. ad Probam n. 22. et alibi. Sic etiam S. Thom. q. 83. art. 13.

Digitized by Google

98. De tempore res aperta est, posse nos die vel nocte, mane aut vespere, seu quovis tempore in privatis orationibus ad Deum confugere, et puras ad Deum tollere manus, plus minusve in ea immorari iuxta uniuscuiusque necessitatem et devotionem. [1])

99. Idem dic de loco; nempe aut in templo vel extra illud, in propriis cubiculis, seu ubique preces nos fundere posse, ostendunt tum oracula Scripturarum, [2]) tum universalis praxis.

100. Item de gestu seu compositione corporis, sive stando sive genuflectendo, elevatis in cœlum oculis aut demissis, ut ex iisdem rationibus evincitur. [3])

101. Ex quibus refelluntur nugæ nonnullorum etiam antiquiorum hæreticorum qui autumarunt aut nullam aliam orationem esse usurpandam præter Dominicam, [4]) aut eamdem non sæpe iterandam prout Catholici facere consueverunt, [5]) aut nonnisi vulgari lingua. [6]) Exploduntur præterea absurdissima aliorum commenta, qui contenderunt orandum non esse in domibus coniugatorum, neque in Ecclesia, sed solum in privatis cubiculis; aut numquam flexis genibus, sed solummodo stando debere fundi preces; aut numquam cessandum ab oratione donec peccatum ut fumus, vel ignis aut draco expellatur.[7]) Hæc porro refellere esset temporis iacturam facere: verum illud emolumenti saltem ex eiusmodi nugis et commentis capere possumus quo homines ducantur dum Ecclesiæ perduelles privatum suum sensum consectantur.

---

[1]) S. Thom. ib. art. 14.

[2]) Ceteris enim omissis, Apostolus in I. ad Timoth. II. 8. scribit: *Volo ergo vtros orare in omni loco.*

[3]) Cf. Greg. de Valent. Disp. VI. q. 2. puncto 9.

[4]) Uti Borgomiles. Cf. De Valentia ibid. p. 1393.

[5]) Ut Calvinus lib. 3. Institut. Cap. 20. §. 29.

[6]) Ut ibid. §. 33.

[7]) Cf. hæc omnia apud Gregorium de Valentia loc. cit. Si tamen vacat his hæreticorum nugis immorari.

Digitized by Google

Articulus II.

De Oratione vocali, præcipue autem de recitatione horarum canonicarum.

102. Oratio vocalis illa dicitur, quæ verborum prolatione absolvitur ad discrimen orationis mentalis, quæ tota in sola mente consistit. Oratio vocalis autem adhibetur potissimum ad mentis nostræ conceptus voce exprimendos, quo fit ut nos excitemus, quo cultum Deo non solum anima, verum etiam corpore exhibeamus. Hanc vero orationem persuadent nobis ipsæ Sacræ Litteræ. Nam Apostolus Philipp. IV. 6.: *Petitiones vestræ,* scribit, *innotescant apud Deum tum quæ spiritu tum quæ corpore fiunt,* iuxta illud Oseæ XIV. 3.: *Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: et reddemus vitulos labiorum nostrorum,* quibus consonat illud Psalmi L. 17.: *Domine, labia mea aperies, et os meum annutiabit laudem tuam,* ac demum Hebr. VII. 15.: *Offeramus hostias laudis Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Eiusmodi autem orandi ratio si debita fide ac intentione fiat, non potest non esse sancta et acceptabilis Deo.

103. Potest autem vocalis oratio privata aut publica esse. Privata illa est, quam quisque pro se aut pro aliqua peculiari persona, aut privato negotio Deo fundit: publica vero quæ ab aliquo tamquam Ecclesiæ ministro et ex Ecclesiæ nomine fit. Nos de hac peculiari ratione disserere intendimus, quæque potissimum horarum canonicarum recitatione continetur. Cum nostri autem instituti non sit quæstiones morales agitare, de quibus moralis Theologiæ institutores agunt, nos coarctabimus ad horarum canonicarum naturam, earumque originem et obligationem exponendam, modum denique seu rationem, quà huic obligationi satisfieri debeat. Quæ quidem capita singulis paragraphis more nostro persequemur.

§. 1. De notione ac natura horarum canonicarum.

104. Horarum canonicarum nomine veniunt preces vocales ac publicæ ex sacrorum canonum præscripto ab ecclesiasticis potissimum personis nomine Ecclesiæ Deo persolvendæ.

105. Preces vocales ideo dicuntur, quod voce, non autem sola mente, sint recitandæ, ac publicæ, quia licet pri-

Digitized by Google

vatim in cubiculo persolvantur, attamen Ecclesiæ nomine et a personis ab ea deputatis funduntur, et in commune bonum.

106. Ex sacrorum canonum præscripto, quia tum a conciliorum canonibus tum a Rom. Pontificum sanctionibus constitutæ sunt, et quidem ad certam formam seu regulam determinatam sunt exigendæ. Qua de causa etiam canonicæ eiusmodi preces nuncupantur.

107. Ab ecclesiasticis potissimum personis, quia ut plurimum et ordinarie ab ecclesiasticis huiusmodi pensum persolvendum est tum viris tum mulieribus, sanctimonialibus scilicet choro addictis. Quo etiam fit, ut passim officium ecclesiasticum dicatur.

108. Demum nomine Ecclesiæ Deo persolvendæ dicuntur, quia his publicus Deo ab Ecclesia per ministros suos cultus exhibetur.

109. Ideo vero Horæ vulgo eiusmodi preces nuncupantur, quod in varias distinctasque diei aut noctis horas, seu tempora sunt distributæ. Hæ porro horæ seu tempora septem communiter numerantur: Matutinum nempe cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium iuxta illud Psalmi: *Septies in die laudem dixi tibi.* Eiusmodi autem distributio sive ad recolenda potiora Dei beneficia creationis nimirum, conservationis, redemptionis, prædestinationis, vocationis, iustificationis et glorificationis facta est, aut ut aliis magis arridet ad septem præcipua mysteria Dominicæ passionis memoranda quæ his verbis continentur:

Hæc sunt septem, propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina solvit,
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit. [1])

110. Breviarii nomine harum horarum complexio designari consuevit, aut quia utriusque Testamenti lectiones, Patrum homilias breviores in singulos anni dies distributas continet, aut quia in compendium et breviorem formam redactæ sunt prolixiores quæ olim obtinebant publicæ preces. [2]) Antiquitus nuncupabantur horæ canonicæ Opus Dei, aut Cursus

[1]) Apud Glossam Cap. X. de celebr. Missar.
[2]) Cf. Collet art. 8. sect. 1. de horis etc.

Digitized by Google

ecclesiasticus, aut simpliciter officium, aut officium divinum, prout etiam nunc obtinet, interdum Psalterium.

111. Si vero sermo sit de partibus quibus componitur seu constat hoc divinum officium, dicimus quatuor potissimum, nempe psalmis, lectionibus, hymnis et oratione, collecta etiam nuncupata, quatenus communia vota populi in unum colligit, ac Deo exhibet sacerdotum ministerio, aut eorum qui ad hoc munus persolvendum adstringuntur. [1])

§. 2. De origine et obligatione horarum canonicarum.

112. De divini officii seu horarum canonicarum disserentes origine sedulo distinguamus oportet substantiam a forma ac ordine earundem.

113. Substantiam spectantes nulli dubium esse potest officii divini recitationem ab Apostolis et apostolicis viris repetendum esse; siquidem constat ex Christi exhortatione ad semper orandum cœpisse Apostolos orationi instare, [2]) ad horariam quamdam orationis distributionem sese accomodasse patet ex eo quod legamus, *Petrum et Joannem ascendisse in templum ad horam orationis nonam;* [3]) item *Petrum ascendisse in superiora, ut oraret circa horam orationis sextam,* [4]) *media nocte Paulum et Silam orasse laudantes Deum;* [5]) quibus consonant, quæ scripsit Apostolus ad Colossenses: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* [6]) Jam in constitutionibus apostolicis nuncupatis reperimus constitutum, ut convocarentur in ædibus dominicis ad psallendum mane et vespere singulis

---

[1]) Præter recensita nomina, quibus hoc munus designatum est, plura alia occurrunt apud veteres. Verum etsi verbis differant, prout adnotat Bellarminus lib. I. De bonis operibus c. X. n. 5., in eo conveniunt, quod *officium divinum sit certa ratio publice laudandi, precandique Deum, mente simul et voce, auctoritate Præsulum Ecclesiæ instituta.* Qui deinde pergit cetera quæ ad idem officium spectant explanare cap. XI. et seqq., quæque nos pro instituto nostro vix attigimus. Ac fusius et plenius adhuc de hoc argumento pertractat Suarezius toto libro V., qui est de oratione publica.

[2]) Act. VI. 4.

[3]) Ibid. III. 1.

[4]) Ibid. X. 9.

[5]) Ibid. XV. 25.

[6]) Coloss. III. 16.

Digitized by Google

diebus, præcipue vero sabbato et Dominica die, [1]) et iterum precationes præscribuntur faciendæ mane, tertia, sexta, nona, vespere et ad galli cantum. [2])

114. Omisso porro, quod de S. Ignatio M. referunt Theodoretus et Socrates, quod ex angelica visione didicerit formam alternatim canendi laudes in honorem Ss. Trinitatis, utpote incertum, Clemens Alex. meminit earundem horarum definitarum, [3]) Tertullianus circa an. 245 exemplo Christi et Apostolorum docens, nos monet ad preces canonicas rite agendas, [4]) et in lib. de orat.: *De tempore,* inquit, *non erit otiosa extrinsecus observatio etiam horarum quarumdam, istarum dico communium, quæ diem inter spatia signant, Tertia, Sexta, Nona, quas solemniores in Scripturis invenire est.* [5]) S. vero Cyprianus circa an. 258 præter accurate designata precum tempora, mysticas quoque horarum canonicarum rationes evolvit. [6]) Et ita porro continenter singula sæcula ad ætatem usque hanc nostram sibi succedunt istius institutionis documenta [7]) in utraque ecclesia, orientali et occidentali.

115. Et hæc quidem quoad substantiam: quod vero spectat ad formam determinatam, quæ iam a pluribus sæculis obtinet, illud generatim dici potest, nonnisi pedetentim eam evolutam esse ac firmatam. Nam ab initio nonnisi psalmodia in usu fuit, postea vero additi hymni, ex præscripto deinceps conciliorum Laodiceni ac Nicæni I. additæ fuerunt lectiones ex

---

[1]) Lib. II. c. 59.

[2]) Lib. VIII. c. 34. ubi exhibetur ratio eiusdem distributionis.

[3]) Lib. VII. Strom. pag. 722. Edit. Sylburgii Lutet. Paris. 1641.

[4]) Lib. II. ad uxor. cap. VIII.

[5]) Cap. XXV. Eadem repetit in lib. de ieiunio c. 10.

[6]) De orat. Domin. Ed. Maur. p. 214. 215.

[7]) Hæc ingenti studio ac labore collegit eruditissimus dominus Roskovány in opere quod inscripsit: Cœlibatus et Breviarium toto Tomo V. a pag. I. ad CXXXIV., ac deinceps a pag. 1. ad 1068. Singillatim documenta refert: quibus deinde a pag. 1068 ad pag. 1268 adiecit litteraturam de Breviario per singula sæcula, seu a sæc. I. usque ad sæc. XIX. inclusive, recensens omnes qui ad Breviarii confectionem et perfectionem contulerunt, nec non scriptores omnes qui sive pro sive contra Breviarium aliquid litteris consignarunt. Qui propterea cupit hac in re sitim suam explere hoc opus consulat, quod editum est Pestini 1861. Profiteor me ex præclarissimo hoc auctore, cuius amicitia fruor, haud pauca hausisse in usum meum in hoc articulo.

Digitized by Google

utroque tamen, vetere ac novo Testamento tantum desumptæ.[1]) Et sic paulatim adiectæ aliæ lectiones ex actis martyrum, quæ publica in ecclesia legi consueverunt, responsoria, antiphonæ, capitula. Varia item fuit in diversis ecclesiis eiusmodi horarum canonicarum recitandarum ratio in Oriente atque Occidente, donec opera potissimum Rom. Pontificum, inter quos eminent Innocentius I. et Cœlestinus I. horumque insistentes vestigiis ipsorum successores usque ad S. Pium V. et Clementem VIII., ad quamdam uniformitatem composita fuit et exacta ad liturgiam Ecclesiæ Romanæ, tandem in universo fere occidente generalis est effecta. [2]) Atque etiam nuper sub Pontifice Pio IX. in plerisque Galliarum diœcesibus Romanum breviarium adoptatum fuit.[3]) Sæpe vero eorumdem Summorum Præsulum sollicitudine et cura breviarium romanum reformationes et emendationes subiit, donec pervenerit ad eam meliorem formam, in qua nunc est.[4])

116. Quod dictum est de forma, idem dicendum de obligatione, quæ primum consuetudine vim legis obtinente invaluit; mox vero Concilia, Patres, Romanique Pontifices indesinenter eam firmarunt, ac demum formali lege officii recitandi quotidie obligationem statuerunt, quam non solum sub gravi præcepto, verum etiam pœnarum sanctione sacris ordinibus initiatis imposuerunt.

117. Nam huius obligationis sanctiones habemus sæc. VI. in in pluribus Conciliis particularibus, in Galliis nempe Agathensi, in Hispania in Tarraconensi II. et Bracarensibus I. et II., in Africa sub s. Fulgentio, episcopo Ruspensi, in Romana ecclesia a Pelagio II. Idem dic de subsequentibus sæculis usque ad an. 1212., quo celebratum fuit Concilium Œcumenicum Lateranense IV., in quo sub pœna suspensionis obligantur clerici et prælati omnes, ut et diurnum et nocturnum officium rite peragerent.[5]) De sequioribus sæculis nulla amplius subest de gravi hac obligatione omnibus imposita dubitatio. Ex hac ætate tum Romani

---

[1]) An. 320—21 vid. Roskovány pag. 9 seq.

[2]) Ibid. pag. 11—19 seq.

[3]) Ibid. pag. 825 seq.

[4]) Nonnullos sacerdotes obluctantes nacta est, præsertim vero in Archidiœcesi Lugdunensi his annis breviarii Romani adoptio. Verum omnia demum fuerunt rite composita. Longum foret universam hanc historiam texere, cuius curam aliis relinquimus.

[5]) Ibid. pag. 24—57.

Digitized by Google

Præsules, tum Œcumenica Concilia, nominatim vero Lateranense V. an. 1514. et Tridentinum non modo institerunt observationi istius obligationis, verum etiam decreverunt ut beneficiati divinum officium recitare omittentes fructus beneficii pro rata temporis non faciant suos, ac veluti iniuste perceptos in fabricas beneficiorum, aut eleemosynas pauperum erogare teneantur; [1]) idem statuit quoad distributiones. [2])

§. 3. De modo quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ.

118. Admirabilia prorsus ac pietatis plena sunt, quæ in antiquitatis monumentis reperiuntur de ratione, qua a viris sanctis horæ canonicæ absolvebantur. In vitis veterum Patrum inter cetera refert Gregorius Turonensis de Portiano Abbate, eum oblatum sibi sitienti in itinere potum reiecisse, quod necdum Domino debitam psalmorum decantationem exsolvisset. [3]) Certatim Patres ad pietatem excitandam fovendamque in hoc munere rite sancteque obeundo tractatus ediderunt, [4]) illudque omni, qua possunt, ope extollunt, ut Deo exinde dignus honor reddatur et cultus.

119. Fides proinde et caritas veluti spiritus atque anima, ut ita loquar, informare deberent sanctum hoc opus clericorum, ac nobis sufficere, et nos rectam edocere rationem, qua eiusmodi pensum exsolvamus, quin determinata et peculiaris aliqua norma præbeatur: fide enim et caritate deficientibus, nulla est certa ratio quæ possit supplere. Ne tamen, quæ a Theologis assignari solent, regulas plane negligere videamur, nonnulla de illis adiciemus scitu maxime necessaria.

120. Hæ revocantur ad intentionem et attentionem. Intentio est actus voluntatis aliquid faciendi: attentio vero actus est intellectus, seu consideratio aut advertentia mentis ad aliquid.

121. Intentio trifariam distinguitur, nempe in actualem, virtualem et habitualem. Actualis est, cum quis actu et de facto aliquid vult facere, idque dupliciter intelligi potest, sci-

---

[1]) Ibid. pag. 45.
[2]) Ibid. pag. 46—154.
[3]) Greg. Turon. in Vitis Patrum Cap. V. de sancto Portiano abbate.
[4]) Hi recoli possunt apud Roskovány op. cit., ubi magno numero collecti hi reperiuntur.

Digitized by Google

licet vel explicite et formaliter, ut cum quis dicit: hoc intendo aut volo, vel implicite et interpretative actu exercito, ut cum quis ad tempus aut ad obligationem recitandi officii advertens sumit breviarium, aperit, recitanda quærit ac recitat, etsi expresse non dicat: intendo officium persolvere, aut ad intentionem reflectat. Virtualis ea est, quæ vi præcedentis actus perseverat. Tamdiu autem perdurat, quamdiu opus incœptum continuatur, nec revocata est sive directe per contrariam intentionem, vel indirecte per opus incompossibile. Habitualis illa censetur, qua ex materiali habitu quidpiam fit, ac reperiri potest etiam in dormientibus, ebriis, amentibus, qui ex assuetudine interdum loquuntur, orant, disputant etc.

122. Jam vero aliquam intentionem orandi et colendi Deum ille habeat necesse est, qui ad officium recitandum accedit. Siquidem horarum recitatio ab Ecclesia præcipitur ut actus religionis, quæ habet pro obiecto cultum et honorem Dei, adeoque id sibi proponere ac intendere debet, qui muneri huic vult satisfacere.

123. Attentio, quæ est altera conditio ad persolvendas horas canonicas requisita, triplex est, nimirum aut superficialis, qua attenditur ad verba, ne quis in eis erret; aut litteralis, qua attenditur ad sensum verborum; aut denique spiritualis, qua ad finem orationis attenditur, seu ad Deum, ad rem pro qua oratur, aut ad ea quæ quoquomodo illuc pertinent, cuiusmodi sunt mysteria, virtutes, cælestis patria, aliaque similia. Harum quælibet pariter est, uti intentio, actualis, aut virtualis aut habitualis, eique applicari debent quæ de intentionis necessitate ac sufficientia diximus. Ceterum consentiunt theologi omnes, ad satisfaciendum præcepto de horis canonicis haud esse necessariam attentionem litteralem, cum non pauci assequendæ verborum significationi impares sint; reliquas vero duas, scilicet superficialem et spiritualem, quod omnes teneantur procurare, pariter doctores assentiunt; imo de spirituali pronunciat S. Thomas: *Est maxime necessaria, et hanc etiam habere possunt idiotæ; et quandoque in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, ut etiam aliorum omnium obliviscatur, sicut dicit Hugo de sancto Victore.*[1]) Itaque tum attentio superficialis, tum attentio spiritualis necessario requiruntur ad rite persolvendas horas canonicas, saltem vir-

[1]) II. 2. q. 83. art. 13.

Digitized by Google

tualiter, seu animo orandi et colendi Deum; alioquin nec satisfit præcepto, nec pie decenterque oratur. [1])

124. Dixi: nec satisfit præcepto. Etenim a Concilio Lateranensi IV. datum est præceptum de modo recitandi officium illis verbis: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote.* [2]) Ac reipsa de vero præcepto complectente modum persolvendi horas canonicas communi calculo theologi eiusmodi verba exponunt, [3]) idque suadet tenor ipsorum verborum: districte præcipientes in virtute obedientiæ; obiectum vero huius præcepti esse modum, studiose nempe et devote recitandi officium, ex eo evincitur, quod non attingat horas ipsas in se absolute, cum iam longe ante obtinuerit, adeoque solum afficit reipsa rationem seu modum recitandi; alioquin nihil constitutum a concilio fuisset.

125. Hic porro modus duo complectitur, attentionem seu devotionem externam et internam. Externa quidem præter decentem corporis compositionem et modestam, exposcit prolationem verborum distincte absque syllabarum confusione, et ita clare, ut facile percipi possit. [4]) Interna vero exposcit quandam mentis applicationem aut ad verba, aut ad Deum resque divinas, prout paulo ante expositum est in generali attentionis notione.

---

[1]) Quod nominatim spectat ad spiritualem attentionem, si presse vox hæc sumatur, non desunt optimæ notæ auctores, qui illam absolute necessariam ad satisfaciendum obligationi inficientur, inter quos S. Alphonsus lib. IV. n. 176. et seq. Omnes tamen uno ore consentiunt, eam esse procurandam.

[2]) Refertur in Jure cap. Dolentes lib. III. decretal. tit. 41. de celebrat. Missar. ubi Glossa subdit: Studiose quoad officium oris, devote quoad officium cordis.

[3]) Cf. apud Gregor. de Valentia Disp. VI. q. 11. de orat. Puncto X. §. 4.

[4]) Cf. S. Alphonsum, qui lib. IV. cap. II n. 163. tenet tamquam probabiliorem sententiam illorum theologorum, qui censent satisfieri obligationi recitationis officii ab iis, qui ita verba proferunt ut a se ipsis non audiantur. Ad huius sententiæ confirmationem affert auctoritatem Sylvii ita scribentis: *Sufficit etiam, si te non audias, quia nullo iure probatur recitantem horas teneri ad se audiendum, cum præceptum obliget ad dicendum non ad audiendum horas.*

Digitized by Google

126. Nunc vero, quod spectat ad attentionem externam, deficeret ille qui, dum divinum recitat officium, distineretur occupatione aliqua externa incompossibili cum oratione, ut si eodem tempore aut legeret, aut scriberet, aut confabularetur aliaque eiusmodi perageret, quæ mentem omnino distraherent et abalienarent ab eo, quod præstare intenderet. Peccaret proinde pro ratione temporis quod ita transigeret plus minusve, nec officio suo satisfaceret. Quæ quidem intelligi debent de eo, qui voluntarie et cum advertentia ita se gereret; nam qui mentis evagationem nolens pateretur, profecto inculpabilis is esset, aut alicuius negligentiæ tantum incusari deberet, nec muneri suo deesse censendus foret. Idem dici de eo deberet qui exteriori aliqua occupatione detineretur, quæ cum oratione componi posset: dum ex. gr. vestes induit, deambulat aliaque eiusmodi peragit, quæ mentem per se non distrahunt impediuntve.

127. Quod vero attinet ad attentionem internam, eam pariter requiri, virtualem saltem, ex præcepto, communior doctorum sententia est iuxta dicta. Qui proinde voluntarie ac data opera seu cum advertentia mentem ab oratione distraheret, nec ullo modo ad Deum attenderet, is profecto actum religionis, qui in colendo ac honorando Deo consistit, non eliceret: quem tamen actum præcipit ac iniungit Ecclesia dum declaravit studiose ac devote horas canonicas persolvendas.[1])

128. Qui directe inter orandum meditaretur aliquod mysterium divinum, ut Christi passionem, aliaque eiusmodi, is rite persolveret officium: siquidem quodcumque fidei nostræ mysterium aptum est ad excitandam, quæ requiritur, devotionem et attentionem ad Deum. Imo hæc praxis iis consulenda qui non satis, aut nullimode callent linguam latinam, ut animum recollectum servent. [2])

---

[1]) Etiam Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. XII. commendat, ut clerici compellantur ad divina officia: *Atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Reverenter quoad corporis compositionem; distincte quoad rectam verborum pronunciationem; devote quoad internam collectionem.

[2]) Ad solamen eorum qui inter orandum, ac proinde inter persolvendum officium divinum involuntarias patiuntur mentis evagationes lubet subiicere, quæ scribit S. Augustinus Enarr. in Ps. CXLII. n. 18.: *Ferat,* inquit, *quisque cor suum et intueatur se sine adulatione et palpatione . . . Attendat ergo et videat, quanta*

Digitized by Google

129. Obiici solet adversus necessitatem internæ attentionis ad satisfaciendum præcepto de horarum canonicarum recitatione: 1° Ecclesiam præcipere non posse actus mere internos; 2° orationem vocalem veram adhuc orationem esse sine attentione interna; 3° item recitationem horarum quatenus nomine et imperio Ecclesiæ fit, modo exterius devote persolvatur, Deum laudare, et aliquid a Deo impetrare; 4° non esse imponendam gravem obligationem sine clara lege, quæ tamen iuxta non paucos gravesque auctores in adductis Concilii Lateranensis verbis non continetur, ut, reliquis omissis, patet ex eorumdem explanatione quam exhibet S. Antoninus scribens: *Ecclesiam ibi apponere consilium fragilitati humanæ, quasi dicat: præcipimus ut unusquisque de die et de nocte dicat horas suas; attentionem autem et devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendam.*[1])

130. Verum ad 1. Resp., heic non agi de actu mere interno, sed de actu qui necessarius est ad actum externum in suo esse constituendum, quem proinde, indirecte saltem, Ecclesia præcipere potest. [2])

---

agantur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum .... Diceret unusquisque sibi contingere et alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis Dei David orantem quodam in loco, et dicentem: Quoniam inveni, Domine, cor meum ut orarem ad te. (II. Reg. 7.) *Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere et clamare ad Deum: Quoniam cor meum dereliquit me.* (Ps. 39.) *Itaque, Fratres mei, attendens quod ait: Jucunda animam servi tui, quoniam ad te levavi animam meam, quoniam tu suavis et mitis es* (Ps. 85.), *videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, et expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate et exaudit, nec meminit tantas, quas incondite fundimus, et accipit unam quam vix invenimus.*

[1]) III. part. tit. 13. cap. IV. de horis canonicis §. 7.

[2]) Cf. Suarez de legibus lib. IV. cap. XIII. n. 12., ubi infert velut corollarium ex præmissis: *beneficiatum voluntarie recitantem officium sine attentione non implere præceptum Ecclesiæ, etiamsi nullum signum externum illius distractionis exhibeat, nec faciat actionem aliquam externam prohibitam ... Nam ille sine dubio peccat mortaliter sic recitando, nisi iterum recitet intra tempus habile.* Latius vero de his agit de relig.

Digitized by Google

131. Ad 2. Esto quod vera oratio absque interna intentione adesse possit, non tamen illa habetur devota oratio, quam Ecclesia præcipit, nec sine eiusmodi interna attentione Deo illa exhibetur reverentia, atque subiectio, quæ est pars essentialis orationis iuxta S. Thomam. [1])

132. Ad 3. Neg. Esset enim simulacrum orationis, non autem oratio proprie dicta, neque Ecclesia tale simulacrum iniungit. Huc enim referri possent prophetæ, imo et ipsius Christi verba: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* [2])

133. Ad 4. Negamus claram et explicitam non esse Ecclesiæ legem circa modum persolvendi horas canonicas, uti ex adductis Concilii Lateranensis verbis manifestum fit. Quod si graves non desunt auctores, qui contrarium sentiunt, aut sunt intelligendi de actuali attentione, ut S. Antoninus, [3]) quæ profecto necessaria non est, cum sufficiat virtualis, aut benigna aliqua interpretatione debent exponi. Id unum ex diversitate hac sententiarum inferri posset, haud esse ad restitutionem fructuum obligandos beneficiatos, qui hac ratione officium recitarent. [4])

134. Si quis vero quærat, utrum peccet, qui voluntarie se distraheret in oratione ad quam ex debito non tenetur? Resp. non teneri quidem illum attente orare ex præcepto affirmativo, et sub hoc respectu non destitueretur nisi fructu

---

tract. IV. lib. IV. cap. 16 seq. Cf. etiam Billuart de relig. diss. II. §. VIII.

[1]) Q. 83. art. 13.

[2]) Isai. XXIX. 13. coll. Matth. XV. 8.

[3]) Cf. Billuart loc. cit. Hæc videtur ratio conciliandi secum ipsum S. Antoninum, qui in part. II. tit. IV. cap. 7. §. 3. pag. 615 edit. Veron. 1740. aperte scribit: *Clerici quoque et religiosi, qui dicunt officium divinum... si voluntarie mente distrahuntur, hypocrisis est: quia ex ipso actu ostendunt se divinis vacare, quum tamen mentem habeant ad inutilia et vana.... Quod utique grave peccatum est et magna Dei irreverentia.* Cf. adnotationem sub num. 9. edit. Ballerinorum ad obiectum S. Antonini locum ex IV. part. tit. 13. §. 7. pag. 583.

[4]) Cf. Suarez lib. IV. cap. XXVI. qui tamen n. 32. contrariam tenet sententiam. Contra vero S. Alphonsus lib. III. n. 669. probabile esse censet ob auctorum discrepantiam, non teneri hoc in casu beneficiatum ad restitutionem, ut paulo ante adnotavimus.

Digitized by Google

orationis ac merito, teneri tamen ex præcepto negativo virtutis religionis, quo prohibentur omnes erga Deum irreverentiæ. Nam etsi liber quis sit ut oret aut non oret, in hypothesi tamen quod velit orare, tenetur ea compositione ac reverentia orare quæ Deum decet, ne Deum inhonoret. Idque contingit in quovis morali opere libero, quod in potestate agentis est ponere aut non ponere; verum si ponat, debet ad normam moralis honestatis illud exercere, alioquin utique peccaret, saltem ex defectu finis debiti. [1])

Et hæc quidem pro instituto nostro de oratione vocali dicta satis sint. Qui plura expetit consulat AA., qui data opera de his agunt.

Articulus III.

De oratione mentali.

135. Vix aut nullatenus fieri potest, ut oratio vocalis, adeo christiano homini necessaria, rite, id est debita interiori attentione ac devotione persolvatur absque aliqua saltem meditatione. Qua de causa proposui aliquid circa orationem mentalem hic adiicere, ut viros præsertim ecclesiasticos ad illam alliciam. De ea propterea exponemus maiori qua fieri poterit brevitate: quid sit, quæ eius utilitas, immo et necessitas, et demum quanam ratione sit peragenda, ut optatum ex ipsa fructum percipiamus. Hæc porro totidem paragraphis singillatim persequemur.

§. 1. De meditatione seu oratione mentali in se.

136. Oratio mentalis ea est quæ mente perficitur, intellectu et voluntate; eius obiectum materiale complectitur omnes actus interiores quibus Deus religiose coli potest, et ad virtutes omnes se extendit, maxime fidei, spei, caritatis, obedientiæ ac reverentiæ in Deum, pœnitentiæ et humilitatis ceterarumque. Formaliter vero, quatenus oratio est, habet pro fine proximo vel divinum cultum, vel unionem cum Deo per devotionem, et vel ex religione esse potest, vel ex caritate.

137. Quatuor partes in ea distinguit S. Bernardus, seu potius vetus auctor, lectionem, meditationem, orationem et contemplationem his verbis: *Lectio quasi solidum cibum ori apponit,*

---

[1]) Ibid. lib. III. cap. IV.

Digitized by Google

meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat et reficit. [1])

In his lectio suppeditat materiam, circa quam orans versari seu occupari debet, atque spectatur veluti præparatio et exterius exercitium nos introducens ad meditationem iuxta monitum Ecclesiastici: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* [2]) Hinc citatus auctor prosequitur: *Lectio quasi fundamentum primo occurrit, et data materia mittit ad meditationem.* Et iterum: *Lectio secundum exterius exercitium, meditatio secundum interiorem intellectum.* [3])

138. Meditatio definiri generatim consuevit: Occultæ veritatis studiosa investigatio; [4]) in specie autem, prout constituit partem orationis, debet ex fide procedere et ad Deum tendere, ut eum colat et honore prosequatur. Hinc ante omnia qui meditari proponit, necesse est ut viva fide se coram Deo sistat iuxta illud sacri Psaltis: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper,* [5]) ac non tam ad cognoscendum quam ad amandum practice dirigatur.

139. Duo eius præcipue effectus proximi sunt, quorum unus ad intellectum, alter ad affectum pertinent, quos recenset David dicens: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.* [6]) Adeoque sapientia et prudentia constituunt primum effectum spectantem ad intellectum: sapientia quidem ope ratiocinationum, quæ ad mentem illuminandam concurrunt; prudentia vero, quæ exinde comparatur, et recte concluditur, quid desiderandum sit, quid timendum, quid petendum, quomodo homo de se ipso sentire debeat, quomodo de Deo, quomodo de honore, de divitiis, de fama, de gloria, de rebus denique omnibus caducis et æternis. [7]) Alter effectus ad voluntatem seu ad affectum pertinens constituitur ex compunctione et devotione. Quo referuntur eiusdem sacri Psaltis verba: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* [8]) Sic vero hæc inter se ordinantur, uti adductus auctor

---

[1]) In libello de modo orandi, qui olim adscriptus fuit S. Augustino sub titulo: Scala paradisi.

[2]) Eccl. XVIII. 23.

[3]) Ibid. apud Suarez lib. II. n. 2.

[4]) Ita auctor operis S. Augustino adscripti de spiritu et anima.

[5]) Ps. XVIII. 15. [6]) Ps. XLVIII. 4.

[7]) Cf. Suarez. ib. n. 7.

[8]) Ps. XXXVIII. 4. Solent utique verba hæc a mysticis accipi in

Digitized by Google

exponit: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem.* Sane, ut idem prosequitur, *compunctio est quando ex consideratione suorum malorum cor interno dolore tangitur, devotio est pius et humilis affectus in Deum, humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ.* [1])

140. Exinde fit, ut suapte natura meditationi vacans in orationem prorumpat, seu petitionem, qua Deum exoret, ut imbecillitati ac infirmitati suæ suppetias ferat, ne deficiat. Titulos seu motiva ad permovendum Deum, ut sibi propitius sit, ab intellectu proposita evolvit, ut quod optat, ac sibi deesse sentit, obtineat. Hos porro titulos interdum ex parte Dei, interdum vero ex parte Christi aut etiam Sanctorum, ac demum ex parte propriæ infirmitatis ut plurimum eruere, ac Deo repræsentare consuevit. Ex parte quidem Dei eius promissiones, bonitas ac misericordia, ac beneficentia, quibus nos prævenit allegari possunt, perinde ac ipsius invitatio ad petendum, et gloria, quæ in eum redundat ex sua exauditione. Ex parte autem Christi præsto oranti sunt eius merita, qui mediator Dei et hominum est, ex ipso et per ipsum omnis gratia provenit, prout Ecclesia omnes petitiones suas per Christum Dominum nostrum offerre solet. Merita Sanctorum adiici etiam possunt, utpote qui Deo sunt amicitia coniuncti, atque apud ipsum intercessores nostri. Ex parte denique infirmitatis seu miseriæ nostræ sese offerunt innumera, ut ita loquar, incitamenta, quibus Dei misericordiam flectere possimus: nostra in malum pronitas, tenebræ in quibus versamur, imbecillitas et ægritudo, aliaque eiusmodi, ob quæ ingemiscimus ad iugem opem implorandum, qua summopere indigemus iuxta illud Ezechiæ: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.* [2]) Sicque amico nexu meditatio et oratio devinciuntur.

---

bonum sensum, ita ut ex rerum divinarum meditatione affectus excitetur; si tamen in sensu litterali intelligantur, et ad mentem prophetæ redigantur, sic exponi debent: Cum ipse mecum cogitarem, aut tacitus mecum ipse loquerer, atque commemorarem huius peccatoris iniuriam, indignationis ardor mihi in animo accensus est. Sæpe enim fit, ut, cum iniuria afficimur, fortes simus, iniuriæ postea commemoratione ad iram exardescamus. Hinc Symmachus hæc verba ita transtulit: *Dum tacitus mecum commemorarem, et animo revolverem, urebar igni.* Cf. Agellium, comment. in Psalmos in hunc loc.

[1]) Apud Suarez ibid. [2]) Isai. XXXVIII. 14.

Digitized by Google

141. Superest ut quidpiam leviter saltem attingamus de quarta meditationis parte, quæ est contemplatio atque spectari potest uti fructus ac terminus ipsius meditationis seu orationis mentalis. Est autem contemplatio delectatio de Deo, quæ in voluntate est, et plane idem videtur esse quod devotio,[1]) ad eamque concurrunt actus intellectus et voluntatis, et ab auctore superius citato sub S. Bernardi nomine dicitur contemplatio: *Mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.*[2]) S. Thomas substantiam et essentiam ponit in uno intellectus actu, qui est veritatis divinæ intuitio seu inspectio intellectualis, reliquos vero actus ait vel antecedere vel subsequi actum contemplationis, illique aliquo modo deservire.[3]) Ex quo patet, proprie dictam contemplationem theologicam non solum speculativam esse, ut sistat in Deo tamquam obiecto intelligibili, sed practicam esse, prout est dignus gloria, honore etc., ac propterea necessario habere coniunctum voluntatis actum.

142. Ex hac porro contemplationis notione pronum est inferre: 1° maxime eam amari posse ac debere ex affectu caritatis in Deum ipsum, quatenus amicitiæ proprium est uniri amico, et adesse illi, atque cum illo colloqui, et ad eum modum, quo Beati in patria amant visionem beatam, non tantum in proprium commodum suum, sed maxime ex caritate Dei: tum quia per illam habent præsentem quem amant, tum etiam quia vident, per illam maxime Deum glorificari. Ita amari potest contemplatio nostra huius vitæ, quæ, ex S. Augustino,[4]) est quædam participatio et imitatio illius visionis. Nil mirum proinde, si amor ex contemplatione mirifice crescat et augeatur.[5])

143. Infertur: 2° Contemplationem non esse nisi orationem mentalem perfectiorem, quatenus et intellectus et voluntas perfectiori ratione eliciunt actus suos. Etenim per contemplationem intellectus superaddit actibus suis simplicem quemdam intuitum veritatis æternæ iam inventæ et cognitæ meditationis ope. Item voluntas actibus suis superaddit per contemplationem quamdam maiorem perfectionem vel in intensione, et fervore devotionis et amoris Dei, vel in quadam maiori quiete et

---

[1]) Cf. Suarez. lib. II. cap. IX. n. 2 seq.
[2]) Ibid.
[3]) II. 2. q. 180. art. 1. et 3.
[4]) Lib. I. de Trinit. c. VIII. et IX.
[5]) Cf. Suarez loc. cit. n. 11.

Digitized by Google

uniformitate animi in talibus actibus exercendis. Ex his vero duabus intellectus et voluntatis operationibus in contemplatione præeminere et excellere caritatem, quæ ad voluntatem pertinet, exploratum apud doctores est. Etenim quærens Alensis utrum in oratione altius elevetur intellectus quam voluntas, respondet in via et oratione perfecta altius elevari voluntatem, quia caritas supereminet scientiæ, ut dicitur Ephes. III. 17. 18.: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ caritatem.* [1]) Consonat S. Bernardus scribens: *Comprehendere dixit* (Apostolus), *non cognoscere: ut non curiositate contenti scientiæ, tota cura fructui inhiemus.*[2]) Quid porro sit comprehendere exponit S. Doctor addens: *Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si sanctus es, comprehendisti et nosti; si non es, esto, et tuo experimento scies. Sanctum facit affectio sancta, et ipsa gemina: timor Domini sanctus, et sanctus amor. His perfecte affecta anima, veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, complectitur, stringit, tenet, et ait: Tenui eum, nec dimittam.*[3]) Seu duo brachia hæc sunt cognitio et amor, sine quibus vera contemplatio neque est, neque intelligi potest, sed in unum concurrant necesse est.

144. Atque hæc nobis de oratione mentali seu de meditatione in se et in quatuor suis partibus delibasse, sufficiat ad institutum nostrum. Qui enim pleniores haustus de ea optat, adire poterit mysticæ theologiæ magistros qui data opera plenissime de ea disserunt.[4]) Interim vel ex his ipsis quæ vix attigimus quisque intelligit, nullum in hac peregrinatione nostra iucundius inveniri posse exercitium, quam orationi mentali vacare iuxta illud Psalmistæ: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*[5]) Hinc iure merito S. Ambrosius: *Oratio,* inquit, *cibus est mentis, præclaraque alimonia suavitatis, quæ membra non onerat, sed in ornamenta convertit.*[6]) Et vetus auctor sub S. Ber-

---

[1]) Alensis 4. part. q. 26. memb. 3. §. 2. dub. ult.

[2]) De consid. lib. V. cap. XIII. n. 27., qui deinde cap. XIV. mirifice exponit quatuor contemplationis species.

[3]) Ibid. c. XIV. n. 30.

[4]) Inter quos eminet S. Bonaventura in suis opusculis; S. Theresia in Castello interiore, in Camino spirituale, Ludovicus a Ponte in tract. de oratione, aliique passim.

[5]) Ps. XXXIII. 9.

[6]) Exposit. in Luc. lib. VII. n. 143. op. ed. Maur. tom. I. col. 1445.

Digitized by Google

nardi nomine editus: *Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, et familaris quædam et pia allocutio et statio illuminatæ mentis ad fruendum, quamdiu licet.*[1])

§. 2. De orationis mentalis seu meditationis utilitate ac necessitate.

145. De orationis mentalis utilitate nemo est qui ambigere possit, ex iis quæ Scriptura, Patres, ac ratio ipsa de ea tradunt suadentque. Etenim prætermisso Christi exemplo, de quo legitur quod pernoctaret in oratione Dei,[2]) quod solus montem conscenderet ad orandum,[3]) haud profecto sola oratione vocali, sed imo potissime oratione mentali, longe in se nobiliori; legimus passim in Psalmis huius orationis exercitium obtinuisse. De seipso enim profitebatur propheta: *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.*[4]) Et Jeremias: *Solus,* inquiebat, *sedebam, quia comminatione replesti me,*[5]) ut alia prope innumera Scripturarum oracula silentio premam, in quibus eiusmodi documenta reperiuntur.

146. Patres vero certatim meditationis utilitatem commendant. Unum mihi aut alterum in medium afferre satis sit. S. Jo. Chrysostomus, seu vetus auctor sub eius nomine, duas hoc de argumento integras satis prolixas homilias conscripsit, ubi inter cetera affirmat: *Cum Deo re vera precationis tempore colloquimur, qua cum angelis quoque coniungimur, qua longe a pecudum societate recedimus .... ex quo et a mortalitate et a vitæ curriculo, exiguo tempore circumscripto, recedimus: quippe qui tametsi natura mortales, ob Dei tamen consuetudinem familiarem ad vitam progredimur immortalem.*[6]) S. vero Hieronymus ita de

---

[1]) Tract. ad frat. de monte Dei. lib. I. cap. XIV. n. 44. Huius tractatus auctor est Guido Carthusiensis, ac reperitur inter opera S. Bernardi, edit. Maur. vol. II., in quo congesta sunt opera S. Bernardo perperam adscripta. Cf. admonitionem præviam huic tractatui pag. 195 seq.

[2]) Luc. VI. 12. [3]) Matth. XIV. 23.

[4]) Ps. LXXVI. Quæ verba Bellarminus sic enarrat: *id est: et consumpsi integras noctes mecum ipse colloquendo, non ore, sed corde, et exercitabar cogitando videlicet, et mecum ipse discurrendo, et scopebam spiritum meum, id est et hoc modo quasi scopis cogitationum versabam huc atque illuc spiritum meum.*

[5]) Jerem. XV. 17.

[6]) De precatione oratio I. edit. Maur. tom. II. p. 779. Animad-

Digitized by Google

se scribebat: *Solus deserta penetrabam; sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupita cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum, et, ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, et lætus, gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.*[1]) *Sicque ad Deum clamando diem crebro cum nocte iungebam.*[2]) Demum, ceteris omissis, ita S. Ambrosius ad orationem mentalem omnes adhortabatur commentando Christi verba Matth. VI. Cum oraveris, intra cubiculum tuum: *Cubiculum tuum,* scribit, *mens tua est... non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere.*[3])

147. Exinde colligi potest non solum huius orationis nobilitas, verum etiam utilitas per se, et in ordine ad alia. Et primo quidem per se, eo quod sit ipsa diuturnum et familiare cum Deo colloquium, quo nobilius nihil excogitari potest: est enim *omnium maximum,* ut loquitur S. Chrysostomus, *quod deprecationem dicere possumus, et vere cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi.*[4]) Est insuper mentalis oratio maxima participatio æternæ felicitatis, quæ in hac vita esse potest, de qua Christus pronunciavit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*[5]) Ibi enim mens christiana, ut inquit S. Leo M., *omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, et delictis lætatur æternis.*[6])

148. In ordine autem ad alia triplex præ se fert emolumentum, nempe eiusmodi oratio vim habet meriti et satisfactionis, quæ, licet sint communia omnibus operibus bonis, peculiarem tamen ex ea virtutem nanciscuntur, quatenus et interior est et pœnalis;[7]) vim præterea habet impetrationis, tum quia petitio, quæ eiusdem meditationis pars est, maiori cum affectu in consideratione fit, tum quia prolixior et continuata esse

---

vertit porro editor Montfaucon, duas hasce homilias, sive sensum, sive orandi rationem spectes, Chrysostomo non indignas esse censendas, verumtamen ob aliquot difficultates inter eiusdem opera dubia recenset. Cf. admonitionem præviam.

[1]) Ep. XXII. n. 7. ed. Vallars. [2]) Ibid.
[3]) Lib. VI. de sacrament. c. III. n. 12.
[4]) Loc. cit. [5]) Luc. X. 42.
[6]) Serm. VIII. de ieiun. n. 1.
[7]) Cf. Suarez lib. II. c. 1. n. 7.

Digitized by Google

solet; est demum virtutum omnium veluti causa effectrix, et hac de causa a S. Jo. Chrysostomo *basis et nutrix omnis virtutis* appellatur. [1]) Non immerito propterea eamdem dicit *omnis virtutis* caput. [2]) Et S. Bonaventura: *Valde*, scribit, *Deus delectatur in hoç quod frequenter oratur propter multiplicem orantis utilitatem: scilicet ut Deo indesinenter inhæreat, quod summe est homini utile inter omnia .... item ut Dei beneficia multiplicius experiatur per multarum precum exauditiones item ut abundantiori affectu devotionis in amorem Dei excrescat.* [3])

149. Hinc colligas licet ingentem orationis mentalis necessitatem ad rite sancteque vivendum, quod secundo loco evincendum proposuimus. Si enim bene rem perpendas, reperies, omnis mali labem, qua fit ut tam multi ab officio desciscant, in mundanam vitam decidant, in malos etiam mores ruant, repetendam esse ex huius orationis defectu. Idque præsertim affirmo respectu virorum ecclesiasticorum ac religiosorum, qui propriæ vocationis obliti, aut penitus negligunt, aut perfunctorie tantummodo huius orationis exercitium obeunt.

150. Ne vero quispiam putet, nimia exaggeratione hæc a nobis proferri, non abnuimus tum divinorum eloquiorum, tum sanctorum Patrum doctorumque documentis id confirmare, ac ratione ipsa adstruere. Eccles. enim XI. 22. legitur: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Ideo vero, testante Jeremia, *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* [4]) Veritates enim æternæ, nisi meditatione recolantur, sunt illud verbum Dei, quod ad instar seminis, de quo inquit Christus, vel seminatum secus viam et conculcatum est, vel ortum inter spinas est suffocatum, vel quod cecidit super petrosam et aruit. [5]) Temporis siquidem momento cum audiuntur aut leguntur, nos percellunt eiusmodi veritates ac promovent, postea vero, nisi mente recolligantur, evanescunt, nosque similes efficimur *viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit.* [6]) Exinde *fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* [7])

---

[1]) Op. cit. sect. 1.
[2]) Ibid. hom. II. n. 1.
[3]) De profectu religios. lib. II. cap. LXIX. opp. tom. VI. edit. Rom. 1596. pag. 642.
[4]) Jerem. XII. 11.
[5]) Matth. XIII.
[6]) Jac. I. 23. 24.
[7]) Sap. IV. 12.

Digitized by Google

151. Scite propterea Gersonius hac super re scribebat: *Esto namque compungantur interim tales ad lectionem vel sermonem; abstuleris librum aut verbum, abibit illico omnis compunctio, non aliter quam cum libro aut verbo reversura. Quapropter oportet cum silentio præstolari salutare Dei, ut consuescat homo orare spiritu, orare et mente, dum etiam vocis strepitus aut libri deerit intuitus; ipsa meditatio silens sit liber tuus, sit prædicatio. Alioquin videat ne semper piscens, numquam ad scientiam perveniat.* Qui paulo post subdit: *Unde, proh dolor, tanta raritas contemplantium, etiam inter litteratos ecclesiasticos ac religiosos, imo et theologicos, nisi quia vix sustinet aliquis secum solum esse, secum diu meditari?* [1]) *Nam,* ut inquit S. Bernardus, *in meditatione exardescit oratio; tunc enim oratio fundit suspiria, piæ devotionis stillant aromata, tota resolvitur in lamenta;* [2]) contra vero nisi orationem meditatio comitetur, ut plurimum saltem arida, languida, materialis ac frigida evadit, uti experientia docet.

152. Non immerito necessitas mentalis orationis adstruitur ab illo principio, quo solet S. Augustinus necessitatem gratiæ Dei ostendere, quod scilicet sancta cogitatio, quæ a Deo est, principium est omnis boni desiderii ac voluntatis, ac propterea omnis bonæ operationis. [3]) Porro mentalis oratio non aliud est quam seminarium quoddam, et fons sanctarum cogitationum, et diuturna illarum exercitatio, diligensque ruminatio. Hinc, cum Wicleffus orationem, quam vitalem vocabat, seu rectam vitæ operationem, sufficere diceret, illi optime respondit Waldensis: *Audeo dicere, nullum esse meritum orationis tuæ vitalis, ubi non præcessit meritum orationis mentalis.* [4]) Et S. Bonaventura: *Revera,* inquit, *religiosus orationem non frequentans assidue, non solum est miser et inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore.* [5]) Neque concludere dubitat Card. Caietanus: *Nec religiosi, nec religiosæ nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non confert.* [6])

---

[1]) Lib. de myst. theol. indust. undec. alphab. 66. litt. O.

[2]) In serm. II. Pasch.

[3]) Cf. August. lib. II. de peccat. merit. et remiss. c. 17., et lib. II. contra duas epist. Pelag. c. 8., et lib. de prædestin. c. 2.

[4]) Tom. II. c. 2. n. 16.

[5]) Lib. de perfectione vitæ cap. V.

[6]) Comment. in II. 2. q. 83. art. 3.

Digitized by Google

153. Quæ quidem omnia verissima esse quisque intelliget, qui animadverterit, nullum religiosum aut ecclesiasticum virum a muneris aut status sui deflectere instituto, qui rite mentali orationi addictus sit, sed omnibus exemplo ac zelo potius prælucere: contra vero, nullum esse ex iis, qui aut sæculares mores sectantur atque mundanos, aut vocationis propriæ obliti manum ab aratro retrahunt et respicientes retro, suum institutum deserunt, qui orationem mentalem non neglexerit aut nonnisi perfunctorie obierit.

§. 3. De ratione peragendi mentalem orationem ad fructum ex ea percipiendum.

154. Parum prodesset ostendisse utilitatem immo vero et necessitatem mentalis orationis iis, qui serio propriæ perfectioni ac sanctificationi consulere satagunt, nisi etiam adiiceremus practicam orandi rationem ad optatum fructum ex ea percipiendum.

155. Jam vero quæ ad eiusmodi rationem spectant revocari facile possunt ad ea, quæ mentalem orationem præcedunt, ad ea quæ eam comitantur, ad ea denique quæ eamdem consequuntur. Hæc singillatim exponere ea qua par est ad institutum nostrum brevitate pergemus.

156. I. Et quidem ad ea quæ orationem præcedunt, præviæ referuntur animi dispositiones; tum meditandi materia, seu argumentum, circa quod meditatio versari debet, finis, quem oraturus sibi præstituere intendit, una cum adiunctis temporis, loci, corporisque modestia et compositione.

157. Exploratum enim in primis est, prævias proximasque animi dispositiones necessarias esse, ut, qui ad orationem accedit, recte in ea se gerat. Eiusmodi autem dispositiones præter fidem actualem præsentiæ Dei humilitatemque ac reverentiam Deo debitam, revocantur præsertim ad virtutem religionis in colendo Deo, eiusque gloria consectanda, et ad piam insuper animi recollectionem ab omni extranea, vana, mundana præcipue occupatione vacuam, ut sic mens vacare possit libere rebus divinis.

158. Huic porro mentis recollectioni obtinendæ servandæque valde confert præparatio argumenti seu materiæ eiusdem meditationis, quam sedulo pridie vespere, aut saltem immediate ante, quispiam accessurus ad orationem præparare sataget;

Digitized by Google

quod si facere nequeat, saltem librum meditationum præ manibus inter orandum habeat, ne mens evagetur.

159. Finis sive fructus, quem sibi præstituere debet qui orationi dat operam, minime communis aut vagus, sed determinatus et specialis sit oportet, quæcumque tandem sit meditationis materia aut ex attributorum divinorum consideratione, aut ex mysteriis Christi vitæ patientis, eiusque documentis, aut etiam ex Deiparæ, ceterorumque sanctorum exemplis desumpta. Ex omnibus, qui meditatur, præfigere sibi poterit alicuius peculiaris virtutis assecutionem, humilitatis ex. gr., patientiæ, mansuetudinis, ceteraque quibus magis se indigum sentit; nec non intimam persuasionem brevitatis vitæ huius, vanitatis rerum mundanarum, gravitatis propriarum culparum, ut se ad cordis compunctionem excitet, et ut terrena despiciat et ad cœlestia semper aspiret, prout uniuscuiusque devotio magis meditantem afficit. Indefinitus siquidem est campus, quem percurrere possumus, adeoque multiplex finis, quem nobis possumus præfigere et constituere.

160. Quoad adiuncta temporis, loci, corporisque dispositiones, nil peculiare constitui potest, nisi quod tempus magis meditationi aptum, prout insinuant Scripturæ et Patres, suadetque ratio ipsa, sit matutinum. Etenim in Psalmis passim legimus matutino præsertim tempore Prophetam meditari ac orare consuevisse; sic Ps. LXII. dicitur: *In matutinis meditabor in te,* et Ps. LXXXVII.: *Et mane oratio mea prævenietet te,* et iterum Ps. CXVIII.: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Hinc Sapient. XVI. loquens de manna: *Quod enim,* inquit, *ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.* Unde S. Ambrosius: *Habes et alibi,* scribit, *ut solis ortum oratione prævenias: occurre, inquit, ad solis ortum.*[1]) Cui consonat S. Jo. Chrysostomus scribens: *Ab initio dabat* (David) *Deo primitias. Oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas solem prævenire, et ante ortum solis te alloqui.*[2]) Ratio vero, quæ id ipsum suadeat, multiplex est: tum nempe, quia tunc debet omnia sua homo in Deum ordinare, tum quia corpus ad hoc exercitium melius dispositum est, tum denique,

[1]) Lib. de Cain et Abel cap. VIII. n. 31.

[2]) In Ps. V. ad illa verba: Mane exaudies vocem meam. n. 3.

Digitized by Google

aliis prætermissis, quia postquam homo incipit distrahi externis actionibus, vix deinde poterit, prout experientia ostendit, tempus nancisci ad se recolligendum, ut orationi vacet.

161. De loco nil aliud adiici debet, nisi quod sit, quoad eius fieri potest, a strepitu liber, et solitarius iuxta illud: ***Intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum.***[1]) Corporis demum compositio talis sit oportet, quæ, dum reverentiam Deo exhibet, magis conferat ad animi quietem. Reperimus Sanctos consuevisse aut flexis genibus, aut etiam sedendo vacare cœlestium meditationi et contemplationi.[2])

162. II. Sed iam aliquid promendum est circa ea quæ orationem ipsam constituunt. Hæc porro sunt operationes intellectus et voluntatis, in quibus proprie ipsa meditatio seu oratio mentalis consistit. Per intellectum, a fide excitatum veritates proponuntur, quæ vel principia meditandi, vel obiecta contemplationis sint; tum meditans circa ea versatur et convenienter conceptus efformat, nec non internas locutiones, quæ in hoc exercitio intervenire possunt, sive petendo, sive laudando aut gratias agendo, sive peccata Deo confitendo, sive seipsum excitando, aliasque eiusmodi cogitationes fovendo, prout materia exposcit. Ad voluntatem autem spectat affectus elicere ac desideria earum rerum, quæ in orationis decursu sese offerunt, ac magis Deo gratæ, nobis vero magis utiles ac necessariæ deprehenduntur; maxime vero competit voluntati se exercere in actibus dilectionis Dei, demissionis propriæ, desiderii proficiendi in virtute. Præcipuam partem eiusmodi voluntatis actus in oratione sibi vindicant.[3])

163. Ex his deprehendimus pseudomysticorum hallucinationem, qui vellent animam in oratione mentali otiosam immorari et affectiones omnes cohiberi sub obtentu falsæ cuiusdam quietis sine ulla sive intellectus sive voluntatis operatione. Perniciosissimam eiusmodi facultatum omnium suspensionem esse, ac innumeris prope aberrationibus aditum aperuisse, abunde

---

[1]) Matth. VI. 6.

[2]) Cf. Suarez de relig. lib. II. cap. V., in quo omnia recenset quæ conferunt summopere ad rite orandum.

[3]) Cf. S. Bonaventuram in opusc. De profectu religiosor. nec non in altero de mystica theologia, perinde ac opusc. de perfectione vitæ, in quibus præclara monita hanc in rem suppeditat vere Seraphicus Doctor.

Digitized by Google

patet ex propositionibus a Summis Pontificibus non semel proscriptis tum in Molinosio, tum in aliis, quasque suo loco ex parte saltem recensuimus; [1]) quibus damnationibus non obstantibus, identidem humani generis hostis, sub obtentu nescio cuius idealis perfectionis, devotas præsertim fœminas decipere pergit. [2])

164. III. Reliquum est ut pauca de iis quæ orationem mentalem subsequuntur adiiciamus. Nempe huc referuntur fructus indidem colligendi et proposita in oratione emissa, quædam interior animi recollectio, qua attenti magis efficiamur ad actus interdiu eliciendos consentaneos veritatibus perpensis. Nisi enim ad praxim hæc oratio dirigatur parum eius exercitium, immo nihil prodest; ut enim scite pius de imitatione Christi auctor scribit: *Hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, et quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid proficere.* [3]) Ad quæ obtinenda iuverit tum identidem in mentem revocare, quæ nos magis in oratione perculerunt, tum emissa renovare proposita; quibus si addantur lectio spiritualis, discussio conscientiæ, eiaculatoriæ, quas vocant, frequentes orationes et aspirationes, aliæque eiusmodi industriæ, absque dubio copiosum ab oratione mentali emolumentum quisque capiet, ita ut in ardua virtutis semita non solum firmiter consistat, verum etiam in ea de die in diem magis proficiat.

165. Et hæc de oratione generatim, tum de oratione vocali et mentali, secundum id quod proposuimus, delibasse pro instituto nostro sufficiat. Qui enim plura cupit, poterit mysticæ theologiæ magistros, qui hoc de argumento ex professo scripserunt consulere. [4])

---

[1]) In tract. nuper edito de virtutibus theologicis, cum ageremus de virtute spei.

[2]) Cf. Segneri in opere cui titulus: Concordia tra la fatica e la quiete nell' orazione, in quo documenta præcipuorum de oratione magistrorum congessit.

[3]) De imitat. lib. I. c. III. n. 3.

[4]) Hi sunt prope innumeri non solum ex sanctis Patribus, ac theologis, verum etiam ex asceticis scriptoribus, quorum aliquot speciminis gratia paulo ante recensuimus, quibus adiici possent Alvarez de Paz, S. Joannes a Cruce, Alphonsus Rodriguez in præclaro opere exercitii perfectionis etc.

Digitized by Google

Caput III.

De adoratione et sacrificio.

166. Postquam de actibus internis religionis egimus, nativus ordo postulat, ut de eiusdem virtutis actibus externis disseramus. Eiusmodi vero actus præcipui sunt adoratio et sacrificium. Duo hæc simul iungimus, quia ad se mutuo referuntur: siquidem adoratio presse sumpta denotat supremum Deo debitum cultum et obsequium; sacrificium vero est primarius notus eiusdem cultus supremi. Hinc utrumque complectimur sub hoc unico capite, ne alterum ab altero invicem separemus.

167. Nonnisi breviter tam de adoratione, quam de sacrificio agere constituimus, quia, cum in generali cultus notione multiplicem eiusdem divisionem exposuerimus, ac de sacrificio apposite in tractatu de Eucharistia actum sit, pauca supersunt dictis adiicienda circa utriusque actus naturam et proprietates ad plenam huius argumenti adumbrationem.

168. Si adorationis vocabulum attendamus, a ritu passim penes veteres recepto admovendi manum ad os in exhibendo præsertim divinitati cultu, ipsum derivandum esse communis sententia est. [1]) Huius ritus vestigia in Sacris Litteris plura suppetunt: sic Job XXXI. 26 seq. legitur: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo; quæ est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum.* [2]) Ac III. Reg. XIX. 18.: *Derelinquam mihi, ait Dominus, in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum osculans manus.* Quare apud Hebræos receptum est, ut testatur S. Hieronymus, ut osculum pro adoratione sumatur, iuxta id quod legitur Ps. II. 12. iuxta hebraicam veritatem: *Osculamini filium,* [3]) seu *adorate, aut subiicimini ei.* Minutius Felix in Octavio refert, Cæcilium solitum fuisse, cum ante simulacrum Serapidis pertransiret, osculari manum suam. [4])

---

[1]) Cf. Macri Hierozoicum in hanc vocem.

[2]) In quem loc. cf. Pineda in suis Comment.

[3]) נַשְּׁקוּ־בַר

[4]) *Cæcilius,* inquit, *simulacro Serapionis denotato, ut vulgus su-*

Digitized by Google

169. Notum est autem, eiusmodi adorationis ritum tum Deo, tum creaturis promiscue exhibitum fuisse, ita tamen ut cum Deo tribueretur, significaret supremum latriæ cultum, cum creaturis adhiberetur solum ad testificandam excellentiam quamdam sive religiosam, sive civilem aut politicam. [1]) Signa enim externa vim suam mutuantur ab interiori sensu et communi acceptatione. Sola hæreticorum protestantium malitia potuit apertissimam veritatem hanc inficiari. Odium eos excæcavit. [2])

170. Licet vero interior animi affectus animam, pæne dicam, constituat adorationis, attamen heic sumitur adoratio pro aliquo religionis externo actu, quo exhibemus reverentiam Deo per gestum aliquem corporis, seu ritum, ut indicem internæ subiectionis animi erga Deum, ex. gr. per adgeniculationem, pectoris tunsionem, prostrationem, aliosque id genus actus, ut Jo. IX. sciscitanti Christo a cœco nato: *Tu credis in Filium Dei?* respondit: *Credo Domine, et procidens adoravit eum.* Ad discrimen angelorum, qui cum spiritus meri sint adorationem exhibent solo actu internö, de quibus legitur Hebr. I. 6.: *Et adorent eum omnes angeli Dei.*

171. Quo sensu potest adoratio dici: Actus externus religionis, quo per convenientem aliquem corporis gestum aut ritum profitemur nostram subiectionem erga Deum, uti summum omnium Dominum, atque adeo tribuimus ei divinum honorem. [3])

172. Quæ vero sit adoratio pressiori hoc sensu, scilicet quæ divini cultus propria sit, dignosci potest vel ex nota ipsi intrinseca, vel ex communi usu et æstimatione, vel ex intentione cultum exhibentis patefacta ex circumstantiis loci, tem-

---

perstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis pressit. Plinius etiam lib. XXVIII. cap. II. scribit: In adorando dexteram ad osculum referimus. Cf. S. Hieron. in cap. IV. Osee. De hoc ipso plura habet Brissonius lib. I. de formulis pag. 35 seq. Item Petrus Pithœus lib. I. Adversar. cap. III.

[1]) Exinde patet quam immerito hæretici arguant catholicos quasi idololatriæ reos, eo quod prosternunt se coram sanctis eorumque imaginibus, cum notum sit ex Bibliis, veteres patriarchas coram angelis et hominibus se prostravisse, quin propterea rei adeo abnormis criminis insimulentur.

[2]) Cf. Bergier Dict. art. adoratio, paganisme.

[3]) De his cf. Valentia disp. VI. q. 3. punct. 2.

Digitized by Google

poris, personarum etc. Itaque nota intrinseca adorationis divinæ, unanimi omnium consensu est sacrificium, de quo mox agemus, et de quo inquit S. Augustinus: *Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* [1]) Ex communi vero usu et æstimatione nota est, quatenus inter omnes convenit, aliquem ritum ad divinam supremi Numinis excellentiam extollendam usurpari, cuiusmodi ex. gr. est templorum, altariumque erectio et dedicatio. Ex intentione demum, quatenus ritus vel officium quod per se indifferens esset et creaturis pariter honorandis adhiberi posset, determinatur ad honorem et cultum solius supremæ maiestatis, exempli causa thurificatio, quæ ex adiunctis loci, temporis, personarum patefit ad exhibendum Deo latriæ cultum tantum dirigi. Eiusmodi autem intentio latissime patet et influit in omnes ritus ad protestandam nostram Divinitati subiectionem et dependentiam, eiusque supremum honorem.

173. Adoratio latriæ, ut recta sit, unice Deo deferenda est, ut per se patet; item ex recta fide iuxta illud Joann. IV. *Nos adoramus quod scimus;* nec non ex devotione ac pio in Deum affectu; ac demum immunis sit adoratio oportet ab omni mala circumstantia aut perversi finis, aut inepti et noxii modi, quo degeneraret in superstitionem. Et hæc de adoratione.

174. De altero quod proposuimus, scilicet de sacrificio, pauca adiicimus, quia cum unicum in nova lege sacrificium sit, scilicet quod in Missa offertur, quæ ad ipsum spectant, complexi sumus in tractatu de Eucharistia, ut paulo ante innuimus.

175. Itaque animadvertimus sacrificium tum latiori, tum presso sensu accipi; item distingui in internum et externum. Latiori significatione sacrificii nomine venit quodcumque opus bonum Dei intuitu et gloria susceptum, prout eius etiam etymon exprimit, quod ita dicatur a sacro faciendo. Quo sensu dicitur Ps. XLIX. 14.: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua;* et Rom. XII. 1.: *Obsecro vos .... ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Sic Hebr. XIII. 15.: *Per ipsum,* inquit Apostolus, *offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius;* et alibi passim. Pressiori vero sensu sacrificium est: Externum officium, quo res aliqua hoc ipso of-

[1]) Lib. X. de civ. cap. IV.

Digitized by Google

fertur Deo, quod ad eius maiestatem recognoscendam, atque etiam ad internam mentis devotionem et servitutem erga Deum, tamquam omnium rerum dominum testandam, certo ritu ac cæremonia conficitur, seu immutatur.[1]) Tale est animal, quod hac intentione mactatur aut comburitur, aut panis qui frangitur et comeditur,[2]) aliaque eiusmodi, quæ in hunc finem peraguntur.[3]) Hoc sacrificiorum genere Scripturæ veteris præsertim testamenti plenæ sunt, eorumque variæ species et ritus describuntur in universo Levitici libro.

176. De hoc igitur externo sacrificio proprie dicto, cum agitur de virtute religionis, disserimus, quod ad latriæ cultum seu adorationem spectat: verum præter hoc Sacræ Litteræ sæpius sacrificium internum commemorant, ut cum Ps. L. dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despictes.* Adeo vero internum hoc sacrificium, quod in virtutum omnium exercitio consistit, Sacræ Litteræ et Patres extollunt, ut videantur etiam sacrificio externo præferre, ut Osee VI. prout a Christo Matth. IX. 13. effertur: *Misericordiam volo, et non sacrificium,* in quæ verba scribit S. Augustinus: *Nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi.*[4]) Ita quidem, si duo hæc sacrificiorum genera seorsum spectentur: interius enim nobilius profecto in se est sacrificio externo materialiter sumpto; ast si, uti oportet, simul iungantur, sacrificium externum absolute præferendum est, cum præter internum complectatur etiam externam significationem honoris, quem Deo tribuimus. Hinc merito iterum S. Augustinus scribit: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.*[5]) Imo sacrificium internum est improprie dictum sacrificium.[6])

177. Supervacaneum porro est admonere sacrificium, quod in Missa affertur, tantum sacrificiis omnibus excellere quantum cœlum terræ, Deus præstat creaturis: siquidem in eo divina

---

[1]) Cf. Valent. q. IV. punct. 1. Communis definitio est: Oblatio rei sensibilis uni Deo facta per legitimum ministrum, quæ immutatur aut destruitur ad recognoscendum Dei super creata omnia dominatum.

[2]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 8. art. 3.

[3]) Ibid.

[4]) De civit. lib. X. cap. V.

[5]) Ibid.

[6]) Disp. VI. quæst. IV. punct. 1.

Digitized by Google

ipsa persona in assumpta humanitate immolatur et offertur in honorem divinæ maiestatis. Idem dic de utilitate quæ in hominem quidem, non autem in Deum ex sacrificii oblatione provenit, cum Deus nullius egeat; quapropter non minus vere quam eleganter addit Hipponensis Præsul: *Ne ipsa quidem iustitia hominis Deus egere credendus est, totumque quod recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit.*

178. Sacrificium vero externum et publicum, seu per legitimos ministros Deo offerendum de iure naturæ esse, unanimi consensu post S. Thomam[2]) theologi omnes affirmant. In nova lege non aliud Sacrificium offerri potest nisi Eucharisticum.[3]) Cetera omnia abolita sunt.

Caput IV.

De voto.

179. Inter actus religionis recensetur votum, quo Deo honor exhibetur. Definitur porro votum, quod a vovendo nomen habet: Promissio deliberata Deo facta de meliori bono,[4]) id est obligatio sponte suscepta alicuius actionis bonæ in Dei honorem præstandæ, quo gratior et acceptior illi vovens efficiatur. Dicitur in Dei honorem; nam votum est actus latriæ, quod proinde, etsi in memoriam quoque et venerationem sanctorum esse possit, Deo tamen directe et principaliter, in eiusque honorem nuncupari debet; secus promissio quidem aliqua ad duliam pertinens dici posset, non haberet tamen veram voti rationem.[5]) Tria ex angelico Doctore ad votum

---

[1]) De civit. lib. X. c. V. nec non Enarr. in ps. XV.

[2]) II. 2. q. 85. art. 1 et 4. Item lib. III. cont. gent. c. 120.

[3]) Cf. Valent. loc. cit.

[4]) Communis hæc definitio colligitur ex S. Thom. II. 2. q. 88. art. 1., 2., 5 et ex IV. Sent. d. 38. q. 1. art. 1. Etiam apud profanos scriptores vovere idem est ac promittere Deo aliquid cum quadam firmitate et obligatione. Hinc Cicero de divin. lib. I. scribit, Attium Navium, cum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his amissa, *vovisse, si recuperasset, unam se dedicaturum, quæ maxima esset in vinea.*

[5]) De votis quæ sanctis fieri consueverunt magna quæstio excitata est inter theologos, quorum alii censent ea veram voti rationem habere,

Digitized by Google

necessario requiruntur, scilicet deliberatio, propositum et promissio.[1])

180. Votum aliud est personale, cum personalis aliqua actio, ex. g. auditio missæ, aliud reale, cum res aliqua, ut eleemosyna vel munus, aliud mixtum, cum utrumque Deo promittitur. Rursum aliud dicitur temporarium, quo ad certum tempus, aliud perpetuum, quo per totum vitæ spatium obligatio inducitur. Rursus aliud simplex, quod sine solemnitatibus coram Deo tantum, aliud solemne, quod cum præscripta forma coram Ecclesia emittitur. Denique aliud absolutum, quod nullam habet conditionem adnexam, et statim obligationem inducit, ut si quis voverit castitatem; aliud conditionatum, quod fit sub aliqua conditione eventus futuri, vel futuræ cognitionis, ut si quis voveat peregrinationem, si pater convaluerit, vel salvum esse resciverit, in quo duo sunt accurate notanda: 1° scilicet obligationem suspensam manere usque ad conditionis exitum; 2° nulla esse ea vota, quæ fiant sub conditione vel impossibili, vel turpi, vel repugnante voti substantiæ.

181. Et hæc quidem perstrinxisse sufficiat quod attinet ad voti notionem, multiplicemque eiusdem divisionem. Nunc præstat, hoc præiacto fundamento, quædam adiicere circa voti materiam, circa eius obligationem, item circa utilitatem ac meritum voti, ac denique circa eiusdem voti cessationem. Hæc singillatim persequemur.

§. 1. De materia voti.

182. Ad determinandam voti materiam ratio habenda est duplicis finis, propter quem aliquis se voto obstringit, ultimi scilicet et proximi. Finis ultimus est maior Dei gloria ac propterea suprema aut æterna hominis beatitudo, iuxta illud S. Fulgentii effatum: *Omni voventi Deo et reddenti quod vovit ipse*

---

licet non immediate Deo fiant, quia sancti minime materialiter spectantur ut creaturæ, sed formaliter tanquam gratia et gloria fruentes; alii vero arbitrantur, nonnisi improprie quæ sanctis vota fiunt, posse vota nuncupari, cum in illis agnosci non possit suprema excellentia, quæ Deo soli competit: adeoque ea ratione posse sanctis vota fieri, qua coluntur; coluntur vero cultu duliæ: hinc infertur nonnisi secundum duliam posse eiusmodi vota in honorem sanctorum emitti. Hæc omnia fuse exponit Suarez de voto lib. I. cap. XVI. ad mentem S. Thomæ.

[1]) II. 2. q. 88. art. 1.

Digitized by Google

quoque Deus reddet cœlestis regni præmia quæ promisit.[1]) Finis proximus et immediatus est, ut homo obligatione et promissione adactus, firmius certiusque bene aliquid ad gloriam Dei operetur, ac beatitudinem assequatur. Quare merito scribebat S. Augustinus: *Non ideo te vovisse pœniteat, immo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset .... felix est necessitas, quæ nos ad meliora compellit.*[2])

183. Ex hoc duplici fine colligitur, tres omnino conditiones requiri ac sufficere, ut opus aliquod possit esse materia voti. Prima est, ut sit in libera nostra potestate. Nam votum quoad materiam est instar cuiusdam donationis; nemo autem valide, aut saltem firmiter donat nisi de rebus propriis, et quarum liberam habet dispositionem. Altera conditio est, ut sit opus bonum secundum rectam rationem, quia alias nihil conferret ad prædictos fines ultimum et proximum. Tertia conditio est, ut eiusmodi opus bonum non sit tale, quod natura sua privet hominem meliori aliquo bono, quod antea is habuerit, quodque magis Deo placeat; adeoque id quod vovetur debet esse melius suo opposito, ut Deus illud acceptet.[3]) Si una vel altera ex his conditionibus desit, multo vero magis si desint omnes, votum irritum foret.

184. Ex defectu itaque primæ conditionis infertur: I° nullum esse votum eius, qui promitteret se numquam peccaturum etiam venialiter: siquidem si sermo sit etiam de venialibus indeliberatis, id ordinaria lege impossibile est, seu in nostra potestate id non est constitutum, ut suo loco ostendimus.[4])

185. II° Valida quidem, non tamen firma esse vota eorum, qui non sunt sui iuris, seu qui sunt sub alterius potestate constituti. Quo in genere sunt 1° vota omnia impuberum, quæ irritari possunt a patre, et in eius defectu ab avo paterno, aut tutore, ea scilicet vota impuberum, quæ versantur in iis rebus vel actionibus, quibus filii parentibus subiiciuntur; secus si versentur circa res in quibus liberam habent suæ voluntatis dispositionem, ut si quis filius voveret de castitate servanda; 2° vota coniugum sine alterius consensu suscepta in iis, in quibus alter

---

[1]) Lib. de fide ad Petr. cap. III. n. 44.
[2]) Ep. CXXVII. n. 8. ed. Maur.
[3]) Cf. Valent. disp. VI. q. 6. punct. 2.
[4]) Tract. de gratia part. I. cap. II. art. 4. prop. I.

Digitized by Google

alteri mutuo obligatur, in iis scilicet quæ pertinent ad iura coniugii, ad cohabitationem, ad rectam familiæ administrationem; non ita tamen ea, quæ hæc iura et officia nullo modo impediunt. 3° Vota religiosorum emissa sine consensu superioris, religiosi enim eo ipso quod se obedientiæ voto obstrinxerunt omnem amiserunt propriæ voluntatis dispositionem. Dixi autem valida esse, sed non firma esse eiusmodi vota: nam nihil impedit eos, qui alterius voluntati subiiciuntur, se obligare posse, si is cuius interest, consenserit. Ergo per se valida sunt, seu obligationem pariunt erga voventem. Poterit ergo superior hæc vota abrogare si velit, quo in casu nulla erunt; firma autem efficientur, si superioris consensus semel accesserit. Peccat vero qui ita vovet, nisi fortasse ignorantia aut simplicitate excusetur: nam iniuriam irrogat tum Deo tum superiori, qui promittit id quod non habet in sua potestate.

186. Animadvertendum tamen, quandoque etiam contingere, ut huiusmodi vota ad aliquod tempus reviviscant: contingit autem, cum vovens est sui iuris, promittit tamen aliquid quod sui iuris non est, ut ex. gr. si quis coniugatus perpetuam continentiam voveret: hoc enim in casu voti quidem obligatio suspensa manet, donec alter coniux vivit vel repugnat, revivisceret tamen, si ille post aliquod tempus consentiret vel decederet. Secus si vovens non sit sui iuris: ex quo fit, ut vota impuberum ac religiosorum semel irritata numquam reviviscant.

187. Ex defectu secundæ conditionis, quod opus debeat esse honestum ut apta voti materia esse possit, consequitur I° nullum censendum votum esse de opere ex genere suo illicito, immo vero et de opere quod, quamvis in se licitum sit, tamen aliqua comitatur circumstantia, quæ inficiat aut ipsum opus, aut actum voventis: uti si quis voveret eleemosynam sive ad seducendam virginem, sive ad captandam vanam gloriam. Deus siquidem nequit eiusmodi vota acceptare, nec sine eius iniuria emitti possent,[1]) præsertim si ad Deum mala circumstantia referatur; nam si ad Deum non referatur, sed ad solum actum voventis, censetur tunc validum votum ex communi sententia.[2])

188. Consequitur II° haud posse constituere voti materiam opera sub quovis respectu indifferentia. Etenim cum nequeat

[1]) Cf. Valentia loc. cit. punct. 11.
[2]) Ibid., ubi fuse hoc de argumento disserit, atque opportunis exemplis declarat.

Digitized by Google

esse materia voti nisi opus bonum, opus vero bonum haberi non possit nisi illud quod sit secundum rationem, patet, talia esse non posse opera indifferentia, quæ non eliciuntur ad normam rectæ rationis, secundum quam homo operari debet. Dixi opera sub quovis respectu indifferentia: nam, si ex aliqua circumstantia ex. gr. finis boni et honesti opus evadat moraliter bonum et exeat ex illa plena indifferentia, absque dubio poterit apta esse materia voti, ut cum quis vovet se non ingressurum in talem domum, ne inveniat scandalum, vel tali usurum vestimenti genere aut colore, ut se segreget a malorum societate aut cœtu, et ita porro.[1])

189. Quod vero attinet ad opera præcepta, quæstio agitari solet, num materia voti esse possint. Jam vero communis sententia est affirmativa, tum ratione operis in se boni et honesti, tum etiam ex eo quod nihil obstet quominus ex duplici titulo res aliqua sub obligatione cadat, ut pluribus exemplis ostendi posset;[2]) ususque præterea id ipsum confirmat, ut patet in eo qui votum castitatis servandæ emittit, licet ad eam iam lege naturali et divina servandam teneatur, quamdiu cælebs vivit.

190. Fatendum tamen est, minus propriam voti materiam quæ aliunde præcepta sunt constituere, cum opera supererogationis magis propria voti materia sint.

191. Ex defectu denique tertiæ conditionis de opere vovendo quod melius sit suo opposito, consequitur minime materiam voti idoneam esse, quæ consiliis evangelicis opposita promitterentur; sic non modo invalida essent vota emissa de ineundo coniugio, aut de non amplectendo religioso instituto, sed etiam peccaret qui ita voveret,[3]) tum quia nullum bonum morale in his votis reperiretur, tum quia Deus nullo modo ea acceptaret, utpote contra consilium maioremque suæ voluntatis propensionem, tum denique quia ageretur de re illicita, cum promittere seu vovere Deo aliquid consiliis suis oppositum, foret ipsi iniuriam irrogare, et quidem gravem si de industria ac malitia id fieret. Quod tamen spectat ad votum de ducenda uxore, docent non pauci doctores posse aliquando ratum esse eiusmodi votum, si haberetur tamquam remedium necessarium

---

[1]) Cf. Billuart diss. IV. art. 2. de materia.

[2]) Cf. Valentiam loc. cit.

[3]) Cf. Valentiam loc. cit.

Digitized by Google

ad vitandam incontinentiam, cum melius sit nubere quam uri; vel si quis obstringeret se ad pauperem aliquam filiam ducendam. Ast forte id verum esset, si vovens determinatus foret ad uxorem ducendam, vel posito etiam, quod uxore solutus, otiosum cœlibatum ageret: quo in casu votum valeret; non ita vero si perfectioris vitæ desiderio captus, in honesto cœlibatu vivere mallet.

192. Sic etiam nulla consequeretur esse vota de rebus minus perfectis, cuiusmodi esset votum numquam ieiunandi præter præscriptos ieiunii dies. Ita nulla pariter censenda ea vota essent, quæ voventem constituerent in eo statu, qui componi non posset cum statu perfectiore, ut per se patet ob adducta paulo ante rationum momenta.

§. 2. De voti obligatione.

193. Voti obligationem generatim loquendo gravem esse unusquisque per se facile videt: nam cum votum sit promissio Deo facta, si turpe est, quæ sunt hominibus promissa non præstare, quanto magis ea quæ Deo debentur! Hinc Ecclesiastis V. 3. legitur: *Si quid voristi Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde;* et Prov. XX. 23.: *Ruina est homini . . . post vota retractare.* Hinc S. Augustinus: *Quia,* inquit, *iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior, quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo.*[1]) Magna igitur ex Augustino iniquitas est voti violatio.

194. Dixi: generatim loquendo; nam votum est quædam lex, nec a lege differt, nisi quod lex imponitur voluntate superioris, dum votum est lex quam sibi quis sponte imponit. Ut ergo lex obligat pro gravitate materiæ, ita et votum: unde sequitur, voti violationem venialem esse posse si versetur in levi materia, immo etiam in re gravi, si vovens ea conditione voverit, ut levem tantum obligationem in se suscipere velit: si enim potest legislator rem gravem sub levi præcipere, cur non idem posset, qui libere vovet? Id vero intelligendum de votis privatis, non autem de publicis et solemnibus coram Ecclesia emissis.

---

[1]) Ep. CXXVII. cit. n. 8.

Digitized by Google

195. Ad voti obligationem inducendam necesse est, ut voti promissio fiat per actum perfecte humanum, adeoque cum sufficienti rei, quæ vovetur, cognitione, atque cum ea deliberatione, quæ requiritur ad peccatum mortale, qua scilicet vere dici possit scientem et volentem vovisse. Ex quo sequitur 1° irrita esse omnia vota, quæ fiant per ignorantiam vel errorem circa ea, quæ afficiunt ipsam rei promissæ naturam, vel substantiam, vel eius causam finalem: huiusmodi enim error, eo ipso quod impedit actionem esse voluntariam, impedit etiam, quominus obligatio ex ea enascatur. Secus si error vel ignorantia circa accidentales rei qualitates et conditiones versetur. Ita etiam non impedit voti validitatem ea ignorantia, quæ non impedit generalem et implicitam notitiam rei, quæ vovetur: ita aliquis valide religionis statum voveret, quamvis ignoraret singulas huius status obligationes, modo generatim noverit per talem statum a sæculo separatum se Deo sub quadam regula consecrari. Sequitur 2° irrita ea vota esse, quæ emittuntur vel ea ætate, vel in iis rerum adiunctis, quæ hominem minime sinunt esse perfecte sui compotem, et plenæ advertentiæ capacem; secus si nuncupata sint in aliqua quidem animi perturbatione ac vehementiori affectu, qui tamen minime prohibeat voventem advertere quid agit. Sequitur 3° valida esse ea vota etiam, quæ quis temere et imprudenter emittit, non emissurus si rem considerasset maturius, vel si pacatiori animo fuisset, modo cum sufficienti advertentia et deliberatione fuerint suscepta.

196. Quod si sermo sit de votis ex metu nuncupatis, hæc explorata penes omnes sunt: 1° Valida esse ea vota, ubi metus aliquis vel naturalis, vel iuste incussus causa extitit, cur libere emitterentur; sic nemo dubitat valide vovere eum, qui vovet in proximo mortis vel naufragii periculo constitutus si incolumis evaserit; 2° valida item esse ea vota, quæ suscipiuntur ex metu levi quamvis iniuste incusso ad votum extorquendum: nam metus levis non facit ullam actionem aut involuntariam aut moraliter coactam; 3° nulla esse ea vota solemnia iniusto metu extorta, prout sancitum est ab Ecclesia in iure canonico Cap. 1. de iis quæ vi. Idque omnino reete. Nam libera obligatio non solum veritatem, sed etiam plenam consensus libertatem exigit. Eadem proinde ratione idem sentiendum videtur de votis simplicibus, quæ ex metu iniuste incusso fuerint extorta.

197. Vota bona fide præstanda sunt, modo et tempore voventis mente præfinito. Si nullum tempus definitum est, præstanda sunt quam citius prudenti iudicio fieri possit; nam scri-

Digitized by Google

ptum est Deuteron. XXIII. 21.: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Si voti redditio promissa est ad aliquod temporis spatium, sufficit ut intra illud impleatur; si impedimentum prævideatur quo non possit reddi intra tempus constitutum, debet impleri, si fieri potest, antequam impedimentum superveniat. Nec tamen idcirco cessat voti obligatio, etiamsi redditum non fuerit tempore constituto; nam ut manet adhuc obligatio solvendi debiti quod suo tempore solutum non fuerit: ita quoque obligatio manet reddendi voti nondum persoluti, quamprimum fieri possit. Excipe: nisi opus promissum determinatum fuerit ad quoddam certum tempus ob rationem illi tempori peculiarem, ut si quis voverit determinata die ieiunare in honorem alicuius sancti. Nam hoc in casu obligatio suspensa manet usque ad illum diem, eoque elapso omnino cessat, eodem plane modo, quo si quis ieiunium alicuius vigiliæ implere non possit, nec tenetur illud prævertere, si impedimentum prævideat, nec tenetur supplere, etiamsi illud sua culpa omiserit, cum sit onus diei, quod simul cum data die desinit omnino. Peccatum autem, quod ex dilatione oritur, grave potest esse vel leve pro notabili vel levi mora, quæ præfinitum tempus subsequitur, illudque, considerata adiunctorum varietate, prudenti iudicio æstimatur.

198. Si casus contigerit, ut vovens totum opus promissum præstare non possit, tenetur præstare eam partem, quam potest: sic ille qui decem aureos vovit dare in eleemosynam, tenebitur ad quinque, si hoc solum possit. Si tamen pars, quæ remanet possibilis, nihil conducat ad finem voti, ad nihil tenebitur. Ita etiam tenetur ad substantiam operis, qui non potest præstare modos omnes quos promisit: ita si quis vovit in pane et aqua ieiunare, tenebitur ad ieiunium commune, si a rigidiori ob causam aliquam iustam prohibeatur. Si tamen circumstantia aliqua operis talis sit, ut sine ea opus promissum non fuisset, tunc, voventis intentione omnino frustrata, omnis etiam desinit voti obligatio. Qui autem sua culpa efficeret, ut voti solutio impossibilis evaderet, voti violatione perinde teneretur, ac si possibile non solvisset. Nam fraus et dolus nemini patrocinantur.

199. Qui in dubio versatur, an in sua promissione votum fecerit, vel an habuerit vovendi aut se obligandi intentionem, tenetur votum reddere, nisi dubium ita tenui fundamento innitatur, ut veluti scrupulus contemni mereatur. Nam præsumptio

Digitized by Google

pro voto est, et hoc in casu tutior pars est eligenda. Eademque ratio suadet, teneri ad opus promissum præstandum, qui dubitat an præstiterit, an vero valide præstiterit: sic ille qui dubitat de qualitate vel quantitate rei promissæ, tenetur ad id, quod communiter præstare solet, qui ita vovet, vel ad id quod probabilius existimat se vovisse. [1])

200. Facile hinc quisque colliget, vota non esse sine maturo prudentique examine suscipienda, præcipue vero perpetua. Nam, ut dicitur Eccl. V., *multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Considerandum autem est, quid proprii ferre valeant humeri, quid ferre recusent, consideranda propriæ conditionis adiuncta non solum præsentia, sed etiam futura, consideranda voti suscipiendi onera, eiusque difficultates, denique nihil agendum, nisi prius divina ope humiliter implorata, atque petito moderatoris propriæ conscientiæ consilio, qui, si prudenter agere velit, non ita facilem se in iis permittendis præbebit.

§. 3. De utilitate ac merito voti.

201. Utilitatem ac meritum voti soli hæretici inficiati sunt, utpote qui votorum suorum votifragi, aut omnes aut plerique omnes extiterint magni illi sacrorum emendatores, uti nuncupantur. Reipsa eiusmodi novatores sæculi XVI. nihil emendarunt, seu nihil e medio sustulerunt nisi virtutem, excitaruntque cupiditates omnes per prædicationem libertatis christianæ, libertatisque evangelicæ, [2]) ut sic quavis ætate imitatores magno numero nansciscerentur inter religiosos et clericali militiæ mancipatos, cœlibatus præsertim pertæsos; alioquin brevi nova inducta secta fuisset extincta.

202. Ceterum istiusmodi Bibliorum præcones non poterant ignorare votorum nuncupationem in utriusque fœderis libris non modo ratam haberi, sed summopere commendari, illosque acriter reprehendi, qui emissa vota non solverent. Etenim de votorum observatione plurima constituta inveniuntur Levitic.

---

[1]) Cf. S. Alphonsum lib. III. de secundo præcepto decalogi. cap. III. de voto dub. IV.

[2]) Hac in re apprime consonant Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Petrus Martyr eorumque gregales. Cf. Bellarminum lib. II. de monachis cap XV., Jodocum Coccium thesauri catholici tom. II. Coloniæ 1601. lib. IV. art. I.

Digitized by Google

XXVII., tum Deuteron. XII. et XXIII. et alibi. Exempla præterea præclarissima suppetunt Gen. X. XVIII. Ps. CXXXI. Sed præterea vota commendata reperimus Ps. LXXV. 12.: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro.* Sic Isaias prænuntians eventura in novo testamento c. XIX. 21.: *Cognoscent,* inquit, *Aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus, et vota vovebunt Domino et solvent.* Ad novum vero testamentum quod attinet, præterquam quod Act. XXI. 23. Christiani aliquot voto saltem nazaræatus obstricti exhibentur, [1]) palmaria sunt apostoli verba I. Tim. V. 11. 12., quibus perstringit adolescentiores viduas, quæ *nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* seu eo quod votum de continentia emissum irritum faciebant, iuxta unanimem antiquiorum Patrum et expositorum interpretationem, [2]) nec non concilior. Carthagin. IV. cap. 104., cui S. Augustinus interfuit, et Toletani IV. cap. 55. [3]) De sensu autem totius antiquitatis ecclesiasticæ ac universæ christianæ traditionis, hac super re nullus est ambigendi locus. [4])

203. Nunc præstat duo a nobis proposita ratiocinando evincere tum circa voti utilitatem, tum circa meritum eius. Jam vero sic in primis cum angelico doctore utile votum esse adstruimus: Illud utile dici debet, quod firmat voluntatem immutabiliter ad id præstandum, quod cedit in magnum voventis spirituale emolumentum; tale porro votum esse patet. Etenim 1° votum hominem ab illa inconstantia liberat, in qua natura sua versatur, et impellit ad id faciendum, quod aliunde sibi relictus non efficeret, sua tamen summopere interest sibique expedit. [5]) Quale autem 2° spirituale emolumentum in utilitatem voventis proveniat, patet ex differentia, quæ intercedit inter promissionem et donationem factam homini et factam Deo. Siquidem illa respicit utilitatem hominis cui fit: hæc vero quoniam Deus nulla re indiget, tota redundat in utilitatem eius qui promittit et donat. Unde S. Augustinus in epist. ad Amentarium: *Benignus,* inquit, *exactor est, non egènus, et qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.* [6])

---

[1]) Cf. Corn. a Lapide in hunc loc.
[2]) Cf. Estium in hunc loc.
[3]) Cf. apud Harduin Acta concil. tom. I. col. 986 et tom. III. col. 590.
[4]) Cf. Valentiam loc. cit. punct. IV. et Jod. Coccium op. et loc. cit. Item Bellarminum lib. cit. cap. XVII.
[5]) Q. 88. art. 6. [6]) Ep. cit. n. 6.

Digitized by Google

204. Quod vero spectat ad meritum, quod ex voto provenit, non modo constat ex generali principio de omni opere bono quod a iusto fiat, verum etiam ex eo, quod emittatur opus ex præstantissima virtute inter morales, cuiusmödi est religio, ut palam fit ex adductis Isaiæ verbis: *Colent Deum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino et solvent,*[1]) et ex ratione quam affert S. Thomas, scilicet quod per votum statuat quis se aliquid facturum ad gloriam Dei, quæ est obiectum virtutis religionis.[2])

205. Quæ adversus hactenus a nobis constituta ab hæreticis protestantibus opponuntur, præoccupata iam fuerunt a S. Thoma. Scilicet 1° quod non expediat homini se privare libertate, qua a Deo donatus est, imponendo sibi necessitatem; 2° quod nemo debeat se periculis iniicere; iam vero qui vovet se periculo exponit votum frangendi; 3° quod apostolus I. Cor. XVI. scribat: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Ast neque Christum neque apostolos legimus voto aliquo se obstrinxisse.

206. Quæ quidem ita solvit: atque ad 1m resp. Eadem ratione qua non posse peccare non minuit libertatem, sic necessitas firmatæ voluntatis in bonum non minuit libertatem, ut patet in Deo et in beatis: adeoque talis necessitas voti, quæ similitudinem quamdam præ se fert cum confirmatione beatorum, libertati non officit.

207. Ad 2m D. Si periculum oriatur ex ipso facto C., si immineat ex eo, quod homo deficiat a facto illo N., Jam vero periculum non oritur ex ipso voto, sed ex culpa voventis, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Alioquin nulla lex homini imponi deberet ne homo inveniretur in periculo illam transgrediendi. Quo referuntur Augustini verba in cit. epist.: *Non te vovisse pœniteat, imo gaude tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.* Alioquin, ut dicitur Eccl. XI. 4., *qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet.*

208. Ad 3m Quoad Christum negatur paritas, cum ipse non indiguerit firmare voluntatem suam in bono; quod vero spectat ad apostolos, hi vovisse intelliguntur pertinentia ad perfectionis statum, cum Christum, relictis omnibus, sunt se-

---

[1]) XIX. 21. [2]) Q. 88. art. 4.

Digitized by Google

cuti. Ceterum Paulum votum emisisse, colligitur ex Act. apost. XXI. 26. [1])

§. 4. De relaxatione ab obligatione voti.

209. Communis theologorum doctrina est, ab obligatione, quæ semper votum comitatur, quatuor modis quempiam liberari posse: nimirum aut cessatione, aut irritatione, aut dispensatione, aut commutatione. Et cessatio quidem esse potest vel ex parte materiæ, cum ea impossibilis evadit, nec amplius bona et utilis, nec melior opposito; vel ex superveniente casu, quo longe difficilior evaderet eius observatio; ex elapso tempore constituto, atque ex cessatione finis principalis. Ac universim cessat obligatio voti, nulla interveniente superioris auctoritate, sed sola epikeia, quam vocant, seu benigna interpretatione ipsi rei insita, qua fit, ut quidquid effecisset ut votum rationabiliter non emitteretur, per illud tollatur obligatio iuxta leg. Plurima §. Etsi placuit ff. de verborum obligationibus, ubi dicitur: *Obligatio extinguitur, si in eum casum incideret, a quo incipere non potest.* [2]) Ratio autem est, quia in voto, quod ex dictis quædam veluti lex est a vovente sibi imposita, illa conditio semper includitur: in quantum est licitum, rationabile et moraliter possibile.

210. Ut res aliquo exemplo illustretur, obligatio voti cessat 1° si cesset causa finalis, ob quam emissum est: ita si voveris ieiunare ad aliquod tempus pro patris salute impetranda, statim ab huiusmodi obligatione liberaris, si moriatur; 2° si materia voti perierit, vel sit notabiliter mutata, vel desinat esse bona, vel maius bonum impediat: ita si quis ex pretiosa aliqua supellectili in pecuniam redacta eleemosynam erogare voverit, ad nihil amplius tenebitur, si furto sibi ablata fuerit, vel incendio consumpta, vel alienam esse detectum fuerit, vel in sacri cultus, vel in ministrorum necessitates erogari opus fuerit. Ita etiam qui virginem aliquam inopem ducere vovit, quæ honesta erat, vel honesta putabatur, nulla amplius voti obligatione tenebitur, si constet eam non esse talem, vel talis iam esse desierit.

---

[1]) Cf. Cornel. a Lapide in hunc loc. Cf. reliquas difficultates apud Billuart diss. IV. art. 4., nec non apud Bellarminum loc. cit.

[2]) Cf. Billuart. art. 7. §. 1.

Digitized by Google

De irritatione a potestatem habente iam satis in §. 2ª diximus.

211. Præstat nunc de duobus reliquis modis votorum relaxationis disserere, nempe de dispensatione ac de commutatione.

212. Voti dispensatio est remissio totius obligationis voto contractæ. Hanc remissionem certum est dari posse a legitima auctoritate, nempe a Rom. Pontifice, atque ab Ecclesiæ prælatis seu episcopis, aut episcopalem habentibus iurisdictionem, quibus commissa est potestas Ecclesiam regendi, quibusque dictum est in apostolorum personis Matth. XVIII. 18.: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo,* singulariter vero Petro adeoque eius in primatu successori Rom. Pontifici Matth. XVI.: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Porro quemadmodum cuiuslibet promissionis obligatio, facta condonatione rei promissæ a promissario vel eiusdem procuratore: ita prorsus extinguitur obligatio voti impetrata legitima eiusdem dispensatione. Idque præterea patet ex perpetua Ecclesiæ praxi. Probatur vero a S. Thoma exemplo ducto a dispensatione legis. [1])

213. Ut autem legitima sit dispensatio, requiritur 1° ut impetretur a legitimo superiore, scilicet a Summo Pontifice, vel a proprio episcopo, vel ab alio delegata facultate prædito. Sunt autem quinque vota, quorum dispensatio est Summo Pontifici reservata, votum scilicet castitatis perpetuæ, votum ingrediendi religionem aliquam approbatam, votum peregrinandi ad sancta loca, ad limina apostolorum, et ad sanctum Jacobum in Compostella. Cætera ab episcopo dispensantur, immo etiam reservata, si conditionata fuerint, et conditio nondum fuerit impleta; vel dispensantur ab iis, quibus talis facultas sit legitime delegata. Requiritur 2° ut vera, iusta et proportionata causa intercedat; secus iniqua dissipatio esset, quæ nec susceptam voti obligationem solveret, et dispensantis superioris conscientiam oneraret. Dixi autem vera, id est quæ reapse existat, non dolose obtrudatur, iusta, quæ rationabile præbeat dispensandi motivum; proportionata, cuius gravitas respondeat gravitati obligationis remittendæ; neque enim in omnibus dispensationibus æqualis ratio requiritur.

[1]) Loc. cit. art. 10.

Digitized by Google

Justæ dispensandi causæ recte existimantur amplificatio divinæ gloriæ, ecclesiæque utilitas, cum scilicet aliquis voto dispensatus magis idoneus efficitur ad opera suscipienda, quæ ad divinum honorem ac religionis utilitatem magis conducant: aut utilitas spiritualis voventis, quando scilicet expedit eum liberari a voto propter periculum frequentis violationis, maxime si votum fuerit ex animi levitate, ex perturbatione emissum aut si adiuncta immutata gravem induxerint eiusdem implendi difficultatem. Causam ergo debet superior probe cognoscere, ut legitima sit dispensatio. In dubio præsumptio stat pro superiore et pro legitima causa.

214. Sed magna hic agitari consuevit quæstio, utrum scilicet Rom. Pontifex possit dispensare in votis solemnibus religiosorum. S. Thomas in commentariis super Magistrum sent. olim tenuit sententiam affirmativam,[1]) postea vero, nempe in Summa negativæ firmiter adhæsit.[2]) Nonnulli adnisi sunt S. Doctorem exponere in sensu reduplicativo, ut aiunt, seu Rom. Pontificem non posse dispensare in votis solemnibus religiosorum manentibus religiosis iis qui voverint et dispensantur: id autem repugnat, idem siquidem esset religiosus et non religiosus. Verum non videtur hæc mens S. Doctoris, dum hanc facultatem Rom. Pontifici denegat. Atque hinc factum est, ut in duas sibi oppositas sententias theologi abierint, aliis affirmantibus, negantibus aliis hac potestate Romanum Pontificem pollere. Si quis voluerit fundamenta utriusque sententiæ expendere, poterit inter ceteros consulere Valentiam,[3]) et Suarezium,[4]) qui summa diligentia ea excusserunt. Licet vero Billuartius adhuc sententiam negantem adstruere pergat:[5]) attamen sententia affirmans iam communior evasit, cui S. Alphonsus de Ligorio adstipulatur,[6]) nobisque longe probabilior videtur, imo et certa.

---

[1]) In IV. d. 38. art. 1. ad 2., ubi aperte scribit: *In votis illis, quæ non de facili dispensationem accipiunt, nec frequenter sed raro, sicut votum religionis et alia huiusmodi vota perpetua, solus Papa dispensare potest;* et paulo ante, nempe quæst. 1. ad 3.: *In voto religionis dispensari* (posse) *quantumcumque esset solemnizatum.*

[2]) II. 2. q. 88. art. 11.: *Papa non potest facere,* inquit, *quod ille, qui professus est religionem, non sit religiosus.*

[3]) Disp. VI. q. 6. punct. 8.

[4]) Tract. VI. de relig. lib. VI. Item in tract. VII. de statu perfect. et relig. lib. VI. cap. XVI. et seq.

[5]) De relig. diss. IV. art. 9.

[6]) Lib. III. cap. III. dub. VIII. n. 256.

Digitized by Google

215. Omissis porro pluribus rationum momentis, quæ pro alterutra sententia afferri solent, ne in longum nimis rem protrahamus, hæc sunt quæ nobis veritatem sententiæ affirmativæ suadent: Si quæ essent motiva ob quæ hæc deneganda esset facultas Rom. Pontifici, ea desumerentur vel ex parte ipsa votorum, vel ex parte solemnitatis. Jam vero neutrum dici potest. Non quidem ex parte votorum: quia, omnibus fatentibus, iusta interveniente causa Rom. Pontifex ab omnibus dispensare potest, prout et ipsi adversarii concedunt. Non ex parte solemnitatis: nam hæc ex declaratione Bonifacii VIII.[1]) ex iure tantum ecclesiastico provenit: porro iterum, omnibus fatentibus, Rom. Pontifex ab eo omni dispensare potest, quod a iure ecclesiastico inductum est. Ergo.

216. Hæc vero confirmantur ex non paucis tum antiquioribus tum recentioribus exemplis eiusmodi dispensationum, quæ a Rom. Pontificibus datæ sunt.[2]) Postquam vero Rom. Pontifex dispensavit, dubitare an id ipse possit ad instar cuiusdam sacrilegii est iuxta effatum Veracrux.[3])

217. Neque obstat quod opponit Billuart, nempe Rom. Pontificem non posse dispensare in matrimonio rato, eo quod sit divini iuris. Etenim nunc exploratum est, et nos suo loco ostendimus, posse Rom. Pontificem in matrimonio rato dispensare;[4]) et quidem auctoritate divina sibi tradita. Deinde nonnisi improprie professio religiosa solemnis iuris naturalis divini dicitur, uti ostendit Suarezius.[5]) Eo vero sensu angelicus doctor inficiatur posse Rom. Pontificem ex religioso facere non religiosum, seu dispensare aliquem a voto potissimum continentiæ, manente eodem religioso, quia status coniugalis incompossibilis est cum statu religioso.[6])

Quod attinet ad quæstiones practicas, quæ ad hoc argumentum spectant, consuli debent moralis theologiæ tractatores, qui ex professo de his egerunt.

---

[1]) In cap. unico de voto in 6., et confirmatur a Gregorio XIII. in constit. Ascendente Domino.

[2]) Cf. apud Suarez tom. XV. lib. VI. c. 14. Item loc. cit. c. 17.

[3]) In speculo part. II. art. 27. apud Benedict. XIV. de synodo lib. VII. cap. 7. n. 7.

[4]) Cf. de matr. christ. lib. III. sect. II. cap. 6.

[5]) Cf. loc. cit.

[6]) Cf. Valentia loc. cit.; et Suarez pariter loco cit. lib. VI. cap.

Digitized by Google

Caput V.

De festorum dierum præcepto et observatione.

218. Licet hoc de argumento theologi pertractare soleant, cum sermo illis est de decalogi præceptis, aptissime tamen et hic de eo disseritur, cum agatur de actu religionis, qui Deo impenditur speciali cultu veluti supremo rerum omnium conditori. Decernitur enim tempus honori Dei impendendum prout vel ipsa naturæ lex dictat. Etenim ut recta ratio suadet, religionem sacerdotibus, sacrificiis, templisque carere non posse: ita etiam suadet, quædam tempora divino cultui speciatim consecrata esse debere; idque reipsa in more positum fuisse apud omnes populos non solum veræ, sed falsæ etiam religionis cultores, erecta monumenta commonstrant.[1]) Quæ causa fuit, cur S. Thomas doceret præceptum de sabbati sanctificatione tertium in decalogo locum obtinens, esse partim morale seu naturale, partim cæremoniale seu positivum. Morale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis, cæremoniale autem quantum ad determinationem temporis, et ad modum quo id fieri debeat.[2])

219. Cum non pauca discutienda veniant circa festorum præceptum et sanctificationem, ut lucido ordine progrediamur, distinctis paragraphis exponemus: 1° quæ ad eorum institutionem pertinent; 2° quæ ad modum quo sanctificandi sunt dies festi sive pro parte negativa, sive pro parte positiva, id est quæ vetentur, et quæ præcipiantur; 3° quæ ab eorumdem observatione excusant, et quæ denique ad dispensationem ab eorundem observatione referuntur.

XVI. et XVII. etsi, prout innuimus, eiusmodi expositio mentis angelici doctoris nonnullis non probetur.

[1]) Cf. Euseb. Præp. evangelica lib. I. cap. 9., ubi ostendit, ab initio nulla Deo aut erectas aras, aut simulacra constituta, aut templa extructa; deinde vero ubique terrarum ea recepta sunt, adeo ut vere scribere potuerit Plutarchus contra Coloten. Epicur.: *Si terras obeas invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes.... Urbem vero templis, diisque destitutam.... nemo umquam vidit.* Eadem ferme habet Cicero Quæst. Tuscul. lib. I. c. XIII.

[2]) II. 2. q. 122. art. 4.

Digitized by Google

§. 1. De institutione festorum.

220. Ex præmissis quisque intelligit, heic agi de institutione positiva, qua nempe data lege præscriptum fuerit determinatum tempus divino cultui deputandum. Quamvis porro Deus, ut legitur Genes. II. 3. benedixerit diei septimo, et sanctificaverit illum, eo quod eo die requieverit ab omni opere quod patrarat in creatione mundi, attamen non constat, statim a mundi exordio Deum legem statuisse de festo hoc die agendo, sed posuit veluti fundamentum legis, quam deinde per Moysen promulgavit:[1]) quamvis verisimile sit, iam inde cœpisse homines observationem aliquam diei septimæ frequentare, quæ per traditionem ad posteros devenerit, ut refert Eusebius scribens: *Septimam diem non Hebræos tantum, sed omnes fere, tam philosophos quam gentes, sacratiorem esse cognovisse.*[2])

221. Si igitur septimæ diei, qua Deus a mundi creatione requieverat, recordatio in causa fuit, cur Deus sacram sabbati observationem per Moysen induceret, mirum esse non debet, quod pro sabbato, licet divinitus in veteri testamento præscripto, dominica dies fuerit in evangelica lege substituta. Nam longe insigniora divinarum dispensationum mysteria gravissimæ rationes fuerunt, cur Ecclesia divino instinctu primam hebdomadæ diem, quam Dominicam vocavit, sabbati loco consecraret. Etenim: *in hac die,* scribit S. Leo, *mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi et mors interitum et vita accepit initium. In hac apostoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac denique promissus a Domino apostolis Spiritus sanctus advenit.*[3])

222. Dixi Ecclesiam divino instinctu dominicam diem Deo colendo consecrasse: siquidem Christus immediate nullum hac de re præceptum positivum dedit, sed Ecclesiæ suæ id commissit. Constat autem, vel ab ipsis Ecclesiæ incuna-

---

[1]) Cf. Suarez lib. II. de diebus festis. cap. I. n. 3.

[2]) Lib. XIII. Præp. evang. cap. XII., ubi ad id evincendum plura ex profanis auctoribus refert documenta. Atque inter cetera illum Hesiodi versum: *Septima itaque dies, lætis hæc candida solis* nec non illum Homeri: *Septima sacra dies reserato illuxerat orbi.* pag. 667. edit. Paris. 1628.

[3]) Epist. IX. ad Dioscorum episc. Alexandr. cap. I. ed. Ballerin. tom. I. col. 630.

Digitized by Google

bulis apostolos dominicam diem sabbato substituisse. Etenim eius mentionem expressam iam fecit S. Joannes Apocal. I. 10. scribens: *Fui in spiritu in dominica die.* In actis apostolicis XX. 7. fit mentio eiusdem diei per verba: *Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem,* nempe ad celebrandam Eucharistiam, seu Missæ sacrificium, et ad eiusdem distributionem, quo die apostolus longam habuit concionem. Item eadem die fiebant oblationes et collectiones pro pauperibus, ut habetur 1. Cor. XVI. 2.: *Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* [1]) Nullum igitur dubium subesse potest, quin ab apostolis eiusmodi translatio sanctificationis sabbati in dominicam diem facta fuerit in memoriam perennem dominicæ resurrectionis. De qua re præter usum universalem in ecclesia per totum orbem diffusa, ut testatur Eusebius, [2]) suppetunt antiquissima documenta in constit. apostolicis, [3]) in canonibus item apostolicis nuncupatis, [4]) in epistolis S. Ignatii M., [5]) in apologia I. S. Justini, [6]) ut alia omittam, in quibus omnibus de observatione diei dominicæ tamquam ubique recepta et ab apostolis inducta sermo est; Patresque ad unum consonant. [7])

223. Ideo vero suffectus est sabbato dies iste ut sanctus haberetur, quia præceptum decalogi de sanctificatione sabbati, utpote cæremoniale, post mortem Christi obligare cessaverat, et Ecclesia suprema a Christo potestate prædita instituit diem dominicam ad colendum Deum in memoriam potissimum, ut diximus, resurrectionis dominicæ, quæ hac die contigit. Ex quo colligere est, eiusdem Dominicæ observationem iuris tantum ecclesiastici esse, [8]) perinde ac festivitates reliquæ omnes ad recolenda Christi mysteria, et ad B. Mariæ Virginis sanctorumque memoriam venerandam.

---

[1]) In quem locum cf. Estium.

[2]) Lib. IV. Dem. Evang. cap. XVI.

[3]) Lib. VII. cap. XXX. et alibi passim.

[4]) Can. LVI. apud Coteler. tom. I. p. 446.

[5]) In epist. ad Magnesian. cap. IX. ibid. tom. II. p. 10.

[6]) n. 67. ed. Maran.

[7]) Cf. apud Suarez. de relig. tract. I. lib. II. cap. IV., ubi magno numero congesta sunt testimonia Patrum et scriptor. ecclesiasticorum. Edit. Paris. tom. XIII.

[8]) Cf. Suarez ibid.

Digitized by Google

224. Etenim si ad religionem pertinet non solum infinitam Dei maiestatem quibusdam determinatis temporibus honorare, sed etiam eiusdem bonitatem pro collatis beneficiis debito grati animi sensu prosequi, facile iam quisque intelligit, quam recto salutarique consilio Ecclesia anniversarias illas solemnitates induxerit, in quibus ad præcipua religionis nostræ mysteria recolenda christianum populum invitat, tum eas etiam, quæ in honorem sanctissimæ Dei genitricis, vel apostolorum, aliorumque sanctorum celebrantur, *in quorum victoria,* ait Catechismus Romanus, ***Dei bonitas et potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus excitatur.*** [1])

225. Instituere porro festivitates universales solius Ecclesiæ est, ac residet eiusmodi potestas in solo Rom. Pontifice utpote supremo capite universæ ecclesiæ, nullatenus vero inesse potest laicæ cuicumque potestati, quæ nulla pollet in spiritualibus auctoritate. Quod si etiam Concilium Œcumenicum potest festa pro universa ecclesia instituere, ideo est quia coniunctum est cum Rom. Pontifice, a quo et coactum et sub quo celebratum et a quo confirmatum est. Universali etiam consuetudine introduci festum aliquod potest, non sine tamen assensu vel expresso vel tacito Rom. Pontificis. Quemadmodum vero nonnisi summi Pontificis auctoritate festum pro ecclesia universa institui potest, sic neque absque eius facultate potest abrogari, aut ab eius observatione generatim dispensari. [2])

226. Quod vero attinet ad festa particularia in aliqua peculiari diœcesi, fatentur omnes, ea posse ab episcopo constitui et sanciri, non sine tamen cleri populique consensu, prout a iure statutum est, [3]) ob incommoda quæ oriri possent per eiusmodi institutionem. [4]) Semel autem ac festum aliquod ab episcopo statutum est, sub præcepto obligat, ac servari debet eo modo quo sancitum est. [5])

---

[1]) Part. III. cap. IV. n. 20. Cf. Suarez lib. II. cap. V., VI., VII., VIII., IX., X. et Bened. XIV. de festis Christi et B. Virginis.

[2]) Merito proinde confixa fuit in constit. Auctorem fidei Pistoriensis synodi propos. 73. et 74., in quibus hoc ius in episcopos singulos transfertur.

[3]) In cap. ult. de feriis, et in cap. I. de consecr. dist. 3.

[4]) Cf. Suarez loc. cit. cap. XI.

[5]) Nam potest sub diversis modificationibus, ut observat citatus auctor loc. cit.

Digitized by Google

§. 2. De ratione qua sanctificandi sunt dies festi.

227. Jam innuimus, duas partes complecti observationem festorum, alteram negativam, positivam alteram: idque generatim, prout in ecclesia obtinet, uti mox dicemus. Interim quod spectat ad legem mosaicam, in sola parte negativa, seu in abstinentia a quovis servili opere constitisse sabbati sanctificatio videtur. Etenim, ut legitur Levit. XXIII. 3.: *Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo.* Ex quibus patet, sanctificationem ibi præscriptam in sola cessatione ab opere servili declarari ad divinum cultum ordinata tum propter significationem eius, tum etiam maxime, quia per eam deputabatur tempus illud divino cultui: ad illam vero nullum opus positivum divini cultus postulari videbatur. Quod si, ut ibidem legitur cap. XXIV., die sabbati duo immolari debebant agni ac duæ decimæ similæ, necnon offerri ac sanctificari panes propositionis, quæ positiva sunt: hæc non respiciebant nisi sacerdotes, neque omnes ac singuli de populo iis adesse tenebantur. Ex consuetudine tamen antiqua traditione recepta vacabant eadem die Hebræi lectioni, aut auditioni sacrarum Scripturarum, [1]) cuius praxis documenta suppetunt tum in Evangeliis, [2]) tum in Actis apost. [3]) Ceterum nullum peculiare præceptum positivum datum esse perhibetur de opere præstando. [4])

228. In nova autem lege præter cessationem ab operibus servilibus, quæ constituit partem negativam præcepti de sanctificatione festorum, habetur pars positiva continens præceptum de auditione Missæ. Hinc de utroque singillatim disserendum nobis est.

229. Ac primo quod attinet ad partem negativam diverso modo hæc obligabat in veteri lege ab eo quo obligat in lege nova. Etenim in lege mosaica omne omnino opus, præsertim quod anteverti posset præcedente die, etiam quoad victum, die sabbati prohibitum erat. [5]) Contra vero in nova lege Ecclesia

---

[1]) Euseb. lib. VIII. de Præp. Evangel. cap. VII.

[2]) Cf. Matth. IV. 1. Marc. I. 12. Luc. IV. 16.

[3]) Cap. XIII. 11.

[4]) Cf. Suarez loc. cit.

[5]) Cf. Exod. XII. 16. XVI. 23. Levit. XXIII. 3., quoad alia festa non adeo rigorose servanda erant.

Digitized by Google

non omnino prorsus opera externa et corporalia, seu laboriosa interdicit christianis, sed solum servilia stricto sensu accepta.[1])

230. Verum non minima est difficultas in decernendis eiusmodi operibus, quæ ideo dicuntur servilia, quia servis committi solent. Sunt igitur qui sentiunt opus servile illud esse censendum, quod causa lucri suscipitur, quodcumque demum illud sit: quod tamen falsum esse ex eo patet, quod plura interdum opera fiant per intentionem lucri, nec tamen servilia sint, sed prorsus liberalia neque ab Ecclesia prohibita, quæ opus in se, non intentionem operantis prohibet die festo. Alii item arbitrantur, omne opus mercenarium opus esse servile: verum et hæc opinio eadem de causa reiici debet, quin plura alia adiiciamus.[2]) Itaque his dimissis, videtur præferenda notio operis servilis, quam exhibet angelicus doctor dicens: *Opera servilia dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ contra liberales dividuntur.*[3]) Hinc opus servile a liberali distinguitur, quod illud esse corporale et materiale quasi per antonomasiam dicitur, cuius partem præcipuam habet corpus, et ad corpus proxime ac natura sua dirigitur; istud vero dicitur magis opus mentis et spirituale, quia potiores partes sibi vindicat mens, et ad eam proxime ac natura sua refertur.

231. Itaque operum servilium nomine, quæ ab Ecclesia ad observationem festorum prohibentur, veniunt omnia opera ruralia, ut arare, serere, metere etc.; item omnia opera artium mechanicarum, cuiusmodi sunt opera fabrorum, sutorum, sartorum, aliorumque similium; demum omnia opera fœminarum, ut nere, suere etc. (præter ea quæ ad victum parandum, domusque nitorem pertinent). Quæ quidem conformia sunt iis, quæ antiquitus statuta novimus: *Cessatio a servilibus operibus imperatur,* ait S. Augustinus, *unde illud est, quod lapidare Deus hominem iussit, qui ligna colligeret.*[4]) Et S. Gregorius M.: *Dominico die a labore terreno cessandum est.*[5]) Sic Concilium Aquisgranense an. 719: *fœminæ opera textilia non faciant, nec copulent vestibus, vel acu fictile faciant.*[6])

---

[1]) Cf. S. Thom. q. 122. art. 4. et Suarez lib. cit. c. XVII. n. 8. 9.
[2]) Cf. Suarez ibid. c. XIX.
[3]) In III. d. 37. art. 5. q. II. ad 2.
[4]) Ep. XXXVI. alias LXXXVI. [5]) Ep. 3.
[6]) Cf. apud Suarez lib. II. cap. XVII.

Digitized by Google

232. Cum vero accenseantur operibus liberalibus ea, in quibus mens seu animus exequendis potiores partes habet, pronum est inferre, talia esse scribere, studere, meditari, docere, aliaque eiusmodi, quæ festis etiam diebus licere docent omnes. *Nullius spiritualis actus exercitium,* inquit S. Thomas, *est contra observantiam sabbati, puta si quis doceat verbo et scripto.* [1]) Et hæc quidem explorata sunt; ast controversia non minima est inter auctores circa nonnullas operationes, an sint accensendæ operibus servilibus, an vero liberalibus, adeoque an permissæ die festo, an prohibitæ. Tales sunt pingere, venari, piscari, bellum gerere, aliaque his similia.

233. Istius quæstionis solutio magna ex parte pendet a consuetudine, hoc ipso quod auctores ancipites sint, an eiusmodi opera sint absolute recensenda inter servilia, an inter liberalia, præsertim cum pleraque istorum operum communia sint dominis ac servis, ac veluti media inter utraque, quæ assumuntur et ad lucrum et ad oblectationem, ad mentis æque ac corporis exercitium. [2]) Sic Suarez pingere servilibus operibus connumerat, contra vero Medina aliique liberale id dicunt, S. Alphonsus ancipitem se exhibet. Idem dic de sculptura, de piscatione et venatione, aliisque similibus, de quibus consulendi auctores theologiæ moralis.

234. Quædam præterea opera sunt, quæ licet non sint prorsus servilia, imo potius ingenua sint ac liberalia, tamen speciali iure exerceri die festo prohibentur, ut iudicia forensia, contractus qui cum apparatu iudiciali ac solemnitate quadam fieri consueverunt, quia nimium animum a Dei cultu avertunt.[3])

235. Exinde facile est colligere, peccare eos omnes, qui prohibita opera festis diebus aggrediuntur; peccant autem graviter vel leviter pro ratione temporis, quod in iisdem insumunt; estque communis sententia, duarum horarum spatium ad materiam gravem constituendam requiri ac sufficere. Nec solum peccant qui eiusmodi opera ipsi aggrediuntur, sed etiam qui ab aliis, et maxime a famulis ea peragi iubent, sive quia qui per alium facit per se ipsum facere censetur, sive quia unicuique mandatum est de proximo suo; sive quia si iumentorum laboribus ut parcerent homines iussit Deus in veteri lege, eo

---

[1]) II. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

[2]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

[3]) Cf. textus iur. apud Suarez l. c.

Digitized by Google

magis christiani cavere debent, ne inhumani sint in eos, quorum opera et industria utuntur.

236. Quæstio insuper institui solet, num per quodlibet peccatum mortale hoc præceptum de sanctificatione festorum ita violetur, ut peccatum ex hac circumstantia novam contrahat malitiæ speciem in sacramentali confessione aperiendam. Sunt qui affirmant, inter quos Alexander Halensis, S. Bonaventura, S. Antoninus, aientes nullum esse opus servile magis divino honori contrarium, quam peccatum. Recentiores tamen plerique, quamvis assentiantur aliquam irreverentiæ rationem peccatum ex hac parte induere, ac propterea turpius fieri, negant tamen novam malitiæ speciem contrahere, quæ obligationem inducat huius circumstantiæ in confessione aperiendæ, tum quia peccatum est magis contra finem legis, seu potius præcepti, quam contra eius substantiam, tum quia id communi praxi minime receptum censetur. [1])

237. Et hæc quidem quoad partem negativam præcepti de festorum sanctificatione. Nunc iam accedendum ad partem affirmativam exponendam, ad id nempe quod faciendum præcipitur. Equidem si ratio habeatur intentionis Ecclesiæ dum vetat christianos servilibus operibus vacare, nulli est dubium, non ad otiandum id statutum fuisse, sed ut dies istos impendant in honorem Dei et ad animæ bonum, quod potissimum fit totius hominis applicatione ad ea religionis opera ac pietatis exercitia, quibus divinus cultus continetur, atque in primis auditione Missæ, et divinorum, quæ in sacris templis peraguntur, officiorum celebratione. Hinc, ut scribit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. XI.: *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam tre, psalmis et hymnis et canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat christianus.* [2]) Et S. Pius V. Constit. IX.: *Antiquorum canonum,* inquit, *statuta renovantes, mandamus .... ut omnes in diebus præfatis ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito et servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, et iudiciorum strepitus*

---

[1]) Cf. S. Alphonsum lib. III. tract. III. De tertio præcep. decalogi. dub. I. n. 275.

[2]) Apud Harduinum Acta Concil. tom. V. col. 359.

Digitized by Google

conquiescant.[1]) Ex quibus manifestum fit, servilium aliorumque operum abstinentiam non præcipi ob inane otium, sed ut utile medium, quo quisque a terrenis curis expeditus ad Deum facilius assurgere rebusque divinis vacare possit.

238. Attamen ex ecclesiastico præcepto nonnisi Missæ auditio sub obligatione venit, atque in duobus his tota consistit præcepta diei festi sanctificatio, scilicet in abstinentia ab operibus servilibus atque in Missæ auditione. Quo fit ut, si duo hæc executioni mandentur, obligationi de sanctificatione festi satisfactum sit; reliqua spectant ad finem præcepti, qui, ut dictum est, non cadit sub præceptum.

239. Idque late ostendit Suarezius, qui rationem exhibet scribens: *Nullum incurri peccatum omissionis contra hoc præceptum, etiamsi nullus alius actus religionis in toto festo fiat præter auditionem Missæ, quia nullum extat de hoc præceptum affirmativum. Negativum autem, prohibens opera servilia, non obligat ad aliquid agendum: ex negatione enim non bene sequitur affirmatio: neque propterea illud inutiliter præcipitur, quia propter cultum præcipitur;*[2]) atque idem doctor præterea ostendit hoc præceptum antiquissimum esse, et ab apostolicis temporibus consuetudine universali esse receptum. Et reipsa id aperte adstruitur tum ex lib. Clementinis,[3]) tum ex canonibus apostolicis[4]) præter statuta conciliorum.[5])

240. Obligare autem sub gravi præceptum de sanctificatione festorum, patet ex proposit. 51. damnata ab Innocentio XI.: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.*

§. 3. De iis, quæ a festorum observatione excusant.

241. Præmittamus heic necesse est: 1° aliud esse non obligari, aliud vero excusari. Non obligatio est de iis, ad

---

[1]) In Bullar. Rom. 1745. tom. IV. can. II. pag. 285. §. 7.

[2]) De relig. tract. II. lib. II. c. XVI. n. 16. Huic sententiæ adstipulatur S. Alphonsus l. c. Cf. Ituriaga in italica dissertazione teologico-morale intorno alla sanctificazione delle feste. Opp. vol. II. part. 1. Genova 1790.

[3]) Lib. II. const. apostol. cap. LIX.

[4]) Can. III. ex vers. Dionys. Exigui ed. Coteler.

[5]) Apud Suarez loc. cit.

Digitized by Google

quæ non tenemur, quia sub lege non sunt, cuiusmodi in materia de qua agimus sunt opera liberalia; excusatio vero est de iis, quæ per se lex complectitur, cuiusmodi in casu nostro sunt opera servilia, quæ a lege ecclesiastica die festo interdicuntur. Rursum provenire potest excusatio sive per se, sive per dispensationem: per se quidem, cum causa adeo gravis est, ut merito censeri debeat, Ecclesiæ mentem non esse in tali casu obligare; per dispensationem autem, cum causa, licet iusta et rationabilis, non adeo gravis est, ut tollat obligationem, sed ad eam tollendam necesse est ut accedat voluntas et licentia prælati, qui ab obligatione dispenset. 2° Animadvertimus: sive excusationem, sive dispensationem cadere posse tum in partem negativam, tum in partem positivam legis ecclesiasticæ de observatione festi, prout in præcedenti paragrapho expositum est. Primum igitur disseremus de excusatione, acturi postea de dispensatione.

242. Regula generalis ad inducendam excusationem petitur ex necessitate imminenti, quæ anteverti non potuit, vel quia est repentina, vel quia a longo tempore perdurat, vel quia usus et humana conditio aliud non patitur. Ex hoc generali principio quatuor deducuntur causæ particulares propter quas excusantur, seu licita fiunt opera servilia die festo. Sunt autem:

243. 1° Necessitas sive propria sive aliena; qua fit ut liceant ea opera, ex quorum omissione grave detrimentum vel incommodum sequeretur. Hac ratione Christus Matth. XII. discipulos suos spicas ad famem pellendam die sabbati vellentes et confricantes a pharisæorum accusatione vindicavit, subdens, Davidem quoque eiusque socios similis necessitatis causa panes propositionis, quos nisi solis sacerdotibus edere non licebat, sine peccato manducasse. Hac itaque causa licet imminente procella segetes coacervare, atque etiam domum transvehere, licet aquis inundantibus aggeres opponere, licet opera incœpta, quæ sine gravi damno interrumpi minime possunt, festivis diebus prosequi, ex. gr. coquere lateres, tegulas, calcem, vitrum aliaque eiusmodi. Hoc porro non tam a positivo iure quam a natura operis pendet: quum nempe constet inchoatum opus non posse intermitti die festo sine notabili dispendio personæ vel communitatis, tunc potest die festo continuari; secus quando non intervenit hæc necessitas; quando vero talis necessitas urgeat, ait Suarezius, ad artifices determinare spectat, et

Digitized by Google

illis credendum est.[1]) Cavendum tamen, ne fraus aut dolus aliquis interveniat.

244. Ex hoc eodem capite auctores communiter excusant famulum, qui cogitur præcepto heri sui ad laborandum dié festo, nec potest illi non parere sine gravi incommodo, quia vel privaretur stipendio, vel alimento necessario, vel domo excluderetur, privareturque famulatu cum gravi iactura, quia non sperat alium se facile inventurum. Ita quidem, dummodo, ut iidem auctores animadvertunt, id non fiat in iniuriam vel contemptum festi aut religionis, prout ab incredulis aut hæreticis dominis fieri consuevit.

245. 2° Pietas seu religio, quæ licita reddit ea omnia, quæ ad Dei cultum proxime pertinent: nam *sacerdotes,* ait Christus Matth. XII. 5., *in templo sabbatum violant et sine crimine sunt.* Hinc licet etiam diebus festivis altaria instruere, templa alicuius festi causa ornare, verrere et purgare, si opus sit; non ita tamen cetera operum genera, quæ remote tantum ad divini cultus utilitatem pertinent, ac diebus non festis peragi commode possunt, cuiusmodi sunt parietes dealbare, vel purgare, supellectilem reficere, ornamenta configere, etiamsi gratis præstentur, absque necessitate vel non impetrata opportuna facultate.

246. 3° Caritas erga proximum in aliqua gravi necessitate constitutum. Nam *licet sabbatis benefacere,* inquit Christus Matth. XII. 12. Proinde si licet sabbato ovem prolapsam in foveam extrahere, a fortiori licet homini in aliqua necessitate posito opportunam opem ferre. Itaque, si salus aut vita proximi periclitatur, licet pro illa tuenda et defendenda laborare die festo, et si domus proximi succenderetur, laborandum est ad ignem extinguendum, et ita de aliis similibus iuxta illud Bernardi effatum: *Quæ pro caritate inducta sunt, non debent contra caritatem militare.*[2]) Cohærenter ad eiusmodi principium docet S. Antoninus, diebus festivis licitum videri laborare pro pauperibus cum his conditionibus: 1° ut non omittantur divina; 2° quod non fiat propter lucrum; 3° quod illi, pro quibus laboratur, vere indigeant, gravi scilicet, non communi necessitate urgeantur.[3]) Usus tamen communis invaluit, ut ad maiorem conscientiæ securitatem id non fiat præter urgentes

---

[1]) Cf. lib. II. cap. XXXII. n. 4.

[2]) Serm. L. in Cantica.

[3]) Cf. S. Alphonsum loc. cit.

Digitized by Google

casus, nisi cum debita facultate; aut saltem tutius semper erit uti consilio prudentis, quando necessitas non est patens; si vero evidens sit, tutius est in huiusmodi labore excedere quam deficere: ac, si recta intentione fiat, numquam in hoc admittetur peccatum. Immo et illud addo, quod ordinaria ratione securius quispiam potest proprio iudicio duci in laborando die festo ut necessitati proximi potius subveniat, quam propriæ, quia non tam facile excedet in hoc ex affectn ad alium, sicut ad seipsum.

247. 4° Consuetudo legitime inducta, de qua Gersonius in regulis moralibus hæc habet: *De operibus servilibus non exercendis diebus dominicis, et festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum a prælatis tolerata, quam alia lex scripta. Consuetudo exercendi opera servilia hæc ab istis, hæc ab illis, diebus festivis tunc maxime dicenda esset corruptela, quando totaliter a servitio Dei et a cultu festorum, et maxime ab auditu Missæ revocaret; quando præterea hæc servilia magis ex cupiditate, quam pia necessitate reipublicæ pertractentur.*[1]) Atque hac quidem consuetudine excusantur emptiones et venditiones rerum parvi momenti, præsertim quæ pertinent ad victum quotidianum, quæ tamen, quoad eius fieri potest, tempore divinorum officiorum permitti non debent. Recensitæ causæ omnes, quæ possunt ab his operibus excusare, revocantur in iure ad duo hæc generalia: *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.*[2])

248. Nunc præstat aliquid adiicere circa excusationem ab auditione Missæ, quæ pars est positiva istius præcepti de sanctificatione festorum. Illud porro in genere dici potest: causas omnes recensitas, quæ excusant a cessatione ab operibus servilibus excusare pariter ab auditione Missæ. Sed præterea in specie impotentia physica vel moralis præter dispensationem, de qua postea, excusant ab hac lege imposita ab Ecclesia. De impotentia physica nihil est quod dicatur, cum res ipsa per se loquatur: adeoque tum carceribus detenti, aut mancipati militiæ, tum in regionibus hæreticorum et infidelium degentes, ubi nulli inveniuntur sacerdotes, si ex necessitate vel legitima ex causa ibi degant, item seu maritimis seu terrestri-

---

[1]) De præcept. decal. n. CIV. Opp. Gerson. ed. Ellies Du Pin, Antwerp. 1706. tom. III. col. 96.

[2]) In cap. ult. de feriis. Cf. de his Suarez loc. cit. cap. XXXII.

Digitized by Google

bus intineribus occupati, graviter ægrotantes, aliique eiusmodi absque dubio absoluti omnes habentur ab hac obligatione.

249. Morali qui detinentur impotentia, quæ in magna difficultate consistit, excusantur pariter a Missa audienda; quoties igitur lex observari nequit absque gravi labore, seu gravi damno temporali vel spirituali sive proprio sive alieno, ab Ecclesia, quæ pia mater est, non fit obligatoria. Quapropter qui sine vero periculo aut scandali seu ruinæ spiritualis, aut gravis damni temporalis in vita, in corpore, in fama, in fortunæ bonis Missæ assistere nequeunt, excusati a culpa sunt. Sic convalescentes, infirmis inservientes, matres aut ancillæ infantulos custodientes, et sic innumeri prope alii pro diversitate circumstantiarum, in quibus versantur, liberi a transgressione sunt, quin eos singillatim persequamur. Nimis enim longum et ab instituto nostro alienum esset singulos practicos casus enumerare, qui apud institutores theologiæ moralis facile inveniri possunt, præsertim vero apud S. Alphonsum, qui divina speciali providentia postremis hisce temporibus Ecclesiæ datus est in hac disciplina apprime doctus, de cuius operibus libenter usurpabo verba, quæ in commendationem scriptorum S. Hilarii Pictaviensis protulit S. Hieronymus: S. Alphonsi *libros inoffenso decurrat pede.*[1])

250. Si non habeatur alius sacerdos quam excommunicatus, denunciatus, aut notorius clerici percussor, nec debebis nec poteris eius interesse Missæ: si vero agatur de notorio concubinario, aut de notorie excommunicato notorietate tantum facti, non vero iuris, poteris quidem illorum Missam audire; sed in detestationem scelerum eiusmodi sacerdotum expedit magis ab illa abstinere.

251. Quoad eos, qui excommunicationi et interdicto obnoxii sunt, quamdiu per ipsos non stet quominus ab iis absolvantur, a Missæ auditione excusantur. Omnes tamen tenentur removere obstacula, quæ ipsos quomodocumque impediant ab observatione legis, præsertim cum prævident obstacula eiusmodi: qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media.

252. Supervacaneum existimo admonere, neminem vi præcepti ecclesiastici teneri ad audiendam Missam parochialem. Nam licet id pluribus ex capitibus valde utile sit et commendandum tum ob concionem et catechismum, tum ob festorum

---

[1]) Ep. CVII. ad Lætam n. 13. ed. Vallars.

Digitized by Google

ac vigiliarum denunciationem, tum ob bannorum, ut vocant, publicationem, aliaque eiusmodi, attamen cum nulla lege fideles adstringantur ut illi Missæ intersint, profecto in culpa non sunt ac legi satisfaciunt, si aliam Missam die festo audiant. Tot enim habentur hac de re Rom. Pontificum declarationes, ut omne prorsus dubium amotum sit.[1])

§. 4. De dispensatione a festorum observatione.

253. Dispensatio est iuris relaxatio ex aliqua parte concessa ab habente postestatem, qua tollitur obligatio præcepti in particulari. Hæc locum habet in omni lege positiva. Dispensatio distinguitur in expressam et tacitam, seu in eam, quæ ab ipso superiore verbo aut scripto aperte conceditur, et in eam, quæ usu et consuetudine cognita et tolerata a prælato inducta est.

254. Duo requiruntur ad legitimam dispensationem, potestas videlicet in eo qui dispensat, et causa ob quam dispensatio datur; cumque agatur de dispensatione legis, patet illi soli inesse potestatem dispensandi qui legem tulit; iam vero sola Ecclesia est, ex dictis, quæ in nova lege festa instituit: ergo illa sola potest concedere dispensationem. Non est igitur potestatis laicæ, quæcumque demum ea sit, etiam supremi gradus, a festorum observatione dispensare, multo vero minus festa abrogare aut transferre.

255. Ratione supremæ potestatis, qua Rom. Pontifex pollet, dispensare valet quotiescumque opus fuerit in universa Ecclesia; quod facere profecto non possunt episcopi, qui nonnisi in propriis diœcesibus ac pro festis localibus dispensare queunt, aut, si agatur de festis generalibus, possunt tantummodo dispensare cum particularibus personis et quoad aliquos actus ab illorum observatione, non autem illa aut abrogare aut transferre; id enim esset sibi arrogare auctoritatem in iis, quæ ab auctoritate superiori constituta sunt. Quocirca a Pio VI. in Constit. dogmatica: Auctorem fidei damnata est propositio LXXIV. pseudo-synodi Pistoriensis: *Declaratio synodi de transferendis in diem dominicam festis per annum institutis, idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus ex*

[1]) Cf. Billuart disp. VI. art. VII., ubi indubia documenta profert.

Digitized by Google

pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum ... quatenus adstruit, episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis ieiuniisque celebrandis, aut inductum Missæ audiendæ præceptum abrogare: propositio falsa, iuis conciliorum generalium et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

256. Dixi, posse episcopum dispensare in festis propriæ diœceseos aut, si sermo sit de festis quæ obtinent in universa ecclesia, quoad particulares personas et quoad actus peculiares; episcoporum autem nomine veniunt etiam ordinarii, qui episcopalem habent auctoritatem, vel de ea participant. In urgentibus casibus in quibus prælatus adiri nequit, ut in oppidis a civitate distantibus, ex communi sententia, etiam parochi possunt dispensationem concedere.

257. Et hæc de potestate. Quoad causam vero, quæ est altera conditio quæ requiritur ut dispensatio dari possit, hæc debet esse rationabilis, et eo gravior, quo de dispensatione a re maioris momenti agitur, ne dissipatio videatur. Hoc autem intercedit discriminis inter prælatum qui dispensat in lege propria, et illum qui dispensat in lege superioris, quod qui dispensat in lege propria, si causa desit, quamvis ipse male se gerat, tamen eius dispensatio valida est: qui vero dispensat in lege superioris, nulla interveniente rationabili causa, eius dispensatio est iniusta ac nulla. Peccaret insuper qui illa uteretur, nisi ei bona fides suffragetur; in dubio præsumptio stat pro superiore dispensante. Voluntas autem superioris præsumi non debet, quoties evidens necessitas non urget, et superior adiri potest.

258. Præter dispensationem quæ conceditur ab homine alia dari potest a iure, quæ duplex invenitur, altera quæ habetur in cap. Licet de feriis, daturque in speciali casu de piscatione alecum, eo quod si omittatur occasio, quæ raro contingit, res cederet in damnum reipublicæ. Quod vero dictum est de alecum captura doctores extendunt ad similes casus de sardiniis et thynnis, quia lex non materialiter accipienda est, sed formaliter tamquam lex generalis.[1]) Altera vero dispositio iuris hac in re in cap. Conquestus de fer. reperitur, quo conceduntur quæ ad iudicia forensia spectant, si necessitas

[1]) Ita Caietanus et canonistæ passim apud Suarez loc. cit. cap. XXXIII.

Digitized by Google

urgeat et pietas suadeat. Verum in rigore et proprie non tam dispensatio, quam exceptio dici deberet, cum potius præveniat, ne lex in illis casibus obliget, quam dispenset, eo quod dispensatio ex dictis sit ablatio obligationis legis in particulari casu, in quo lex de se obligabat.[1])

259. Habetur demum dispensatio ex consuetudine seu quam ipsa consuetudo invexit, non tamen sine tacito saltem prælatorum consensu. Siquidem ex præmissis, illius tantum est in lege dispensare, qui legem constituit: porro non auctoritate populi, sed prælatorum, potissime vero Rom. Pontificis festa constituta sunt, adeoque nonnisi ipsorum conniventia aut tacita saltem probatione, consuetudo vim derogandi legi de observatione festorum nanciscitur.

260. Ex hoc capite plura licite fiunt die festo, quæ alioquin prohibita essent. Sic barbitonsores capillos tondent die festo, et barbas radunt; ita etiam excusantur aliqui artifices, qui die festo ad vesperam materiam aliquo modo præparant in diem sequentem, et ita porro.

§. 5. De rigore pharisaico puritanorum et protestantium in observatione diei dominicæ.

261. Ideo heic impetimus protestantes, quia ipsi, dum totam religionem suam vix non unice ponunt in pharisaica festorum dierum observatione, insultant catholicis, quod festa violent ob ea, quæ uti sibi licita peragere consueverunt ex Ecclesiæ conniventia. Verum perperam ita protestantes sentire ex eo patet, quod ad ita sentiendum inducantur ab inolito errore, qui apud ipsos viget. Quod quidem ostendere operosum non est.

262. Etenim 1° ipsi errant in eo quod autument dierum festorum observationem, dominicæ præsertim, ex divino præcepto provenire, cum nonnisi ex institutione Ecclesiæ repeti possit. Nam tertium decalogi præceptum quo tum tempus tum modus observationis sabbati determinantur, non est nisi cæremoniale. Quamvis enim ex lege naturali homo teneatur aliquod tempus in Dei honorem consecrare, tamen quantum eiusmodi tempus esse debeat et quale, ex legis naturalis præscripto, nuspiam determinatum invenitur. Quod si Deus statuit integrum sabbatum a vespere ad vesperam, id non afficiebat

[1]) Cf. Suarez loc. cit. n. 11.

Digitized by Google

nisi solos Hebræos; idem dic de absoluta cessatione ab omni opere externo et laborioso: adeoque totum cæremoniale fuit. Abolita igitur per Christi mortem universa cæremoniali lege, evidens est institutionem sabbati pariter abolitam esse, neque Christianos amplius obligare sive quoad tempus sive quoad modum. Imperitos proinde se præbent protestantes, dum affectant etiam diem dominicam passim sabbatum nuncupare.

263. 2° In potestate Ecclesiæ fuit sabbato dominicam diem sufficere sanctificandam, prout reipsa substituit. Verum si eiusmodi institutio ecclesiastica est, ex vi eiusdem potestatis erat, prout est, determinare modum quo dies hæc sanctificari debet: plura vero ipsa concedit in eius observatione quæ olim vetabantur, et si opus fuerit pro tempore et loco, ceterisque rerum adiunctis relaxat, temperat ac dispensat, utpote pia mater, quæ sese filiorum suorum aut necessitati, aut imbecillitati accommodat. Contra vero protestantes hæretici, præsertim presbyteriani seu puritani, qui nullam in Ecclesia potestatem agnoscunt, non sibi sane cohærentes: etenim diem dominicam observant ab Ecclesia ex dictis institutam; tum vero, perinde ac si adhuc perseverarent præscriptiones rigorosæ diei sabbati, sectantur veluti ex præcepto divino exteriorem pharisæismum, cum interdum alicubi neque sibi providere die dominica homines permittant quæ ad victum stricte necessaria sunt, cuiusmodi esset panis, superveniente aliqua necessitate, nec currere per agros aliaque his similia præstare. [1])

264. 3° Obligatio, quæ viget apud protestantes de observatione diei festi, politica potius ac officialis dici debet quam religiosa. Etenim per civiles leges, et quidem pœnales, provisum est eiusmodi observationi, adeo ut transgressores aut mulcta pecuniaria, aut carcere plectantur; ac nisi eiusmodi rigor adhiberetur, hæc observatio aut omnino aboleretur, aut certe magna ex parte deficeret. Et isti sunt qui insultant Catholicis!

[1]) Ac reipsa legimus in publicis ephemeridibus, in Anglia a iudicibus pœna mulctatum fuisse quempiam pistorem, eo quod paucos vendiderit panes civi ad quem ex improviso quidam supervenerant advenæ; item Hibernensem per agros die dominica currentem; et ita porro. Idem rigor viget in Scotia, ubi nec permittuntur aleæ, aut lectio ephemeridum die festo, dum tamen non puniuntur se inebriantes, aut lupanaria eodem die frequentantes. In Oceania methodistæ rigorosiores adhuc se præbent erga infelices incolas quos subegerunt, adeo ut nec cibos coquere eisdem permittant. Ita diabolus sub pietatis specie eiusmodi sectarios excœcat!

Digitized by Google

265. Num vero catholica Ecclesia an protestantismus, ac nominatim puritanismus aut quackerismus magis Christi spiritui ac menti se conformes præbeant, ex perlevi evangelicæ historiæ inspectione facile patebit. Siquidem ex Evangelio constat quidam veluti antagonismus inter Christi sententias agendique rationem et pharisæorum rigorismum in sabbati observatione. Sex enim occurrunt apud evangelistas loca, in quibus hac de re agitur; constanter vero in iis deprehendimus, Christum benigniorem sectatum esse sententiam circa eiusmodi observationem, luculentisque miraculis eam confirmasse, secus ac sentirent agerentque pharisæi. Hæc percurrentes reipsa Christum invenimus a pharisæis vituperatum eo quod sabbatum aut violaverit penitus aut certe minus accurate servaverit. 1° Sane Matth. XII. 10. Marc. III. 1. et Luc. VI. 6. legitur, pharisæos observasse Jesum in synagoga, si sabbatis curaret, ut accusarent eum; cumque ipse homini manum aridam habenti sanitatem restituerit, hac de causa *pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.* 2° Rursum Christus Luc. XIII. 11. exhibetur mulierem, *quæ a decem et octo annis erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere,* erigens, atque idcirco ab archisynagogo saltem indirecte reprehensus; Jesus eum pudore suffudit hypocritum vocans. 3° Sic pariter Joan. V. 8. languidum ab annis triginta et octo ad Bethsaidæ probaticam piscinam cum invenisset, Jesus eum uno verbo sanavit dicens: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.* Exinde factum est, ut eum persequerentur pharisæi, *quia hæc faciebat in die sabbati.* 4° Item Luc. XIV. 2. comperimus, Christum hominem hydropicum, die sabbati sanasse atque idcirco fortasse ex intelligentia pharisæi legisperiti, qui eum ad mensam invitaverat, tamquam violati diei festi insimulatum fuisse. 5° Excitatus denuo est spiritus pharisaicus, cum Jesus die sabbati, luto facto, linivit oculos cœci nati, Joan. IX., atque idcirco pharisæi dixerunt: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit,* atque peccatorem palam proclamaverunt. Attamen in his omnibus stupenda miracula intervenerunt, quibus suam agendi rationem Christus manifestabat. 6° Sed et nullo demum interveniente miraculo Matth. XII. 1. seqq. perhibetur Jesus causam agens discipulorum suorum contra impactam ipsis accusationem, quod die sabbati spicas convellerent, manibusque confricarent ad famem depellendam.

266. Ex eiusmodi porro constanti oppositione inter Christi agendi docendique rationem et contrarias pharisæorum obiurgationes, facile quisque intelliget, longe magis catholicos

Digitized by Google

Christi exemplo ac doctrinæ conformes se præbere in festorum observatione, qui benignam, quam protestantes, præsertim vero puritanos, qui pharisæorum vestigiis insistentes rigorem nedum consectantur sed etiam æmulantur. Dum enim Ecclesia catholica profitetur sabbatum, seu verius dominicam diem propter homines institutam, non autem hominem propter sabbatum conditum, caritatis opera præfert ac proximorum indigentium curam otiosæ præfert disputationi, dumque die festivo sanctam lætitiam infundit, et honestam fidelibus suis indulget recreationem, protestantes e contra et puritani rigidam urgentes observationem impediunt, quominus infirmis ac necessitatem habentibus adepti sui suppetias ferant, quandoque etiam non solum in necessitate gravi constitutis, sed vel ipsis morituris præsto sint, ac ideam tristitiæ diei sancto ingerunt, atque otio, non autem honestæ quieti eum deputant.

267. Ne vero quis hæc a nobis per exaggerationem prolata existimet, suppetunt nobis exempla ex protestantium ipsorum documentis deprompta ad id ostendendum. Etenim præter superius commemorata facta, cl. Card. Wiseman (cuius amissionem lugemus) paucis abhinc annis in occidentali Angliæ provincia quamdam mulierem exanimatione periisse, eo quod societas ad hoc instituta, die dominica ei recusaverit stipem, ne eam violaret, [1]) item denegatam testatur iter agendi commoditatem in viis ferreis alteri mulieri, ad invisendam consanguineam, quæ animum agebat, sub eodem prætextu. Rursum idipsum negatum refert sacerdoti catholico, qui alia ratione nequibat extrema Sacramenta morienti administrare, et ita porro. Quin etiam eo in nonnullis puritanis fanatismus in die dominico servando progressus est, ut (risum teneatis amici!) legem ad speciem etiam felinam de sabbato servando extendere visi sint, ac reipsa infelix multactus sit felis, eo quod tali die mures insectatus fuerit. [2])

268. Quaquaversus igitur eiusmodi agendi ratio spectetur, nequeunt probrosam illam Salvatoris notam hypocrisis in pharisæos latam vitare qui ita se gerunt. Siquidem dum isti

---

[1]) In opusc. inscripto Gli atti del Nuovo Testamento. Milano 1858. in collectione: Le Parabole, i miracoli, e gli atti del Nuovo Testamento. pag. 267.

[2]) Quod quidem contigit in regione Banbury nuncupata. Alia similia cf. apud Hœninghaus La Reforme contre la Reforme. tom. 11. ch. IX.

Digitized by Google

ex una parte adeo rigorose urgent Sabbati ita dicti observationem mane, exinde a meridie omne flagitium, comessationes, potationes, turpitudines omnigenas impunitas dimittunt. Et ii ipsi qui negant pauperi facultatem coquendi cibos eadem die mensis opiparis assident ad instar illius pharisæi, qui scandalizatus est de Christo Domino, qui inter epulas ad quas invitatus fuerat, hydropicum sanum fecit die sabbati.

269. Hæc sedulo adnotanda erant adversus illos protestantes, qui catholicos obiurgare non cessant, immovero Ecclesiam catholicam ipsam, quod nonnulla necessitatis aut caritatis opera permittat filiis suis dominica die, nec iis dicat cum hypocrita archisynagogo (Luc. XIII. 14.): *Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite et curamini, et non in die sabbati;* prout nec dixit Christus iis, in quorum gratiam miracula edidit in die sabbati, etsi nec de impendente morte, neque de urgente aliqua necessitate ageretur. Ecclesia opera vere servilia die festo prohibet, publica negotia aliaque eiusmodi; sed abhorret ab illa duritie quam hæretici consectantur, et in qua videntur totam sanctitatem suam constituere.

270. Quod si plures paucioresve fideles obtentu libertatis, seu verius licentiæ quam præbent civiles leges nonnullorum guberniorum, propriæ salutis obliti die festo apertas tenent officinas, publicis aut privatis operibus, fabrilibus operibus incumbunt, istos tamquam transgressores habet ac damnat. Interim haud paucorum fidelium pietas huic scandalo obviam ire connititur per societatum institutiones, quæ non modo se obstrinxerunt ad festa servanda, religioseque transigenda, verum etiam ad alios suo exemplo et industria ad idem præstandum permovendos tum in Galliis, tum in Belgio aliisque regionibus adeo felici exitu, ut pauci iam ibi reperiantur, qui grave adeo præceptum publice violent.[1]) Atque utinam omnes ita se gererent, absque dubio a Deo tot malorum quæ etiam ex hoc capite ingruunt societati liberationem obtinerent.

---

[1]) Huc referuntur haud pauca sodalitia, confraternitates, institutiones, quæ tum Lugduni, tum Massiliæ, tum alibi his postremis annis in Galliis præsertim erectæ sunt ad festorum observationem promovendam. De his catholicæ ephemerides passim disseruerunt, ac non paucæ lucubrationes editæ sunt in eumdem finem.

Digitized by Google

Caput VI.

De iureiurando.

271. Jusiurandum a iure nomen habet: idque triplici ex capite, tum respectu Dei, tum respectu hominum, tum respectu ipsius iurantis. Respectu quidem Dei, quia, ut docet S. Augustinus, qui utitur iuramento, ius veritatis reddit Deo, cui proprie convenit patrocinium veritatis suscipere.[1]) Respectu hominum, quia humano iure introductum est iuramentum ad veritatis confirmationem. Respectu iurantis, quia iuramentum est quoddam veluti ius et lex, quo se aliquis adstringit ad id implendum quod iuravit: *Id enim quod iuratur, pro lege habendum est, et veluti ius sancte servandum,* ut habetur in lege V.[2]) Juramentum item alio nomine tum in iure canonico tum apud profanos auctores passim sacramentum vocari consuevit, eo quod per rem sacram, nempe per Deum ipsum, fiat, atque etiam, ut animadvertit Suarez, quia est rei sacræ signum, infallibilis videlicet veritatis testimonium.[3])

272. Definitur autem: invocatio divini testimonii ad faciendam fidem.[4]) Cum enim humanum testimonium sæpe fallax sit ac mendax, incidant vero casus, in quibus magnopere expediat præter omnem dubitationem ea constitui quæ homines testantur, usus propterea invaluit, ut, cum causæ magni momenti aguntur, eorum quæ homines asserunt vel promittunt testis invocetur ille, quem nullæ cogitationes latent; hoc nimirum fundamento, quod nemo hominum adeo impudens existat, ut Deum omnis malitiæ cognitorem ac vindicem in confirmationem mendacii advocare præsumat.[5])

---

[1]) Serm. CLXXX. alias XXVIII. de verbis apostoli n. 7., cuius verba hæc sunt: *Quid est autem iurare, nisi ius Deo reddere, quando per Deum iuras?*

[2]) ff. de iureiurando.

[3]) Lib. I. de iuramento. cap. I. n. 3.

[4]) Ita S. Thomas II. 2. q. 89. art. 1.

[5]) Quod autem a profanis auctoribus probatum est. Hinc Aristoteles in Rhetorica ad Alexandrum affirmat, iusiurandum cum divina invocatione esse dictionem probationis expertem, quatenus scilicet alia probatione caret. Ex Cicerone lib. III. de officiis: *Jusiurandum est affirmatio religiosa.* Valerius Maximus plura eiusmodi iuramentorum exempla refert lib. VI. cap. VI. de fide publica.

Digitized by Google

273. Licet vero iuramentum in se ac formaliter, ut aiunt, unum sit, materialiter tamen bifariam dividitur, scilicet ratione veritatis in se, et ratione modi, quo veritas asseritur. Si spectetur ratio ipsa veritatis in se, iuramentum aut dicitur promissorium, quo rei alicuius in posterum præstandæ promissio confirmatur; cum autem res aliqua vel absolute, vel sub aliqua conditione promitti possit, hoc iuramentum aliquando absolutum, aliquando vero conditionatum est: aut dicitur assertorium, quo quis asseverat rem aliquam præteritam, aut præsentem. Si autem spectetur ratio modi, quo veritas asseritur, iuramentum dicitur contestatorium, si simplex sit, si vero contestationi adiiciatur verbum, seu formula aliqua ad exprimendam voluntatem ut Deus ulciscatur falsitatem eius quod asseritur aut promittitur, execratorium appellari consuevit. [1])

274. Rursum ratione modi iusiurandum aliud dicitur explicitum, quum Deus expresse invocatur in testem, uti cum dicitur: *Deum testor,* vel *iuro per Deum, per Christum,* res ita est; aliud implicitum, quum indirecta aliqua ratione tantum et ex adiunctis, Deum rei alicuius confirmandæ gratia nominari apparet, uti cum dicitur: *Vivit Deus,* vel aliquid ad Deum pertinens in testimonium adducitur, uti cum per Evangelia, per Sacramenta iuratur. Insuper aliud dicitur solemne, quod præstatur cum quibusdam solemnitatibus, ex. gr. tactis Evangeliis, accensis cereis; aliud simplex, quod sola Dei invocatione sine ulla solemnitate perficitur.

275. Quibus notionibus præstitutis, quatuor præcipue nobis sese discutienda offerunt, nempe iurisiurandi sanctitas et honestas; conditiones, quas iurisiurandi eiusdem sanctitas postulat; obligationes, quas iniungit; vitia demum, quæ illud inquinare possunt. Hæc vero distincte singulis articulis percurremus.

---

[1]) Tale fuit passim ab Hebræis usurpatum, et hac formula exprimebatur: Hæc mihi faciat Deus et hæc addat; et apud nos: Ita me Deus adiuvet: hoc est: non me adiuvet Deus, nisi res ita sit; ita etiam cum dicitur: puniat me Deus; peream; dæmon me auferat etc.

Digitized by Google

Articulus I.

De iuramenti honestate et sanctitate.

276. Ætate hac nostra nonnullæ protestantium sectæ, Anabaptistæ præsertim, Sociniani non pauci, præcipue vero Quackeri iuramentum quodcumque uti malum ac Evangelio contrarium traduxerunt. [1]) Hi propterea vel in ipsis tribunalibus coram iudicibus iuramentum præbere recusant sub religionis obtentu. Perperam autem ipsos ita sentire atque se gerere ostendendum nobis est, ac vindicanda hac in parte Ecclesiæ catholicæ doctrina et praxis adversus Quesnellum, cuius propositio 101. a Clemente XI. in Constitut. Unigenitus proscripta est: *Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.* [2]) Itaque contra hos omnes breviter comprobamus, iuramentum actum esse religionis, eiusque usum per se sanctum esse ac licitum.

277. Diximus per se, seu in se spectatum iuramenti usum sanctum ac licitum esse, cum nempe concurrant conditiones omnes quæ ad rite iuramentum emittendum concurrunt, quas deinde recensebimus: dicimus autem iuramentum sanctum et licitum etiam in nova Lege, secus ac adversarii contendant.

278. Jam vero iuramentum actum esse religionis ex eo facile liquet, quod Deum invocare in veritatis alicuius testem sit honorem Deo deferre, Deum ipsum agnoscere velut nostrarum cogitationum inspectorem, ut veracem et iustum malæ fidei

---

[1]) Istis præiverant in hoc errore Cathari, Waldenses, et Apostolici nuncupati, qui docuerunt, omne iuramentum in nova lege esse illicitum. Item Wicleffus, qui illicita saltem affirmavit iuramenta, *quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia.* Art. 43. inter proscriptos a Conc. Constantiensi. De Catharis et de Waldensibus testis est Guido in istorum historia. De Fraticellis et Apostolicis id ipsum testatur Card. a Turre Cremata in Summa de eccles. par. II. cap. 37.

[2]) Directa est eiusmodi propositio adversus decretum Alexandri VII. subscribendi cum iuramento formulario ab ipso proposito adversus Jansenistas circa damnationem quinque propositionum Jansenii in sensu auctoris. Cf. de Fontaine in constit. Clementis XI. Romæ 1724. tom. IV.

Digitized by Google

vindicem. Hinc legimus Deuteron. VI. 13.: *Per nomen illius iurabis;* et Ps. LXII. 12.: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Spectatum propterea semper fuit iuramentum velut actus latriæ, quo cultus supremus Deo exhibetur.

279. Sane exempla suppetunt præstiti iuramenti apud sinceros Dei cultores: atque, ut cetera mittamus, reperimus Genes. XXI. 2., XXIV. 22., XXVI. 31., XXXI. 53. iurasse sanctissimos patriarchas Abrahamum, Isaacum, Jacobum. Deum vero probasse eiusmodi agendi rationem ex eo constat, quod vel ipse ad firmandas promissiones suas dedignatus non sit iuramentum interponere, ut habetur Genes. XXII. 16.: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus .... benedicam tibi etc.* et Ps. CIX. 4.: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.*

280. Ne quis vero dicat obtinuisse id quidem in veteri lege, in nova autem iam non licere iuramentum assumere, præsto sunt luculentissima pariter exempla in lege evangelica sanctorum virorum, qui se iuramento obstrinxerunt. Sic Rom. I. 9. legimus, apostolum Paulum iurasse illis verbis: *Testis mihi est Deus .... quia sine intermissione memoriam vestri facio;* et iterum II. Cor. I. 23.: *Ego testem Deum invoco in animam meam.* Quod profecto apostolus numquam fecisset, si iuramentum illicitum foret.

281. Exinde sponte sua fluit, sanctum ac licitum omnino censendum iuramentum, cum agatur de actu, cuius principium finis et materia bona sunt, ut ex dictis palam fit. Præscriptum idcirco conspicimus iuramentum tum a potestate civili seu politica, tum a potestate ecclesiastica. Atque, ut brevitatis gratia ad potestatem ecclesiasticam nos coarctemus, satis sit commemorare quæ statuit Tridentinum circa iuramentum præstandum ab examinatoribus synodalibus, a magistris, aliisque. Item Pius IV. iuramentum præscripsit omnibus edentibus fidei catholicæ professionem, qui sunt prope innumeri, atque sic Rom. Pontifices ab ecclesiasticis tribunalibus emittenda iuramenta sanxerunt, aliisque passim in rerum adiunctis. [1])

---

[1]) Innocentius III., ut habetur in titulo de sententia excommunicationis cap. Excommunicamus, excommunicat obstinate respuentes iuramenti religionem. In synodo Ephesina, œcumenica III., patres exegerunt iuramentum a Nestorio: item quidam Victor, S. Cyrilli amicus, se iuramento purgavit a falso crimine sibi impacto. Cf. Harduin in Act. concil. tom. I. S. Athanasius in

Digitized by Google

282. Nec alius umquam sensus in Ecclesia viguit, ut constat ex Patrum testimoniis, quæ mox expendemus in solutione difficultatum quas adversarii urgent.

283. Potissimæ adversariorum difficultates hæ sunt: Christus Matth. V. 34. quodcumque iuramentum suis discipulis interdixit dicens: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Quod præceptum, seu potius interdictum inculcans S. Jacobus scribit epistolæ suæ cap. V. 12.: *Ante omnia .... nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est; Non, non.*

284. Resp. D. Interdixit Christus per adducta verba quodcumque iuramentum leviter factum et absque ulla iusta causa, C., interdixit absolute quodcumque iuramentum, N. Duo siquidem hoc in loco docet Christus: 1° numquam iurandum esse sine iusta et gravi causa, atque ingenua potius simplicitate communem nostrum sermonem informandum: *Sit autem sermo vester: Est est; Non, non: quod autem his abundantius est a malo est:* id est a diabolo, qui adversus divinum honorem assidue connititur; 2° iusta causa deficiente iurandum non esse, non solum per Deum, sed neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, per templum et caput proprium; hæc enim vera sunt iuramenta, cum per ea quis divinum testimonium assumat, quum contrarium ex falsis traditionibus ac interpretationibus scribæ et pharisæi prædicarent. Hunc esse genuinum verborum Christi sensum patet ex iis quæ scribit apostolus Hebr. VI. 16.: *Omnis controversiæ eorum* (hominum) *finis ad confirmationem, est iuramentum,* quin id reprobet: patet insuper ex constanti Ecclesiæ intelligentia. [1])

285. Nec alio sensu S. Jacobi verba accipienda sunt, ut innuunt quæ subdit: *Ut non sub iudicio decidatis* quibus facili-

---

Apologia sua ad Constantium imperatorem se iuramento adstrinxit, et ita porro.

[1]) Varias horum Christi verborum expositiones exhibet Greg. de Valentia disp. VI. quæst. VII. de iuramento puncto III., quas quisque consulere potest, et fere coincidunt cum interpretatione S. Thomæ II. 2. q. 89. art. 2. ad 1., quam nos secuti sumus. Sed præ cæteris consulendus hoc super argumento Salmeronius Comment. in evangelic. histor. tom. V. edit. Colon. 1602. tract. XL. in Christi verba: Non peierabis etc., ubi copiosissime eiusmodi argumentum evolvit.

Digitized by Google

tatem labendi in periurium exprimit in iis, qui in familiari sermone assiduitatem iurandi contraxerunt.[1])

286. Ex PP. vero hæc obiiciunt: 1° Patres absque ulla distinctione quodcumque iuramentum utpote adversans Christi verbis damnarunt. Inter quos eminent Justinus, Irenæus, Clemens Alexandr., Tertullianus, Basilius, Hieronymus.[2]) Addunt deinde 2°: Primitivi fideles recusabant iuramento militari se obstringere, aut in publico iudicio quod ab ipsis exigebatur iuramentum emittere. 3° Merito igitur Quackeri iurare detrectant, præsertim cum non desint philosophi qui iuramenta utpote inutilia reiecerint, eo quod ille qui mentiri non veretur, nec vereatur peierare. Ergo.

287. Resp. ad 1. vel N. vel D. Eodem sensu Patres iuramentum damnarunt, quo damnavit Christus, C.; alio sensu et in se N. Nempe obiecti Patres nonnisi Christi ipsius documentum seu doctrinam circa iuramentum attulerunt, adeoque eodem sensu ac iuxta eius mentem quoad familiares sermones et iurandi assiduitatem sine iusta causa, loquuti sunt.

288. En S. Justini verba: *Ne autem iuremus omnino, atque ut vera semper loquamur, sic præcepit:* nempe Christus, cuius verba ex Matth. V. refert.[3]) Sic pariter S. Irenæus nonnisi eadem verba adducit; nihil præterea adiiciens de suo.[4]) Clemens porro Alexandrinus nonnisi bis iuramentum commemorat, nempe in Pædagogo lib. III., et lib. VII. Stromat. Jam vero in utroque loco non absolute iusiurandum respuit, sed solum dehortatur ab eius consuetudine in privatis negotiis ac sermonibus, ne quispiam peierandi periculo se obiiciat scribens: *Nam qui ne iurat quidem, multum abest, ut sit peieraturus.*[5])

---

[1]) Cf. Estium in hunc loc.

[2]) Ita Barbeyracus in suo Traité de la morale des Pères in 4° 1728. chapp. 2. 3. 5. 6. 10. et 15. in eum finem, ut Patres suggillet et carpat utpote sanæ ethices seu moralitatis pravos magistros. Hic enim calviniano odio in Patres percitus ideo est, quod eos novæ reformationis doctrinæ infensos deprehenderit. Sed non minus infensum antiquis patriarchis se præbuit, atque idcirco in Deismi suspicionem apud non paucos venit. Cf. Bergier Dict. art. Jurement.

[3]) Apolog. I. n. 16. ed. Maran.

[4]) Lib. IV. cont. hæres. cap. XIII. n. 1. ed. Massuet.

[5]) Cf. Pædag. lib. III. pag. 255. et Stromat. lib. VII. pag. 729. ed. Sylburgii. Paris. 1631.

Digitized by Google

Tertullianus generale hoç statuit principium, perstringens Marcionem: *Nihil Deo indignum est, quod efficit Deo credere,*[1]) nec reiicit iuramenta alia quam quæ per falsos deos fiebant, ut mox videbimus. S. Basilius tantum abest ut iuramentum damnaverit, ut seipsum iureiurando obstrinxerit;[2]) cum vero iurare vetat monachos, viam perfectionis docet.[3]) Demum S. Hieronymus: *Considera,* inquit, *quod hic Salvator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cœlum etc..... Evangelica veritas non recipit iuramentum: cum omnis sermo fidelis pro iuramento sit.*[4]) En quo sensu iurandum non esse dixerit S. Doctor in lege evangelica, in communi scilicet conversatione, nec iusta causa interveniente.[5])

289. Ad 2. D. Veteres seu primitivi christiani recusabant se militari iuramento obstringere, quod fieret per falsos deos aut genium imperatoris, C.; iuramento a superstitione immuni N. Id enim aperte testatur Tertullianus scribens: *Sed et iuramus, sicut non per genios Cæsarum, sic per salutem eorum, quæ est augustior omnibus gentis ... et pro magno id iuramento habemus; ceterum dæmones, id est genios, adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non deierare, ut illis honorem divinitatis conferamus.*[6]) Ex quibus duo habemus, tum scilicet primitivos christianos vere, cum opus fuerit, iurare consuevisse, tum detrectasse iuramentum cum superstitione coniunctum.

290. Ad 3. D. Ita senserunt nonnulli recentiores philosophi seu increduli, et immerito, C.; veri philosophi N. Istis enim compertum est homines optime novisse, longe peius crimen esse periurium, quam simplex mendacium, adeoque maiori horrore percelli ex periurio quam mendacio. Hinc vel ipse Tullius, quamvis ethnicus: *Nullum vinculum,* scribebat, *ad adstringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges*

---

[1]) Lib. II. cap. 26.

[2]) Cf. epist. CII. ad cives Satalenses. edit. Maur.

[3]) Epist. XXII. de perfectione vitæ monasticæ ibid.

[4]) Comment. in Matth. V. 34.

[5]) Dum igitur Barbeyracus Patres carpit, se ipsum confodit, dum illis doctrinam appingit quam nusquam tradiderunt.

[6]) Apologet c. 32. ed. Rigalt. in quem locum, cf. notas P. Lud. De la Cerda, nec non notas Havercampi. Ex quo Tertulliani loco colligunt critici, eos qui morti traditi sunt iussu Caligulæ, eo quod numquam voluerint iurare per genium suum, de quibus loquitur Suetonius in Caligula cap. 27., fuisse christianos.

Digitized by Google

in XII. tabulis, indicant Sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de iureiurando iudicabant. [1])

Articulus II.

De conditionibus ad iuramentum necessariis ut licitum habeatur.

291. Conditiones ad iuramenti honestatem constituendam recensuit Jeremias IV. 2.: *Jurabis: vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in iustitia.* Tres igitur conditiones requiruntur, veritas, iudicium ac iustitia, quas S. Thomas iuramenti comites vocat, ad licitum iuramentum. Prima conditio est ut veritate nitatur, ut scilicet qui iurat credat verum esse quod asserit, vel habeat sinceram voluntatem efficiendi quod iurat. Quæ conditio adeo necessaria est, ut, si ea desit, iuramentum semper periurium, adeoque grave crimen habeatur, etiamsi de levissima re ageretur: nam etiam in re utcumque levi, absque gravi irreverentia Deique contemptu non potest Deus in mendacii testem vocari. Hinc S. Thomas: *Ille,* inquit, *qui iocose periurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, et ideo non excusatur a peccato mortali;* [2]) damnata præterea est ab Innocentio XI. propositio: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* [3])

292. Exinde sequitur 1° periurii reum esse non solum qui sciens ac prudens iurat contra testimonium propriæ conscientiæ, etiamsi contingat rem in se veram esse, verum etiam

---

[1]) De officiis lib. III. cap. 31. Qui novum ius ætate hac nostra proclamant, quo fas est fœdera iureiurando firmata pro libito infringere, erubescere deberent Ciceronis verba perpendentes, et facta quæ ibidem ab eo referuntur. Dum perversi eiusmodi homines iuraiuranda parvi pendunt, dum contemnunt, dum passim infringunt, iuramento tamen tamquam medio utuntur ad vexandos bonos, ad eorum conscientiam torquendam, ad eos exspoliandos, et exilio mulctandos, ab officiis destituendos si impia, quæ ipsis proponunt, iuramenta emittere recusant. Cuius rei recentissima exempla suppetunt.

[2]) II. 2. q. 98. art. 3. ad 2. Cf. Suarez lib. III. de iuramento. cap. IV. n. 1 seq.

[3]) Quæ est XXIV. inter damnatas an. 1679. die 2. Mart.

Digitized by Google

qui iurat id, de quo dubitat verumne sit an falsum, aut quod probabile quidem, non certum iudicat, et tamen ut certum iurat;[1]) 2° qui iurat se id præstiturum, de quo implendo non habet firmam voluntatem, vel quod putat impossibile aut illicitum. Nam in his omnibus casibus contra mentem atque conscientiam iurat. 3° Quod si iuramentum cadat in solam probabilitatem, vel affirmationem, quod iurans ita sentiat, nec directe neque indirecte periurii reus erit, licet eiusmodi iuramentum careat ut plurimum iudicio ac prudentia.[2])

293. Altera conditio est iudicium, seu ut iuramentum fiat cum debita et prudenti consideratione. Atque, uti animadvertit S. Thomas,[3]) debet iuramentum includere devotionem et fidem. Exinde patet, quod iurans 1° teneatur considerare, an satis perspectam habeat rem, circa quam iuramentum versatur: ex quo consequitur graviter semper peccare eum, qui iurat sive sine consideratione, sive sine certitudine rei circa quam iurat: in utroque enim casu se periculo exponit peierandi; ea autem requiritur ac sufficit certitudo, quæ prudentem omnem dubitationem excludat, et qua possit quis iure dici certus, quoad humana conditio patitur; 2° ut videat, an res de qua agitur talis sit momenti, quod præbeat iustam iurandi causam: neque enim reverentia erga sanctissimum Dei nomen patitur iuramentum interponi quacumque de causa. Non ita tamen ista conditio requiritur, ut si quis iuret de re levi et vera et certa, secluso contemptu, gravis culpæ reus existimetur. Ast lethalis semper est consuetudo seu habitus iurandi, quia numquam vacat peierandi periculo.

294. Si quis porro inquirat quanta debeat esse iurandi necessitas, alia regula assignari nequit præter prudens iudicium. Hac propterea de causa secundus hic comes iuramenti merito iudicium vel discretio appellatur, quia non potest certior regula assignari. Ad hoc autem iudicium ferendum præcipue ob oculos habendus est finis. Hoc enim fine honesto ac sufficienti posito, satis erit ad honestatem iuramenti, quod aliqua moralis utilitas ad talem finem ab eo expectari et sperari possit, quia tunc cessat omnis irreverentiæ ratio.

295. Tertia conditio ad iuramenti honestatem est iustitia, quæ in eo consistit, ut numquam iuramentum assumatur ad con-

---

[1]) Cf. Suarez lib. III. cap. 4. n. 7. [2]) Ibid.
[3]) Loc. cit. art. 3. ad 2.

Digitized by Google

firmandum id, quod est contra Dei vel proximi caritatem; cuiusmodi esset, si quis iuraret ad confirmandum suum vel alterius crimen, quod detegere non licet; vel eius, qui iureiurando se obligaret ad faciendum aliquid quod sine peccato præstari non potest, in quo utroque casu patet duplex peccatum includi; unum quidem contra caritatem vel aliam virtutem cui repugnat res male posita, alterum contra religionem ob iuramentum cum gravi contumelia Dei adhibitum.

296. Ex his tribus iuramenti comitibus, veritate, iudicio ac iustitia hactenus expositis patet, quatuor ad iuramentum concurrere, sed diversa ratione; nempe iurantem, et occasionem seu causam iurandi, et rem quæ iuratur, et per quam iuratur. Ad iurantem quidem spectat discretio seu iudicium, ad rem iuratam spectant veritas et iustitia, sub qua et sub iudicio causa etiam iurandi sufficienter comprehenditur, prout ad iudicium pariter revocatur ille per quem iuratur, cum ex D. Thoma fides de divina scientia, providentia et veritate ad iudicium pertineant; siquidem vera fides est, quæ facit et dirigit voluntatem, ut per verum Deum quis iuret et non per alium. Nisi dicere malueris aut conditionem hanc non pertinere ad comites iuramenti, sed ante illos supponi, atque esse radicem et fundamentum eorum; aut iuramentum per falsum deum vere ac proprie iuramentum non esse, ut nonnulli sentiunt.[1])

297. Quidquid porro de hoc sit, cum circa conditiones singulas enarratas plures agitentur quæstiones, nos potiores breviter exponemus. Ac primo quod attinet ad iudicium et discretionem in iurante, ut vidimus, iusta requiritur causa iurandi, adeo ut intercedat necessitas, aut gravis utilitas; alioquin erit iuramentum vanum aut quasi otiosum, non absque Dei irreverentia, cuius nomen usurparetur ad confirmandas res vanas et otiosas.

298. Exinde sequitur, iuramenta recte exigi ac propterea rite emitti a quocumque, quoties de tali re agatur, ubi intersit omnem depelli fallaciam vel infidelitatis suspicionem; item recte exigi ab iis, qui publicis muneribus præficiuntur circa fidelitatem principi servandam, suorumque munerum diligentiam; ab iis, qui testes adhibentur in iudiciis sive criminalibus sive civilibus, ceterisque actis publicis circa eorum quæ testantur veritatem; ab iis, quibus bonorum aliqua administratio committitur,

---

[1]) Cf. Suarez lib. I. de iuram. cap. 3. n. 10.

Digitized by Google

circa administrationis suæ integritatem. Sequitur propterea, teneri quemlibet ad iusiurandum in his aliisque similibus casibus præstandum: nam ius numquam intelligitur ex una parte, quin ex altera obligatio quoque respondeat. Ut autem peccat qui iurat sine necessitate, aut gravi utilitate, seu iusta causa: sic peccat qui sine iusta causa iuramentum ab alio exigit. Horum autem omnium fundamentum est, quod iuramenta instituta sint ad mutuam hominum securitatem circa ea, quæ dicuntur et promittuntur. Adeoque quoties publica aut privata utilitas illud exigat, toties iusta causa iurandi intervenit.

299. Circa personam iurantis exploratum est, per se quamvis creaturam intellectualem, quæ usu rationis polleat, idoneam ad iurandum esse, adeoque et angelos et homines omnes indiscriminatim. Immo et Deus ipse, ut superius vidimus, iurans in Scripturis exhibetur accomodate ad sensum nostrum, cum ipse confirmatione non egeat omnimodam ex se ipso certitudinem habens, sed ad ostendendam *immobilitatem consilii sui*, ut loquitur Apostolus Hebr. VI. 17. Dixi per se seu spectato iure naturali: siquidem iure positivo non pauci a iureiurando arcentur.[1])

300. Quod vero spectat ad veritatem, quæ a iurante requiritur, certum exploratumque apud omnes est, non modo veritatem ad iuramentum expostulari, prout in animo et conscientia habetur, verum etiam oportere, ut is qui iurat, candide ac omni fraude ad fallendum composita longe remota, iurare etiam intendat. Nam nisi ita fiat, iuramentum veritate minime nititur. Unde sequitur, graviter peccare, immo veri periurii reos constitui, qui iurant animo ficto, id est sine intentione iurandi, vel cum restrictione pure mentali, id est cum aliquo sensu, qui totus in eorum mente latet. Nam qui sic iurat, iurat in dolo proximo suo et vere iurando mentitur. *Quid enim aliud est*, inquit S. Augustinus, *loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore?*[2]) Quocirca Innocentius XI. tres propositiones damnavit. Prima: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis;* altera: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid,*

---

[1]) In cap. Pueri, cap. Periuri, cap. Honestum causa 22. q. V.
[2]) Serm. XVI. n. 4.

Digitized by Google

quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud verum, revera non mentitur, nec est periurus; postrema: *Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.* [1])

301. Non vero ita se res habet, cum non agitur de restrictione interna seu pure mentali, sed de æquivocatione aut restrictione non pure mentali seu externa. Siquidem in illa nullatenus potest audienti innotescere iudicium loquentis de obiecto manifestando; non ita vero id ipsum contingit in æquivocatione ac restrictione externa seu non pure mentali. Etenim si audiens advertat aut ad duplicem sensum, quem verba præseferunt aut in seipsis, aut sub peculiaribus circumstantiis, facile percipere potest, aut saltem dubitare quonam sensu accipienda sint. Si proinde adsit sufficiens causa eiusmodi æquivocatione utendi, reus non censetur mendacii nec periurii, qui eam ad tegendam veritatem, quæ communicari non debet, usurpat. [2]) Ast nulla intercedente iusta causa, graviter peccaret, qui iuraret cum huiusmodi æquivocationibus, præsertim illis in casibus in quibus aliquis tenetur veritatem candide aperire, et si res ageretur coram iudice: item cum eædem æquivocationes data opera adhiberentur ad decipiendum. Semper enim in huiusmodi casibus gravis iniuria veritati, ac proinde divino nomini irrogaretur.

302. Hæc, quæ diximus, ad iuramentum pertinent tum assertorium tum promissorium: at de hoc nominatim alia scitu digna sunt animadvertenda, præsertim quoad iustitiam, quæ in hoc iuramento promissorio maxime locum habet.

---

[1]) Prop. XXV. XXVI. XXVII.

[2]) Cf. Viva in Trutina ad citt. propos. XXVI. et XXVII. n. 10. Huius iustæ causæ ad utendum restrictione late mentali exemplum suppetit in confessario, qui ad servandum sigillum sacramentale tum extra iudicium tum in iudicio potest affirmare, se nihil scire de eo quod revera scit ex confessione. Id ipsum dicatur de eo, qui tenetur ad secretum naturale servandum, et ita porro. Hinc merito ac scite S. Alphonsus lib. III. tract. II. dub. IV. n. 152. scribit: *Ratio huius sententiæ est, quia, si non liceret uti restrictione non pure mentali, non existeret modus secretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno vel incommodo; quod utique esset æque perniciosum commercio humano, quam mendacium.*

Digitized by Google

303. Juramentum promissorium, ut per se patet, quidpiam futurum respicit, seu habet pro obiecto rem futuram, quatenus quod pollicetur ad pleniorem veritatem confirmatur iureiurando. In eo autem distinguitur iuramentum assertorium a promissorio, quod illud sit tantum de præsenti vel de præterito, istud vero non solum sit de præsenti quoad voluntatem veram ac sinceram permittendi seu propositum exequendi quod promittit, verum etiam includat obligationem in futurum.

304. Ex his consequitur, iuramentum promissorium easdem complecti conditiones, quæ competunt iuramento assertorio, scilicet veritatem ac iudicium et iustitiam, ac præterea aliquid sibi speciale vindicare, nempe et voluntatem adimplendi, et deinde adimplementum eorum quæ promittuntur.

305. Hinc patet 1° gravi se piaculo commaculare eum qui iurat sine intentione adimplendi res, quas promittit, cum Deum in testem vocet falsi, ac proinde peieret.[1]) 2° Quidquid nonnulli in contrarium sentiant,[2]) graviter etiam peccare dicendus videtur qui priorem voluntatem retrahat, quia quantum in se est Deum falsi facit testem, sive grave sit sive leve id quod iurando promittit, ac licita, ut supponitur, sit res quæ promittitur.[3]) Nec enim quod promittitur est obiectum immediatum iuramenti, sed veritas eius quod promittitur, et ex hoc patet disparitas quæ intercedit inter votum et iuramentum. Siquidem in voto, quod promittitur est materia immediata eiusdem voti, ac proinde si materia levis sit, quæ non solvitur, nonnisi leve peccatum in eius violatione patratur; in iuramento vero cum obiectum immediatum sit veritas, in cuius confirmationem Dei testimonium adducitur, semper Deo irrogatur iniuria, sive de gravi sive de levi materia agatur, dum fit testis falsitatis.[4])

---

[1]) Si quis ficte quidem iuret, habeat tamen voluntatem adimplendi quod non audet iureiurando affirmare, an graviter peccet necne disceptant inter se theologi, aliis asserentibus, negantibus aliis. Quæcumque demum sententia admittatur, illud certum est, semper grave intervenire mendacium in eo qui dicit iuro nolens interim iurare. Cf. Suarez lib. II. de iuram. c. VIII.

[2]) Uti Navarrus, Soto, Suarez, aliique, cum iuramentum saltem versatur circa materiam levem.

[3]) Atque ita sentiunt Gabriel, Lessius, Valentia, disp. 6. quæst. 7. puncto 3., ubi copiose solvit difficultates, quæ contrarium suadere videntur.

[4]) Non tamen diffitendum, a gravi culpa excusari posse eum, qui rei

Digitized by Google

306. Ad iuramenta promissoria revocantur etiam iuramenta fidelitatis, quæ principes a subditis exigere solent. Sed heic quæritur, quid dicendum de iuramento quod exigatur ab usurpatore, seu legitimam potestatem non habente, aut ab eo qui legitima quidem auctoritate pollet, ast iuramentum exigit circa leges iniustas ab ipso statutas aut porro statuendas, quæ vergant in Dei offensam et Ecclesiæ detrimentum? Quoad hanc quæstionem satis salebrosam inter omnes convenit, ab eo qui auctoritate caret haud posse leges ferri, quæ in conscientia obligent, multo vero minus exigi posse iuramentum ad eas servandas. Talis porro est invasor. Cum tamen præstet obsequi illegitimo gubernio quam sub anarchia degere, exinde infertur, ei parendum qui sin minus iure, saltem facto gubernat, præsertim si eius dominatio satis solide constituta sit, nec possit sine innumeris incommodis, et absque infelici exitu eius iugum excuti. Tunc enim si leges ab eo latæ ad commune bonum publicum promovendum conferant, nil vetat ut serventur, atque ut fidelitas sub iuramento promittatur. Si autem leges ab iniusto usurpatore, vel etiam a legitimo principe ferantur, quæ servari nequeant sine Dei offensa, et Ecclesiæ sint adversæ, nullo modo ad eas servandas se quispiam potest obstringere aliquo iuramento.

307. Et reipsa immortalis Pius VII. pro temporum illorum adiunctis et regimine quod tunc vigebat, die 15. Martii an. 1810. declaravit, haud posse præstari iuramentum fidelitatis absolutæ ac indeterminatæ dependentiæ, quod a subditis exigebatur. Ipse Pontifex novam redegit formulam iuramenti quod præstari potuisset: attamen vetuit quominus præberetur ab iis, qui munera ab illo gubernio obtinerent, quæ sine Dei offensa et Ecclesiæ exequi non possent. [1])

308. Juverit hactenus dicta theologorum ac publici iuris scriptorum auctoritate confirmare. S. Thomas: *Tales leges,* inquit, *non obligant in foro conscientiæ, nisi forte propter vitandum scandalum, vel perturbationem, propter quod etiam homo iuri suo debet cedere.*[2]) Domin. Soto constituit: *quod qui per tyrannidem regnum invasum occupavit, neque legem ferre ullam potest, neque*

---

iuratæ levem aliquam rem prætermitteret, quum iuramentum hoc in casu dici possit moraliter impletum.

[1]) Contestazioni etc. Vol. V. pag. 196.

[2]) I. 2. q. 96. art. 4.

Digitized by Google

ius dicere, quod ullo pacto cives in conscientia obliget, nisi forsan præscriptione, aut reipublicæ consensu legitimi fuerint tandem principes.[1]) Salas vero scribit: *Recte recentiores theologi docent, leges et iudicia tyrannorum pacifice regnum possidentium, quia respublica non potest eorum iugum excutere, valida esse.*[2]) Idem statuit Lessius,[3]) aliique. Hinc De Martini: *Secuta invasione,* inquit, *ac usurpatione totius territorii, cum propterea non desinat civile imperium, sed tantum eius impediatur exercitium, donec inita pace et ipsi civitatis regimini legitime fuerit renuntiatum; quia vero rex eiectus rempublicam administrare nequit: ideo subditi, qui sese invasori subiecerunt, ubi is in quieta fuerit possessione, eidem tenentur obedire, non quidem ex invasoris iure, quod nullum est, sed ob universale bonum.*[4])

309. Cum his consonat Suarezius, qui proposita sibi quæstione, an in hoc casu possint subditi licite obedire huiusmodi principi usurpatori, si alioquin ex parte materiæ iustas leges ferat, respondet. *Quod non teneantur per se loquendo, manifestum est, quia illæ non sunt leges, cum non procedant a legitima potestate. Quod autem possint, videtur persuaderi, quia possunt facere quidquid bonum est, et non malum, licet non teneantur, cedendo iuri suo, et patienter vim alterius sustinendo.*[5])

310. Verum et illud animadvertendum est, passim ab invasore et rebellibus in legibus etiam iniquis ferendis obtendi commune bonum, cum tamen eiusmodi bonum non habeatur nisi in verbis. Hinc optime Schrodtius: *Etiam lupi,* inquit, *canes sibi ab ovibus tradi postularunt obtentu pacis, revera ut liberius in gregem sæviant;*[6]) ac Zallinger: *Cum enim,* subdit, *nihil tam*

---

[1]) De iustitia et iure. lib. III. q. 4. art. 6.

[2]) Jo. de Salas. Tract. de legib. in I. 2. S. Thomæ tract. XIV. disp. X. sect. III. n. 14.

[3]) De iustit. et iure. Lib. II. cap. XXIX. dub. 9.

[4]) De iure civ. §. 500 seq. Cf. etiam cl. Balmes in egregio opere: Il Protestantismo comparato al cattolicismo. cap. LV. Governi di solo fatto, ubi plura præclare dicta circa hoc argumentum inveniuntur. Edit. Parma 1847. tom. III.

[5]) Lib. III. de legib. cap. X. n. 8. ubi et n. 9. idem argumentum magis etiam evolvit. De hoc ipso fuse et accurate disserit cl. Taparelli in Saggio teoretico di dritto naturale. Roma 1855. vol. I. diss. II. cap. VII. n. 470 seq. et vol. II. diss. V. cap. I. n. 1024 seq.

[6]) Syst. iuris. publ. univ.

Digitized by Google

in promptu sit quam publicam salutem obtendere, ea doctrina hominum innocentium fortunas et caput in discrimen evidenter adduci. [1]) In his proinde rerum adiunctis præberi iuramentum indiscriminatim ad eiusmodi leges sive latas sive ferendas ab iniquo gubernio omnino non potest, ac nemo qui timoratæ conscientiæ sit, quacumque supposita iactura, illud emittet, quum neque iustitia, neque iudicium huiusmodi iuramenti comites esse possint.

Articulus III.

De iuramenti obligatione.

311. Post expositas iuramenti conditiones superest, ut de eius obligatione quidpiam adiiciamus, quamvis nonnulla, data opportunitate, iam dixerimus agendo de iuramento promissorio.

312. Porro hac de re statui debet: I. quod qui iurat de re aliqua a se præstanda teneatur rem promissam bona fide præstare non solum ex vi promissionis, quæ ad iustitiam pertinet, sed etiam ex vi religionis, id est ex reverentia iuramenti iuxta illud Matth. V. 33.: *Reddes Domino iuramenta tua.* Ex quo sequitur, iuramentum promissorium duplicem exigere veritatem, unam præsentem, quæ consistit in eo quod iurans habeat sincerum propositum implendi quod iurat, alteram futuram, qua id quod iuratum est fideliter executioni mandetur. Atque etiam sequitur, eum qui sua culpa fallit fidem iureiurando firmatam duplici se peccato contra iustitiam et contra religionem obstringere.

313. II. Quod promissio iuramento firmata arctiorem quidem inducat obligationem, adeo ut huiusmodi obligatio eisdem conditionibus et modificationibus circumscribatur, quibus subiiceretur si a simplici promissione oriretur, eisdemque modificationibus, quæ a natura rei, a iuris dispositione, et a consuetudine orirentur.

314. III. Certum est, obligationem iuramenti cessare quoties iusta causa intercedit, ne obliget promissio cui iuramentum inhæret. Nam iuramentum est quoddam promissioni accessorium, pro qua iuratur. Adeoque cessat obligatio iuramenti 1° si res iurata fiat impossibilis, nam impossibilium nulla est

---

[1]) Jus nat. publ. lib. III. cap. II.

Digitized by Google

obligatio; 2° si fiat illicita, nam iuramentum non est vinculum iniquitatis; 3° si fiat undequaque inutilis, nam ad inutile nemo tenetur; 4° si conditio sub qua iuratum est non evenerit, nam deficiente conditione, nulla fuit voluntas obligationis suscipiendæ; 5° si promissio fuerit legitime irritata, nam iuramentum nihil detrahit legitimis tertii iuribus, neque iurantis neque iuratæ rei conditionem ullo modo immutat; 6° dispensatione vel commutatione, ubi iuramentum non fuerit in utilitatem tertii, quæ eadem ab auctoritate, eodemque modo, quo fit in voto, est impetranda; 7° demum condonatione ex parte illius in cuius favorem iuratum fuerit. Nam remisso iure nulla amplius esse potest obligatio. [1]) Qui de re impossibili, inutili et maxime iniusta iuraret, frustra iuraret, atque iurando peccaret ob irreverentiam divino nomini irrogatam. [2])

315. Tria insuper sunt, in quibus iuramenti obligatio cessare videtur, cum scilicet intervenit aut iniuria, aut metus, aut dolus. Iniuria tunc intervenire censetur, cum quis alium adigit ad iurandum se soluturum ei usuras pactas, vel ne privetur aliquo beneficio collato aut conferendo nisi aliquid præstet, aliaque eiusmodi iureiurando promittat. Metus inferri potest sive vi sive comminatione iniusta, aut etiam sine iniuria ad iuramentum extorquendum. Dolus denique vel error ex parte exigentis iuramentum si aliquis fuerit, cessat obligatio. Cum circa tria hæc moveri soleant dubia, utrum iuramentum sic emissum inducat nec ne obligationem, operæ pretium erit exponere quid in singulis hisce casibus tenendum sit.

316. Itaque quoad iuramentum per iniuriam extortum communis doctrina est, ipsum obligationem inducere si absque peccato ac turpitudine impleri possit. Sic enim definitum est in Cap. Debitores de iureiurando, ubi dicitur: *Cogendi sunt Domino reddere iuramentum;* ratio vero quæ ibidem exhibetur est, quia talia iuramenta servari possunt sine salutis æternæ discrimine: nam ex una parte in solvenda usura, vel alia simili re præstanda, nullum peccatum committitur, quia eiusmodi

---

[1]) Discrimen quod intercedit inter votum et iuramentum in ordine ad dispensationem, irritationem et commutationem late prosequitur Valentia disp. VI. quæst. VII. puncto 4. §. 3.

[2]) Quum parentes sub iuramento punitionem filiis minantur, ac postea non adimplent, ideo ut plurimum ab obligatione excusantur, vel quia nonnisi sub tacita et implicita conditione se obstringunt, vel quia ex motivo vindictæ illicitum fuit iuramentum.

Digitized by Google

solutio, quæ sive usurario, sive latroni fiat, est per se indifferens, et qui ita agit, minime intendit alterius crimini cooperari, sed unice Deo servare fidem quem tamquam testem ac fideiussorem veritatis rei promissæ adduxit, etiamsi per iniuriam inductus fuerit ad iurandum. [1]) Dum enim promisit, sibi tantum consulere voluit, passive se habendo ad alterius peccatum. [2]) Potest tamen in iudicio repetere quod solvit, etiamsi iuraverit de non repetendo, quia hoc alterum iuramentum, cum cederet in damnum publicum, uti nullum habendum est. [3])

317. Respectu vero iuramenti quod per metum extortum est, distingui in primis debet metus iuste et iniuste incussus. Si metus per vim et comminationem iniustam incutiatur ad directe extorquendam promissionem et iuramentum, est iniusta et formalis vis, atque hanc infert latro ad obtinendam sub promissione iuramento firmata pecuniam; si autem metus inferatur ad vindictam, a qua si quis ut se liberet quidpiam cum iuramento promittat, licet comminata vindicta iniusta pariter sit, dici nequit formalis metus ad iuramentum extorquendum. Sic etiam potest aliquis metu iuste adigere quempiam ad promittendum cum iuramento ut cesset ab eo, fac debitore persequendo in iudicio, quo in casu habetur metus formalis ad extorquendum iuramentum. Contra vero, si quis iuste ad mortem damnatus ex metu offerat magnam pecuniæ summam quam iuramento se daturum promittit ad se redimendum, metus nec iustus nec formalis haberetur. [4])

318. Quibus explanatis infertur, iuramentum ex metu sine iniuria elicitum obligationem inducere, sive metus directe ad hoc inferatur, sive non. In quam doctrinam omnes consentiunt, quæ innititur L. 3. §. unico, et I. Si mulier ff. Quod metus; ac ratio ex eo patet quod, non obstante metu, iurandi actus est

---

[1]) Heic obiter notandum, in iuramento assertorio Deum invocari ut testem veritatis, in iuramento vero promissorio invocari in fideiussorem ac vadem rei promissæ.

[2]) Cf. Suarez lib. II. de iuram. cap. IX.

[3]) Ita S. Thomas II. 2. q. 89. art. 7. ad 3. scribens: *Potest tamen repetere in iudicio quod solvit, vel prælato denunciare, non obstante quod contrarium iuravit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra iustitiam publicam.*

[4]) Hic metus tum ab homine esse potest, tum a causis naturalibus, ut ab infirmitate, a maris procella, aliisque eiusmodi.

Digitized by Google

simpliciter voluntarius.[1]) Omnes pariter conveniunt, iuramentum per vim cum iniuria extortum, si sit de materia licita, valere atque adimplendum esse; tum quia eiusmodi iuramentum voluntarium est, tum quia ex iure canonico cap. Ad audientiam, nec non cap. Verum de iureiurando, et cap. Si vero, ita definitum est.[2])

319. Demum quod attinet ad iuramentum quod per dolum vel errorem fit, generalis doctrina est, toties eiusmodi iuramentum nullum esse, nec propterea obligatorium, quoties dolus aut error inductus involuntarium illud reddit. Siquidem sine voluntate ac intentione nemo se iuramento adstringere censetur, ubi ignorantia præsertim ac error, qui semper in decepto supponitur, attingit rei quæ promittitur ac iuratur substantiam aut causam finalem. In hoc porro discriminantur dolus ac error, quod in illo intervenit iniuria, in isto vero non item. Exinde patet discrimen quod intercedit inter metum et dolum seu errorem in ordine ad iuramentum, nempe metus inducit quidem involuntarium, ast non absolutum, sed solum secundum quid, contra vero error ac dolus inducunt voluntarium absolutum: hinc iuramentum in priori casu obligationem importat, secus ac contingit in casu posteriori in quo nulla paritur obligatio.[3])

320. Hæc doctrina innititur iuri canonico, in quo Alexander III. de iuramento loquens metu extorto: *Non est tutum,* inquit, *quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, ut servatum vergat in interitum salutis æternæ.*[4]) Et S. Thomas sic ad rem nostram scribit: *In iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen eius promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare.*[5]) Quoad casus practicos recurri debet ad institutores theologiæ moralis.

---

[1]) Cf. S. Thomas I. 2. q 6. art. 8. nec non Suarez de iuram. lib. II. cap. X. n. 2 seq.

[2]) Cf. S. Thomas II. 2. q. 89. art. 7. ad 3. et q. 98. art. 3. ad 1. et Suarez loc. cit.

[3]) Totam hanc doctrinam fuse evolvit Suarez l. c. cap. XI.

[4]) De iuram. cap. 1. et 8.

[5]) II. 2. q. 89. art. 7. ad 3.

Digitized by Google

Articulus IV.

De aliis quibusdam practicis circa iuramentum quæstionibus.

321. Ad argumenti, de quo agimus, absolutionem superest, ut nonnulla adiiciamus circa iuramentum per creaturas, et circa varias iuramenti formulas ac modos, ac denique utrum liceat iuramentum ab eo exigere, qui per falsos deos iurat, vel qui creditur peieraturus.

322. Ac primo inquiri solet, utrum verum iuramentum censendum sit quod fiat per creaturas, atque idcirco obligationem inducat? Jam vero communis ac certa doctrina est verum iuramentum habendum esse ac licitum quod per creaturas emittatur in ordine ad Deum, cuius rei fundamentum habetur tum in sacris litteris tum in Ecclesiæ usu. Sane Apostolus II. Cor. I. 23. per animam suam iuravit dicens: *Testem Deum invoco in animam meam.* Ac Moyses in veteri lege, Deut. IV. 26.: *Testem,* inquit, *invoco cœlum et terram.* Refert prætera Tertullianus iurare solitos fuisse fideles per salutem Cæsaris. [1]) Usus insuper inolevit ut Christiani passim per vitam, aut salutem suam vel suorum, et per sanctos et per Evangelia iurent. Immo vero et in solemni forma iurandi, cum quis edit professionem fidei a Pio IV. editam, ita concluditur: *Ego ita spondeo, voveo ac iuro: sic me Deus adiuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Idque profecto fit absque ulla vel erroris vel idololatriæ suspicione.

323. Cuius quidem rei rationem S. Thomas exponit distinguendo duplicem iurandi formam scribens: *Duplex est iuramentum. Unum quidem quod fit per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei invocatur: et hoc iuramentum innititur divinæ veritati, sicut et fides. Fides autem est per se quidem et principaliter de Deo, qui est ipsa veritas: secundario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet. Et similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cuius testimonium invocatur; secundario autem assumuntur ad iuramentum*

---

[1]) Apol. cap. XXXII. ubi scribit: *Sed et iuramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis.* Et rursum in lib. ad Scapulam cap. II. In quæ loca cf. adnott. de la Cerda.

Digitized by Google

aliquæ creaturæ, non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur: sicut iuramus per Evangelia, id est per Deum, cuius veritas in Evangelio manifestatur; et per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt et observaverunt. Alius autem modus iurandi est per execrationem: et in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, ut in qua iudicium divinum exerceatur: et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem quam diligit, sicut et Apostolus iuravit II. Cor. I. 23. dicens: Ego testem Deum invoco in animam meam. [1]) Hactenus ipse, qui deinde solvit quæ opponi videntur ex Christi verbis Matth. V. 34.: *Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum etc.* nec non ex iure canon. XXII. q. 1. cap. 9. Clericum; explicatque de invocatione creaturarum absque ad Deum relatione. [2])

324. Heic solent theologi varias verborum formulas in iuramento, quæ in usu sunt, proponere, ac deinde inquirunt, an in singulis verum iuramentum agnosci debeat, ac proinde an obligationem includant. Verum nonnullæ prout in Scripturis ipsis usurpantur et vulgo intelliguntur, formalis iuramenti profecto vim exhibent, cuiusmodi sunt: Per Deum iuro, item alia: Testem Deum invoco — aut: Vivit Dominus, quæ formula penes veteres in usu erat. Sic etiam verum iuramentum exprimunt formulæ: In fide Dei, aut in fide Christi, tum per Dei fidem aut Christi, per Evangelia, aliæque eiusmodi sive ex se, sive ex usu ac sensu fidelium.

325. Contra vero uti ambiguæ existimantur formulæ passim receptæ: per fidem, per fidem meam, in conscientia, in conscientia mea, in veritate, Deus scit, in præsentia Dei, coram Deo, aliæque similes in quibus haud continetur expressa, interdum vero nec tacita Dei invocatio, quæ ad iuramentum requiritur, ac intelligi possunt de fide morali, aut in sensu enunciativo. In his attendendum est ad intentionem eas formulas proferentis. Regula porro generalis est, ut quoties intentio sistit in creatura, ut creatura est, non haberi iuramentum, secus vero si intentio ad Deum ipsum referatur, vel ad creaturam in ordine ad Deum, cuiusmodi nobiliores præsertim sunt, ut cœlum, anima, universum etc. [3])

---

[1]) II. 2. q. 89. art. 6.
[2]) Cf. Suarez lib. I. cap. 5.
[3]) Cf. Suarez lib. I. cap. 15.

Digitized by Google

326. Demum animadverto triplici modo iuramentum fieri posse aut per sola verba, aut per verba et signa, aut denique per sola signa. Ad primum modum quod attinet, res per se patet; ad alterum vero pariter manifestum est, quia si iurari potest solis verbis, multo magis fieri id potest cum adiiciuntur signa, ut tangere Evangelium, crucem etc., et hæc iurandi ratio a iurisperitis modus vocatur corporaliter iurandi.[1]) Interdum signa hæc adhibentur ad maiorem iurisiurandi confirmationem præcipue in iuramentis publicis et solemnibus, interdum vero ad iuramenti complementum. Quoad tertium vero, passim ille obtinet cum agitur de mutis aut surdis, ita tamen ut ex rerum adiunctis ita determinatum sit, ac propterea iuratur solum aut elevando manum aut digitum, aut tangendo librum sacrum, inclinando caput. Solet etiam aliquando inter personas adhiberi sensibus suis rite pollentes, ea tamen cautione, ut prius præcesserint verba, quæ id indicent.

327. Respectu formæ præter iuramentum invocatorium, quod fit per contestationem et invocationem divini nominis, habetur etiam iuramentum execratorium nuncupatum. Hoc vero fit imprecando a Deo explicite vel implicite sibi aliquod malum immittendum aut permittendum, si verum non fuerit quod iuratur: et e converso accipitur pro signo veritatis quod tale malum non eveniat. Duplici autem modo id contingere consuevit, aut per directam maledictionem, ut cum dicitur: Statim moriar, si non ita est etc. vel per interpositionem boni alicuius, quasi obligando illud ad destructionem vel perditionem, si verum non est quod iuratur, ut cum dicitur: per vitam, vel per salutem. Imprecatorii huiusce iuramenti exempla suppetunt in utriusque testamenti libris: sic apud Hebræos recepta erat illa iurandi formula: Hæc faciat mihi Deus et hæc addat, ut Ruth. I. 17., ac I. Reg. XIV. 44. Saul ait: *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha* et alibi passim. In novo autem fœdere Apostolus II. Cor. I. 23. invocationem simul et execrationem coniungens scribit: *Ego testem Deum invoco in animam meam.*[2]) Pariter execratoria est iuramenti formula in Ecclesia passim adhibita: Sic me Deus adiuvet. Quod si a ceteris etiam, nulla intercedente necessitate aut utilitate cavendum est, multo magis

---

[1]) Hoc modo exegerunt iuramentum Abraham et Jacob dum postularunt ut iurans manus poneret sub femore eorum.

[2]) Cf. S. Thomas lect. V. in cap. I. ep. II. ad Corinth.

Digitized by Google

cavere debent fideles ne se execratorio iuramento obstringant, quod tamen nimia levitate usurpari passim, dolendum est.

328. Quod si non de iuramento per verum Deum, sed si sermo sit de paganorum iuramento per falsos deos, penes omnes exploratum est, numquam licere per falsum deum iurare, quod esset divinum honorem falso numini deferre, atque idcirco idololatriæ crimen. Verum quæritur an liceat iuramentum exigere ab eo, qui sit per falsa numina iuraturus? Affirmant SS. Augustinus et Thomas, quorum primus in epistola ad Publicolam [1]) ita scribit: *Qui utitur fide illius, quem constat iurasse per deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato eius se sociat quo per dæmonia iuravit, sed bono pacto eius quo fidem servavit.* Alter vero: *Licet,* inquit, *malo uti propter bonum, sicut et Deus utitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet eius qui per falsos deos iurare paratus est iuramentum recipere: non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos deos iuret.* [2]) Et sane, qui ob gravem causam iuramentum petit ab infideli, iure suo utitur; ex alia parte non exigit ut per falsos deos iuret, utitur tantum eius peccato ad proprium bonum; uti autem alterius peccato ad bonum finem nullum peccatum est.

329. Ex occasione expositæ doctrinæ haud paucæ nec leves quæstiones agitantur. Ac 1° num liceat eum cogere ad iuramentum præstandum, qui sit peieraturus? Fatentur omnes id licere si de periurio solum dubitetur. Debet enim hoc dubium prudenter deponi, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur. Sic etiam omnes pariter consentiunt id licere in casu quo certum sit, vel credatur quempiam peieraturum, si petens iuramentum, ad hoc iure cogatur. Eiusmodi est iudex et tutor in non paucis casibus, prout docet S. Thomas scribens: *Si autem aliquis exigat iuramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo iuris, ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, si ipse iuramentum exigat, sive sciat eum falsum iurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cuius instantiam exigit.* [3]) Nec officit, quod aliquis opponere posset, eum qui petit iuramentum a peieraturo esse causam moralem periurii; siquidem aut causa periurii diceretur, quia petit iuramentum, aut quia periurium non impedit. Neutrum porro dici

---

[1]) Quæ est sub n. 47. ed. Maur. n. 2.

[2]) II. 2. q. 98. art. 4. ad 4.

[3]) Loc. cit. art. 4.

Digitized by Google

potest; non primum, nam qui ex iusta causa iuramentum petit, utitur iure suo; non alterum, quia ratio iuris et officii sui efficit in tali casu, ne teneatur periurium impedire.

330. Non licet tamen iuramentum exigere a peieraturo, si petens persona privata sit, et nulla necessitate cogatur. Cui enim bono id exigas, ex quo maxima Deo contumelia, tibi autem nihil utilitatis sit obventurum? Hic certo nulla iusta causa adduci potest, cur quis non teneatur periurium imminens impedire. Et sane talis est doctrina SS. Augustini et Thomæ loc. cit. Hinc S. Raymundus: *Quid de illo,* inquit, *qui provocat ad iurandum eum, quem scit falsum iuraturum, vel exigit, vel recipit ab eo iuramentum veritati contrarium, et scienter? Respondeo secundum Gelasium et Augustinum, quod talis vincit homicidam, quia homicida corpus occidit, et iste animam, immo duas animas, et eius quem iurare provocavit, et suam.* [1])

331. Verum et illud addendum, semper illicitum esse ab eo petere iuramentum, qui illud sine iniustitia vel turpitudine præstare nequit. Nam si sine peccato eiusmodi iuramentum fieri non potest, profecto illud petere est intrinsece malum in eodem malitiæ genere: quinimmo gravius peccat qui ad tale iuramentum inducit, quia prima est origo peccati. [2])

332. Ceterum regula generalis est in iuramento præsertim promissorio de re in posterum præstanda, ut nonnisi raro, et cum magna necessitate exigatur. Id enim quodammodo postulare videtur humana fragilitas atque insita nobis inconstantia voluntatis.

---

[1]) Lib. I. tit. IX. de iuramento et periurio. §. VIII. ed. Veron. 1744. pag. 89.

[2]) Cf. Suarez lib. III. de iuram. cap. XIV. n. 4., qui exinde infert n. 5. numquam posse non esse malum iuramentum quod sine iudicio, seu sine iusta causa exigitur, secus ac contingat in casu quo deficeret iustitia, intercedente iusta causa seu necessitate illud exigendi; tunc enim malitia provenit ex iniquitate operantis.

Digitized by Google

Caput VII.

De adiuratione.

333. Adiuratio, perinde ac adiurationis nomen, plura habet affinia cum iuramento, a quo tamen in se et in pluribus discrepat. Est autem adiuratio obtestatio et imprecatio per sacram invocationem. Convenit adiuratio cum iuramento in eo, quod sicut iuramentum adhibetur ad dandam auctoritatem assertioni, vel firmitatem promissioni, sic adiuratio fit ad dandam efficacitatem postulationi aut iussioni. In eo vero differt, quod in iuramento aut divina veritas, aut maiestas et auctoritas Dei ad firmandam promissionem, aut assertionem adducitur: adiuratio vero solum interponit Deum ut obiectum amoris vel timoris ei qui adiuratur, ut inde vel timore vel amore moveatur ad aliquid faciendum.

334. Adiurationem esse per se honestam ac licitam, si circa debitam materiam ac in debitis rerum adiunctis adhibeatur, ex eo patet, quod alium inducere ad rem bonam faciendam interposito Dei nomine, et quidem ex iusta causa si modus servetur debitus respectu eius per quem adiuratio fit, sit res honesta ac licita. Item liquet ex sacris litteris, ex quibus novimus interdum iniungi, ut Num. V. 19. de suspecta muliere dicitur: *Adiurabitque eam.* Et sane usurpata passim est a sanctissimis patriarchis, ut ab Abraham Gen. XXIV. 2. 3. qui Eliezer servo suo dixit: *Pone manum tuam subter femur meum ut adiurem te per Dominum.* Sic Jacob Genes. L. 5. adiurasse Joseph legitur; ut alia exempla prætercam. Accedit Ecclesiæ usus, quæ dæmones exorcismis adiurare consuevit; nec non antiquorum patrum testimonia, ut ex dicendis planum fiet.

335. Nec solum honesta ac licita est adiuratio, verum etiam in sua formali ratione spectata actus religionis est, quatenus illa per Deum aliquid petimus, cui honorem et cultum tribuimus, quia eius auctoritatem aut veritatem sufficere profitemur ad obtinendum id quod petimus. Et quidem si immediate per Deum aliquid petatur, actus est latriæ; sin vero mediate, seu per sanctos aut aliquod aliud obiectum a Deo distinctum petatur, erit cultus duliæ aut hyperduliæ.

Digitized by Google

336. Tres porro sunt personæ seu supposita quæ adiurationi interveniunt; quæ nempe adiurat, quæ adiuratur, et per quam fit adiuratio, quæ licet non semper re inter se distinguantur, distinguuntur tamen habitudine, atque ut plurimum etiam re ipsa. Persona adiurans quæcumque intelligentia pollens esse potest, idest tam homines, quam angeli, immo quandoque et dæmones ipsi, prout legitur Marc. V. 7., ubi dæmon sic Jesum interpellat: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Persona adiurata, seu illa quæ adiurari potest distincta esse debet ab adiurante, præcipue autem ut plurimum Deus est qui adiuratur, non quidem per modum imperii, quod est absonum, sed per obsecrationem et orationem, prout adnotat S. Thomas.[1]) Hinc legimus in Scripturis, Moysen et Prophetas consuevisse orare Deum propter semetipsum et propter Abraham aliosque iustos Deo dilectos. Ecclesia vero constanter orat per Christum. Hic orandi modus quandam Dei adiurationem continet, quia exoratur Deus, atque ad impetrandum quod petitur interponitur vel ipsemet Deus, vel aliquis nomine eius, qui potentior sit quam nos ad impetrandum apud illum, ut per eum oratio nostra iuvetur. Ratio autem adiurationis in hoc perficitur.[2])

337. Præter Deum adiurari possunt homines tam viatores quam beati, perinde ac angeli, si debito modo fiat. Et quidem, si de beatis ac angelis sermo sit, eos haudquaquam per imperium adiurare possumus, sed cum reverentia et honore humiliter obsecrare aut deprecari non ut auctores bonorum, sed ut intercessores.

338. Quod vero attinet ad viatores, possunt interdum et ipsi adiurari tantum deprecando, ut cum subditus adiurat superiorem, vel amicus amicum, aut pauper divitem, ut per Deum,

---

[1]) II. 2. q. 83. art. 17. ad 1. et q. 90. art. 1. ad 3. In primo loco scribit S. Doctor: *Obsecratio non est adiuratio ad compellendum, quæ prohibetur, sed ad misericordiam implorandam.* In altero vero loco hæc habet: *Aliter adiuratione utimur ad hominem, et aliter ad Deum: nam adiurando hominem, eius voluntatem per reverentiam rei sacræ immutare intendimus. Quod quidem non intendimus circa Deum, cuius voluntas est immutabilis. Sed quod a Deo per æternam eius voluntatem aliquid obtineamus, non est ex meritis nostris, sed ex eius bonitate.*

[2]) Cf. Suarez lib. IV. de adiurat. cap. II. n. 3.

Digitized by Google

vel per Christum, aut aliquem Sanctum sibi auxilio sit, aut aliquid faciat. Quo sensu Apostolus II. Cor. V. 20. scribebat: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Et c. X. 1.: *Ipse ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi.* Interdum vero adiuratio fit ad alios homines imperando, et vix non cogendo, quo in casu necesse est ut adiurans potestate et auctoritate polleat in adiuratos, prout animadvertit S. Thomas.[1]) Alioquin iniuste ageret sibi usurpans iurisdictionem vel potestatem quam non habet. Nonnulli de adiuratione eiusmodi cum imperio accipiunt verba Apostoli I. Thessal. V. 27.: *Adiuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus;* etsi alii de adiuratione tantum deprecativa ea intelligant.[2]) Improbe vero ac temere adiuratione imperativa usus est Caiphas cum ad Christum dixit: *Adiuro te per Deum vivum etc.,* perinde ac si super ipsum auctoritatem haberet ac potestatem.

339. Tandem dæmones adiurari posse extra controversiam est, si debito pariter modo adiuratio fiat. Siquidem Christus Ecclesiæ suæ hanc potestatem in dæmones nominatim tribuit. Marci enim XVI. 17. de fidelibus suis inquit: *In nomine meo dæmonia eticient;* et Luc. X. 19. rursum discipulis suis ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.*[3]) Ac revera quovis tempore in Ecclesia hic dæmones adiurandi usus obtinuit, cuius testes sunt antiquissimi Patres. Tertullianus: *Dæmones,* scribit, *adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus;*[4]) S. Cyprianus quoque: *O si audire eos velles* (dæmones) *et videre,* inquit, *quando a nobis adiurantur, et torquentur spiritualibus flagris;*[5])

---

[1]) II. 2. q. 90. art. 1.

[2]) *Hæc adiuratio,* inquit Estius in hunc loc., *non aliud est, quam sacra maximeque seria obtestatio, qua nimirum assumpto Christi nomine a præfectis postulat, ut epistolam omnibus fratribus legendam curent.*

[3]) Beda, Theophylactus et Euthymius serpentes et scorpiones dæmones interpretantur, quasi quod sequitur horum verborum explicatio sit: et super omnem virtutem inimici. Maldonato placuit, adducta verba tam de veris serpentibus et draconibus, quam de diabolo exponere. Nihil repugnat.

[4]) Apolog. c. XXXII. In quem loc. cf. adnot. P. La Cerda.

[5]) In lib. De idol. vanit. pag. 227. ed. Maur. et in libro ad Demetrianum pag. 221. ibid.

Digitized by Google

ac demum, ceteris omissis, Lactantius agens de virtute crucis scribit: *Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant.*[1])

340. Diximus porro, licitam esse adiurationem dæmonum si debito modo fiat. Quod ut intelligatur ratio habenda est finis propter quem adiuratio hæc adhibetur, modi eam exercendi, nec non potestatis, ut legitime fiat. Quæ quidem singillatim exponenda sunt.

341. Ac primo finis alius esse non potest nisi expellendi, abiiciendi fugandique dæmones, non autem aliquid ab ipsis obtinendum, vel aliqua cum ipsis ineunda societas, ut docet S. Thomas.[2]) Idque patet ex adductis Christi verbis, quibus hanc potestatem suis discipulis contulit: In nomine meo dæmonia eiicient; cumque Lucæ X. gloriarentur Apostoli, quod etiam dæmones subiicerentur ipsis, Christus declaravit se ipsis dedisse potestatem ad calcandos illos eorumque virtutem ne ullo modo nobis nocere queant.

342. Exinde colligimus rationem ac modum dæmonis adiurandi haud esse debere per monitum aut rogatum, sed per imperium, iussionem, obiurgationemque eos impellendo et cogendo.[3]) Sic enim scribit in hanc rem S. Augustinus: *Vera pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando eiiciant, non placando; omnesque tentationes, adversitates eius vincant orando, non ipsam, sed suum Deum adversus ipsam;*[4]) et ante ipsum Tertullianus: *Spiritualia,* inquit, *nequitiæ, non quidem socia conscientia, sed inimica*

---

[1]) Institut. lib. IV. c. XXVII. n. 1. edit. Rom. 1757. Cf. Baltus Réponse à l'hist. des oracles advers. Vandale, et adversus Fontenelle: Suite de la réponse à l'hist. des oracles ch. XV. Amsterdam 1709.

[2]) II. 2. q. 90. art. 2. *Possumus,* inquit, *dæmones adiurando per virtutem divini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter .... Non autem licitum est eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam.*

[3]) Ita S. Thomas loc. cit.

[4]) De Civit. lib. X. cap. 22.

Digitized by Google

scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus. [1]) Ratio vero cur sic agendum sit cum dæmone, multiplex est: tum nempe quia ita exigit eius obstinata contra Deum voluntas, qua fit ut nihil propter Deum moliatur; tum quia ob odium quo erga Deum fertur et perniciem hominum machinatur, nihil sponte operatur; tum denique quia omnis societas cum dæmone nobis prohibita est; iam vero illum rogare, aut quidpiam ab eo benevole petere quædam societas est, aut in eam inducit, essetque communicare operibus eius malignis. [2]) Et hæc quoad modum adiurationis dæmonum.

343. Quod denique spectat ad potestatem ut adiuratio legitime fiat, ideo requiritur ea potestas, quia non omnibus indiscriminatim datum est dæmones exorcizare, sed solum ministris ad hoc munus specialiter deputatis, saltem publice et ex officio. Et reipsa ad hoc ordo ecclesiasticus institutus est, et qui eo non est insignitus sibi usurparet potestatem quam non habet exorcizando solemniter obsessos a dæmone. Neque enim expelli dæmones possunt virtute propria seu naturali, cum dæmones hominibus vi ac virtute superiores sint, adeoque id efficere nemo potest nisi virtute divina, seu supernaturali, quæ a sola Ecclesia communicari potest, ut aliquis ex officio ac solemniter id præstet, utpote actus iurisdictionis directe quidem in obsessos, indirecte vero in dæmones se exerens.

344. Dixi publice, solemniter aut ex officio: siquidem privatim et extraordinarie interdum ab alio quam ab exorcista præstari id potest per fidem in Deum, et fiduciam in nomine Jesu eiusque virtute. Idque duobus modis, scilicet aut visibili aut invisibili et occulto. Visibili quidem, cum dæmon corporaliter hominem obsidet ac vexat. Quo in casu illius expulsio, si sit efficax et extraordinario modo fiat, pertinet ad virtutem miraculorum, et sine speciali instinctu Spiritus Sancti et fide ab eo inspirata tentari non debet. Hinc legimus haud paucos Sanctos et Sanctas passim dæmones ex obsessorum corporibus expulisse. Quin etiam in primitiva Ecclesia eiusmodi donum fere commune inter fideles fuisse comperimus, cuius rei testes locupletissimi sunt Tertullianus et S. Justinus, ille tum alibi

---

[1]) Lib. de anima cap. 57. Plura alia in hanc rem profert Patrum testimonia Greg. de Valentia disp. VI. q. 8. puncto II.

[2]) Cf. Suarez lib. II. de superstit. tract. III. c. VII. et VIII.

Digitized by Google

passim,[1]) tum in Apologetico cap. XXIII., ubi scribit: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi de falso.* Justinus idipsum confirmat in Dialogo cum Tryphone[2]) et in Apologia II.,[3]) ut alios prætermittam.[4]) Invisibili autem modo, seu occulto adiurari utiliter possunt dæmones a fidelibus, qui cum tentationibus urgentur iis resistunt fortes in fide, probrisque a se repellunt insectantes, adiurantque in nomine Jesu, quem maxime extimescunt, prout legitur in vita S. Antonii a S. Athanasio descripta, in aliisque servorum Dei biographiis.[5])

345. Et hæc quidem quoad creaturas rationales ac intelligentes; quod vero spectat ad irrationales, per se adiurari nequeunt, cum incapaces sint sive cuiusvis obsequii, sive exauditionis, sive imperii. Possunt tamen adiurari in alio per modum cuiusdam efficaciæ miraculosæ, ut docet Angelicus.[6]) Cum enim creaturæ omnes subsint imperio Dei eiusque providentiæ, fit ut nihil absque divina permissione in nostram perniciem agere possint: hinc a Deo per modum impetrationis et orationis creaturæ irrationales adiurantur ne nobis noceant. Cum insuper, ita Deo permittente, dæmones creaturas eiusmodi in nostram perniciem moveant, Deum obsecramus ut per Jesum Christum eos compescat ne per has creaturas nobis damnum inferant, eorumque opera dissolvat. Hac ratione Ecclesia consuevit exorcizare aquam, salem, aliaque eiusmodi; sic Deum deprecatur, ut avertat inclementiam aëris, aut nubium, aut nocentia animalia. Licet vero hæc adiuratio indirecte ad dæmones referatur, ad creaturas etiam irrationales terminatur.

---

[1]) Ut in lib. de corona cap. XI. et in lib. de anima cap. LVII.

[2]) n. 121 etc.

[3]) n. 6. ubi scribit: *Plurimos dæmoniis agitatos in toto orbe et in urbe vestra multi ex nostris Christianis, cum per nomen Jesu Christi .... adiurarent .... sanaverunt atque etiamnum sanant.*

[4]) Cf. S. Cyprianus de idolor. vanit. pag. 227. edit. Maur. S. Athanas. de incarnat. Verbi n. 48., ubi fuse de hoc argumento scribit.

[5]) Cf. Suarez lib. IV. de adiurat. cap. II. n. 8.

[6]) II. 2. q. 90. art. 3.

Digitized by Google

346. Interdum adiurari possunt eiusmodi creaturæ per immediatam efficaciam supernaturalem, quæ directe et immediate circa ipsas versetur, et in ipsis suum habeat effectum, idque per imperium. Nam etiamsi creaturæ irrationales, ut diximus, morale imperium percipere nequeant, nec propterea moraliter obsequi, atamen, ut scribit S. Hieronymus, *omnes creaturæ sentiunt Creatorem; non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*[1]) Quibus exponit quod legitur de Christo, qui ventis imperavit et mari, secutaque est obedientia, adeo ut discipuli mirati sint dicentes: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Quod ergo tunc fecit Christus virtute propria, possunt facere servi eius in fide et virtute illius; possunt enim imperare huic monti, ut hinc transferatur, et faciet, et locustis ut recedant, et obedient, non utique morali, sed ut ita loquar, physica obedientia,[2]) quatenus efficaciam divinæ sentiunt omnipotentiæ.

347. Superest ad absolvendum hoc argumentum, ut nonnulla adiiciamus circa obiectum per quod fit adiuratio. Jam vero non solum per Deum aut Christum potest fieri adiuratio, ut notum est, verum etiam per sanctos eius sive beatos sive viatores. Etenim id novimus ex Scripturis, in quibus invenimus Moysen Exod. XXXII. 13. orasse Deum illis verbis: *Recordare Abraham, Isaac et Israel, servorum tuorum;* nec non ex praxi Ecclesiæ Deum supplicantis per Christi incarnationem, nativitatem, ceteraque humanitatis eius mysteria. Immo et per Angelos et Sanctos Deum adiurare possumus, ut per ipsorum merita donet nobis quod petimus. Idem dic de viatoribus iustis vel in communi, si oratio sit publica, prout Ecclesia passim obsecrat per omnes sanctos vel per iustos in communi et in confuso, vel in oratione privata per talem aut talem personam, quam orans putat sanctam esse. Sicut enim unus viator potest se alterius orationi commendare, ita potest per ipsum petere et adiurare Deum.

348. Non posse autem adiurari Deum per alias creaturas inferiores exinde colligitur, quod nec dignitas talis creaturæ, nec opera valere possunt apud Deum ad impetrandum aliquid

---

[1]) Comm. in cap. VIII. 5. Matth. v. 26.

[2]) Cf. Suarez loc. cit. n. 14.

Digitized by Google

ab ipso, defectu singularis participationis divinæ bonitatis, cui adiuratio innititur.

Reliqua quæ ad adiurationem spectant utpote minoris momenti heic missa facimus, ut ad ulteriora properemus.[1])

---

[1]) Hæc recoli possunt apud Suarez loc. cit. apud Valentia disp. VI. de virtut. relig. q. 8., nec non apud S. Thomam II. 2. q. 90.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

DE VITIIS,

QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

349. Ad duo suprema capita revocat S. Thomas vitia, quibus in virtutem religionis peccatur; nempe aut per excessum aut per defectum: per excessum quidem superstitione, per defectum vero irreligiositate.[1]) Nos eius vestigiis inhærentes ad duo hæc pariter capita totum hoc argumentum contrahemus; agemus scilicet prius de irreligiositate sive directa, sive indirecta: directa quæ talis est per irreverentiam erga Deum, indirecta autem per irreverentiam erga res sacras; deinde de superstitione eiusque speciebus.

350. Prætermitti porro in præsentiarum nequit in scholis specialis tractatio de recenti superstitione, scilicet de magnetismo animali, seu mesmerismo, de somnambulismo artificiali seu magnetico, quem vocant, deque spiritismo, ac proinde de mensis circulatoriis et loquentibus, de divinationibus circa impenetrabilia tum præsentis tum futuræ vitæ mysteria. Exsuscitata siquidem paucis abhinc annis superstitiosa paganismi doctrina ac praxis est, quæ captivam iampridem detinebat universam pæne societatem. Incredibili celeritate longe lateque diffusa est per Americæ ac Europæ regiones perniciosa eiusmodi praxis ingenti animarum iactura, atque furore quodam innumeri perciti sunt erga adeo exitiale eiusmodi inventum: alii quidem ex destinata malitia, alii vero ex quadam animi levitate ac inani curiositate, aliisque futilibus rationibus ducti, nihil mali ex talibus experimentis suspicantes.

351. Levi propterea calamo obvia ac generalia doctrinæ capita ad vitia virtuti religionis opposita spectantia, seu quantum satis est ad comparandam necessariam eorum cognitionem persolvemus, ut ea qua par est diligentia persequamur grassantem per hæc tempora superstitiosam agendi sentiendique rationem. Eo vero libentius id præstare constituimus, quia nondum quod sciam, saltem data opera, in institutionibus theologicis de his pertractari cœptum est. Attamen viris ecclesiasti-

---

[1]) II. 2. q. 92.

Digitized by Google

cis scitu ætate hac nostra summopere necessaria sunt, ut errantes ac devios suis instructionibus ab hoc consectando instituto avertant.

352. Hinc in duas sectiones alteram hanc tractationis partem distinguemus, in quarum priori generatim et cursim de vitiis virtuti religionis adversantibus agemus, in posteriori vero quæ speciatim ad magnetismum animalem spectant, ad somnambulismum atque ad spiritismum, diligentius expendemus.

Sectio prima.
De irreligiositate ac superstitione.

Caput I.
De irreligiositate eiusque speciebus.

353. Irreligiositas, quæ vitium constituit per defectum contra religionem, est peccatum, quo Deus vel in se vel in rebus sacris inhonoratur. Licet amplissimam irreligiositas significationem habeat, cum innumeri prope sint actus quibus Deus inhonorari possit,[1]) ad quinque tamen species revocari consueverunt. Sunt autem: tentatio Dei, blasphemia, sacrilegium, periurium et simonia. Quoniam vero de periurio cum de iuramento ageretur iam disseruimus, superest, ut de reliquis nonnulla perstringamus.

§. 1. De tentatione Dei.

354. Tentare interdum perinde valet ac probare, experimentum capere etc., interdum vero significat inducere aut seducere; atque in utroque sensu vox illa in Scripturis usurpatur. In sensu probationis Deut. XIII. 3.: *Tentat vos Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum;* et alibi passim.[2]) In sensu

[1]) Cf. Suarez in tract. III. de vitiis religioni contrariis lib. I. de irreligiositate cap. 1. n. 1.

[2]) Uti cum legitur, Deum tentasse Abraham, Tobiam, Job, populum suum.

Digitized by Google

autem inductionis aut seductionis Jacob. I. 13. dicitur: *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.*[1])

355. In priori significatione, et quidem ex parte hominis, hic tentatio accipitur, ac definiri solet: peccatum, quo quis conatur capere experimentum alicuius perfectionis divinæ per extraordinarium effectum præter consuetas naturæ et providentiæ leges: ut si quis petat insolitum aliquid, quod sine miraculo esse, aut nullo modo, aut vix potest, ad comprobandam Dei providentiam, vel ad experiendum an aliquid sit e Dei voluntate. Talis fuit tentatio illius monachi Heronis, qui, referente Cassiano, se in puteum deiecit, ratus sibi adfuturos angelos, qui eum in manibus tollerent,[2]) et quæ medio ævo passim receptæ erant probationes ignis, ferri candentis, ferventis aquæ, duelli, aliorumque similium.[3])

356. Tentatio Dei potest esse aut directa, sive expressa et formalis, aut indirecta, sive implicita ac interpretativa. Tunc formalis intervenit tentatio, cum aliquis expressa ac formali intentione quidpiam facit, ut exploret et agnoscat aliquid de Deo, an sit omnipotens, bonus, ac sapiens. Quo in casu nemo non intelligit, esse peccatum cum gravissimo infidelitatis et irreverentiæ crimine coniunctum, et in Scripturis reprobatum. Huc enim referuntur quæ de Israelitis habentur in Ps. LXXVIII.: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo, et dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Indirecta vero seu interpretativa tentatio Dei intercedit, cum aliquis, prætermissis

---

[1]) Cf. S. Augustin. epist. CXX. ad Censentium, et quæst. LVIII. in Exod. ed. Maur.

[2]) Collat. II. cap. V.

[3]) Cf. Thiers, Traité des superstitions. Paris 1697. tom. I. liv. III. ch. VI. seq. Illud porro observatione dignum est, quod, dum longe lateque obtineret eiusmodi multiplex probatio, ac universam pæne Europam occupaverit, numquam Romæ viguerit, aut admissa aliquando sit. Cf. Balmes Del Protestantismo comparato col Cattolicismo. Cf. etiam Le Brun Hist. critique des pratiques superstitieuses. Paris 1702. tom. II. liv. VI. et De hoc ipso argumento plenius disseruit recens auctor Dmnus Joseph Bizouard in op. Des rapports de l'homme avec le démon. Paris 1863. tom. I. liv. cinquième. ch. I. et suivant: Exposé de la magie au quatrième siècle; Exposé succinct des branches de la magie durant la période du quatrième au quinzième siècle.

Digitized by Google

ordinariis providentiæ mediis, vult aliquid consequi præter consuetum naturæ ordinem, ex. gr. conservare vitam sine necessario cibo, valetudinem sine idoneis remediis recuperare, pericula declinare non adhibitis opportunis cautionibus, scientiam sine studio sibi comparare. Gravis censetur eiusmodi Dei tentatio, cum nobis aut aliis damni causa esse potest, atque illis verbis prohibita, quæ Deut. VI. et Matth. IV. leguntur: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

357. Prætermitti tamen nequit, tentationem interpretativam haud semper grave peccatum esse, sed interdum solum leve, præsertim si aut ex aliqua ignorantia ac inadvertentia proficiscatur, quin intendat qui ita se gerit aut Dei experimentum facere, aut miraculum prætendere. Immo fieri quandoque potest, ut nec veniale quidem intercedat peccatum in eo, qui non ex dubitatione aut infidelitate, sed ex iusta causa quærat explorare divinam voluntatem in aliqua re difficili, sive id faciat expresse, sive interpretative. Huius rei non pauca suppetunt in sacris litteris exempla. Sic Elias, ut legitur III. Reg. c. XVIII. 24. proposuit miraculum ad verum Deum internoscendum dicens: *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus;* sic Abraham Genes. XV. 8. Deum alloquens: *Unde,* inquit, *scire possum?* Et Gedeon Jud. VI. signum petiit in vellere.[1]) Ast in his magna opus est prudentia et humilitate, immo et addo, si agatur de miraculo a Deo petendo, peculiari Spiritus Sancti impulsu: alioquin qui ita temere se gereret, non vacaret aliqua gravi, aut levi saltem culpa.

§. 2. De blasphemia.

358. Blasphemia, quæ perinde valet ac nocens dictum, definiri consuevit: Locutio contumeliosa in Deum, qua scilicet maledicitur vel Deo vel Sanctis vel creaturis quibuscumque, quatenus ad Deum referuntur. Nam si quis sine ullo animo Deum inhonorandi creaturis maledixerit, esset quidem inordinatus iræ motus, non autem blasphemia.

---

[1]) Cf. S. Jo. Chrysostom. hom. XXXVII. in Genes. Item S. Thom. II. 2. q. 97. art. 2. ad 3., nec non Suarez loc. cit. cap. II. et III. n. 8—10. Sane legimus non semel Deum ipsum inspirasse, immo et iussisse talem petitionem, ut Isai. VII. 11., ubi Deus per prophetam dixit ad Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo.* Cumque ipse renuisset sub obtentu non tentandi Dominum, quin laudetur, gravius potius reprehenditur.

Digitized by Google

359. Blasphemia alia est hæreticalis, alia imprecativa, alia mere dehonestativa. Itaque blasphemia hæreticalis, quatenus a simplici distinguitur, ea est, quæ hæresim aut falsitatem contra fidem formaliter aut virtualiter continet et significat. Eiusmodi est omnis blasphemia enuntiativa, sive affirmando contra fidem, sive negando in Deo quod fides docet, vel etiam tribuendo creaturæ id quod secundum fidem soli Deo competit, vel de his etiam dubitationem patefaciendo. Quapropter reus hæreticalis blasphemiæ esset qui Deum aut iniustum aut crudelem diceret. Verum et illud animadvertendum est, non semper ita blasphemantes hæreticos esse, cum ad hæreticum constituendum pertinacia interveniat necesse sit: plerique autem nonnisi ex solo impetu in eiusmodi blasphemias erumpunt absque persuasione, ut patet ex experientia. Imprecativa est, qua quis Deo malum imprecatur, quodcumque demum sit. Dehonestativa est, cum aliquid de Deo verum enunciatur per modum contemptus et contumeliæ, quod exemplo illustrari consuevit Juliani Apostatæ, cui tribuitur illud de Christo: Vicisti Galilæe;[1]) aut cum Christi caput, mors, mysteria, sacramenta ex iræ vehementia irreverenti modo proferuntur.

360. Blasphemia præterea non solum verbis, sed quibuscumque aliis signis committi potest: saltem quum, ut fieri plerumque solet, verba factis coniunguntur. Nam proprie formalis blasphemia in solis verbis consistit.[2]) Qui proinde pulverem in cœlum proiiceret in signum divini contemptus, vel in crucifixum conspueret una cum verbis contumeliosis, reus procul dubio blasphemiæ efficeretur.

361. Demum potest blasphemia esse non solum externa, sed etiam interna, seu per verbum mentis, prout Deus tum verbis tum mente laudari potest. Hinc si quis contumelias adversus Deum voluntarie animo revolveret, reus fieret blasphemiæ.

362. Ad huius peccati gravitatem quod attinet, illud gravissimum, atque ex toto genere tale esse nec levitatem materiæ admittere, uno ore omnes affirmant. Sane horrendum est blas-

---

[1]) Quod tamen a criticis aut negatur, aut saltem in dubium revocatur, cum solido non innitatur historico fundamento.

[2]) Quod fuse ostendit Suarez lib. I. de irreligiositate cap. I. n. 3—5; ac inniti videtur doctrinæ S. Thomæ, qui II. 2. q. 113. art. 1. soli locutioni blasphemiam tribuit.

Digitized by Google

phemiæ crimen, peiusque periurio, ac quadantenus ipsa idololatria. Nam idololatria debitus Deo cultus denegatur, quod sæpe fit ab ignaris; blasphemia autem suprema Dei maiestas ab homine sciente et advertente deprimitur et conculcatur. Et hæc quidem spectata malitia absoluta blasphemiæ: si vero de malitia sermo sit comparativa, dici nequit peccatorum omnium maximum. Etenim odium Dei, hæresis et desperatio graviora peccata constituunt, utpote quæ adversentur nobilioribus virtutibus fidei, spei et caritatis; contra vero blasphemia in sua formali ratione non adversatur nisi virtuti religionis, quæ virtus moralis est. Ceterum inter peccata religioni opposita, blasphemia est maximum, quia directe opponitur divinitati atque excellentiæ eius secundum se, eique non solum negat debitum cultum, sed etiam summam irreverentiam et iniuriam infert, quantum potest, et quasi aperto marte, ut ita loquar, bellum Deo indicit. Quo sensu S. Hieronymus: *Nihil,* inquit, *horribilius blasphemia, quæ ponit in cœlum os suum .... Omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est.*[1]) Nil mirum propterea si in veteri Lege solo sanguine expiaretur, ut patet ex Levit. XXI., ubi ut lapidibus obruatur blasphemus præcipitur; et in nova Lege iure canonico gravissimis pœnis subiiciatur, prout et in lege civili ad hæc usque ferme tempora mulctari consuevit.[2])

363. Et hæc quidem in se, seu ratione materiæ; ceterum si aut ex inadvertentia, aut ex inconsideratione, quæ antevertat libertatem, promatur blasphemia, fieri potest ut nonnisi venialiter quis peccet.

364. Ast non modo a blasphemiis cavendum summopere est, verum etiam a perversa illa consuetudine, qua divinum nomen a permultis per modum loquendi sine reverentia usurpatur. Sanctum enim et terribile nomen Dei est, nonnisi reverenter atque cum pio affectu invocandum; nec umquam frustra,

---

[1]) Comment. in Isa. cap. XVIII. lib. VII.

[2]) Dixi: ad hæc usque ferme tempora. Nam in nonnullis guberniis obtinuit, ut religio a statu separaretur, sin minus iure, saltem facto, ac propterea eiusmodi pœnæ abolitæ sunt. Immo vero et eo progressa impietas est, ut blasphemi interdum equestris ordinis honestentur insignibus. Ast hoc non impedit quominus Deus de eis etiam vel in hac vita vindictam gravissimam sumat, dicente Psalmographo Ps. XXXVI. 22. Maledicentes autem ei disperibunt.

Digitized by Google

seu proverbii loco assumendum. Quo refertur præclarum illud Ecclesiastici monitum: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis.* [1])

§. 3. De sacrilegio.

365. Sacrilegium, quod spectata etymologia perinde valet ac sacrum furtum,[2]) post S. Thomam definiri consuevit: irreverentia seu violatio rei sacræ,[3]) et quidem ut sacra est seu Deo dicata, et a Deo distinguitur. Quum vero triplex rerum genus sit Deo sacrarum, nempe personæ, loci, et res, exinde oritur triplex sacrilegii distinctio, ut aliud sit personale, aliud locale, aliud denique reale.[4])

366. Sacrilegium personale est actio, qua persona violenter vel indigne tractatur, ut si occidatur, vulneretur, percutiatur, aut contumeliosis modis habeatur: per quæ peccata, si contra clericum aut religiosum virum patrentur, ipso facto excommunicatio maior Romano Pontifici reservata incurritur, nisi vel iusta causa, aut materiæ levitas excuset. In hoc quoque sacrilegii genere recensetur quodcumque peccatum contra castitatem, quod vel persona sacra, vel laica cum persona sacra admittat. Personæ autem sacræ nomine non solum veniunt qui per sacram ordinationem, vel statum religiosum Deo mancipati sunt, verum etiam qui quamdam eius participationem habent, cuiusmodi sunt qui per votum simplex castitatis aut per alium modum dedicationis ad cultum Dei perpetuum ab Ecclesia approbatum se manciparunt.[5])

367. Sacrilegium locale est violatio loci sacri, idest templi, sacelli, cœmeterii per actionem qualemcumque, quæ eiusdem sanctitati repugnet. Sacra vero loca violantur potissimum 1° per actiones impias, quibus templa et altaria evertuntur, diripiuntur vastanturque; 2° per actiones violentas, quibus homicidia in iisdem committuntur, vel etiam sine homicidio humanus sanguis effunditur; 3° per rerum sacrarum furtum, aut etiam, ut plerisque placet, cum res non sacræ in loco sacro

---

[1]) Eccli XXIII. 10.

[2]) Ita S. Isidorus lib. I. Origin. litt. S. scribens: *Sacrilegus dicitur ab eo quod sacra legit, id est furatur.*

[3]) II. 2. q. 99. art. 4. [4]) Ibid. art. 3.

[5]) Ita S. Thomas loc. cit. q. 99. art. 1.

Digitized by Google

surripiuntur iuxta Joannis VIII. declarationem qua dicitur: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro,*[1]) licet nonnulli refragentur eo quod non sint eiusmodi obiecta Ecclesiæ, seu templi tutelæ commissa; 4° per externa incontinentiæ peccata, eaque maxime, quæ ad voluntariam seminis effusionem progrediuntur; 5° demum per seditiones, conclamationes, confabulationes, vana colloquia, eosque omnes externos actus, quibus externus cultus, ac divinæ Maiestatis præsentia inhonoratur et quasi despicitur; licet non omnes eiusmodi actus ad grave peccatum pertingant.

368. Sacrilegium reale est, quo res sacræ contemnuntur aut indigne tractantur. Hoc sacrilegium tot modis committi potest, quot sunt rerum sacrarum genera. S. Thomas varia rerum sacrarum genera recenset, et secundum rerum sacrarum differentiam varios exurgere sacrilegii gradus affirmat; deinde pergit: *Inter quas summum locum obtinent ipsa Sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post Sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, et ipsæ imagines sacræ, et reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, et dehonorantur; deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia. Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit.*[2])

369. Ex eodem principio infertur se reos sacrilegii constituere, qui sacræ Scripturæ verba ac sententias ad profana quæque, ad scurrilia scilicet, fabulas, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, ad libellos etiam famosos traducunt, quod ne fiat speciali inhibitione sancitum est a Tridentino sess. IV. de canonicis Scripturis. Cum vero duplici ratione res sacræ violari possint, tum nempe positive, cum indigne tractantur, tum negative, cum non ea qua par est diligentia custodiuntur: hinc fit ut tali crimine obstringantur qui eam curam ac diligentiam omittunt, quam rerum sacrarum dignitas et debita erga eas diligentia requirit, ac propterea se reos constituunt parochi, ecclesiarumque rectores, qui negligentia sua sinunt ecclesiæ res

---

[1]) In cap. Quisque 17. q. 4.

[2]) II. 2. q. 99. art. 3.

Digitized by Google

perire, vel sacra obiecta sine ea qua par erat decentia tractari.

370. Sacrilegium esse peccatum ex genere suo mortale nemo est qui ambigat; verumtamen potest leve fieri, dempto contemptu, ex parvitate materiæ, si videlicet irreverentia in personas, loca aut res sacras gravis non sit, et ex inadvertentia. Idque valet in sacrilegiis, quæ per commissionem et per omissionem fiant. Item in iis quæ per excessum ac in iis quæ per defectum talia sunt.[1]) Quoad casus particulares, nec non ad pœnas quibus mulctari possunt, consulantur theologiæ moralis institutores.

§. 4. De simonia.

371. Ad sacrilegium revocatur simonia, utpote irreverentia in res sacras Dei cultui mancipatas. Vitium hoc nomen suum sortitum est a Simone mago, qui omnium primus in Lege Evangelica eo se fœdavit, dum proposita pecunia voluit sibi potestatem comparare conferendi Spiritum Sanctum.[2]) Est autem simonia sacrilegium quod committitur in emptione et venditione, seu in contractu quolibet, quo res spiritualis ut talis est pro temporali commutatur, aut viceversa quo res temporalis commutatur pro spirituali. Presse vero a S. Thoma,[3]) quem deinde theologi omnes et iuris canonici periti secuti sunt, definitur simonia: Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum.

---

[1]) Cf. Suarez lib. III. de sacrileg. cap. VII.

[2]) Hoc plane sibi proposuerat Simon, ut patet ex Actis Apostolicis, atque ex Patrum sententia. Nam S. Epiphanius Hæres. I. n. 1. (ed. Petav.): *Simon iste,* scribit, *animo ac mente depravatus, cum se turpissimo quæstui et avaritiæ dedidisset, neque quicquam de perversis studiis remisisset, Apostolo Petro pecunias obtulit, ut sibi largiendi per manuum impositionem Spiritus sancti potestatem conferret. Eumdem quippe Spiritum in alios transfundere cogitabat, atque ita maximam sese pecuniarum vim collecturum, atque ingens omnino lucrum cum exiguo pretio commutaturum sperabat.* Sic etiam S. Cyrillus Hierosol. Catech. XVI. n. 10. edit. Touttæi: *Non dixit,* inquit: *Date et mihi Spiritus participationem, sed potestatem: ut aliis venderet rem minime venalem, quam ipse assecutus non fuerat.* Sic pariter S. Augustinus tract. X. in Joan., ceterique passim.

[3]) In 4. Sent. d. 25. art. 1.

Digitized by Google

372. Quam turpe sit eiusmodi vitium statim in oculos incurrit ex eo quod per ipsum divina humanis, sordidis ac perituris huius sæculi bonis cœlestia comparantur, immo vero non sine maxima irreverentia quasi æquiparantur; tum etiam ob evidens periculum, ne, si divinæ res hoc modo venales reddantur, facili indignis ex hominum avaritia conferantur. Nil mirum proinde, si eiusmodi vitium tum lege naturali, tum lege positiva divina, tum ecclesiastica proscriptum sit, gravibusque pœnis obnoxium.[1])

373. Multiplex simoniæ divisio recensetur. Ac 1° ratione materiæ circa quam versatur, alia est circa rem spiritualem, alia circa rem spirituali tantum adnexam; aut in particulari distingui solet simonia vel in ordinibus, vel in beneficiis, aliisque similibus. 2° Ratione pretii, scilicet a manu, a lingua, ab obsequio; et huc spectant aliæ quæstiones de variis rebus, quæ in commutationem rei spiritualis dari possunt. 3° Ratione pacti quod intervenit, aut modi quo fit; et ista simonia distinguitur in mentalem, realem et conventionalem; et huc pariter revocantur modi omnes pactionum et contractuum, qui sufficiunt ad simoniam constituendam.

374. Atque, ut in hac postrema divisione sistamus, mentalis dicitur simonia, non quasi in solo interno actu seu intentione maneat, quod commune esse potest omnibus vitiis, sed quod interior voluntas coniungitur cum re externa, ex. gr. contractu dationis aut receptionis, et tamen malitia latet sive in alterutra persona, sive in utraque, quin exterius se prodat aut verbis, aut nutibus, aliove signo.

375. Conventionalis simonia illa nuncupatur, in qua fit pactum dandi spirituale pro temporali, et e converso, nondum tamen ad executionem perducta est per traditionem aliquam. Hæc igitur mentali adiicit exteriorem contractum.

---

[1]) Habetur in iure canonico integer titulus satisque prolixus De simonia: cui deinceps insequentes Pontifices plures alias pœnas addiderunt. Hæ autem ad duo capita revocari possunt, ad censuras nempe, ad quas revocari pariter possunt alia impedimenta canonica, ut irregularitas, infamia, et si quæ alia huiusmodi sunt, quæ ad primum hoc caput spectant. Alterum caput constituitur ex privatione omnium bonorum sive spiritualium sive temporalium per simoniam acquisitorum, sub quo comprehenduntur alia beneficia, si privatio hæc forte per aliquam simoniam incurritur.

Digitized by Google

376. Realis ea est, quæ præter conventionem includit traditionem rei vel rerum, de quibus conventio facta est. Hæc autem traditio triplici ratione contingere potest, nempe vel ex parte pretii tantum, vel tantum ex parte rei spiritualis, vel ex parte utriusque, spiritualis scilicet et temporalis. Quando ergo ex utraque parte facta est traditio, absque dubio est, illam simoniam esse maxime realem, seu conventionalem maxime consummatam. Ex quo patet, simoniam realem includere semper conventionalem, prout conventionalis includit mentalem.

377. Participat autem de tribus his simoniæ classibus ea quæ confidentialis audit, licet peioris conditionis quoad pœnas hæc sit præ tribus reliquis. Confidentialis simonia, quæ a confidentia nuncupatur, locum tantummodo habet in beneficiis, atque propterea interdum beneficialis dicitur.

378. Tunc vero simonia confidentialis habetur cum aliquis privatus fruens beneficio, illud renuntiat in favorem alterius cum certa confidentia, quod ille postea renuntiabit hoc ipsum beneficium convenienti tempore vel eidem renuntianti, vel in favorem alterius tertii, ut nepotis aut filii primi renuntiantis. Quando renuntians intendit ut ad se redeat beneficium, solet vocari confidentia regressus, quia facta beneficii resignatione, retinetur quasi ius quoddam regrediendi ad illud. Vocatur vero confidentia ingressus, quando habens beneficium sibi iam collatum ast nondum possessum, illud alteri renuntiat reservando sibi per similem confidentiam ius postea ingrediendi in possessionem eius, facta sibi ab alio renuntiatione in certa condicta occasione vel conditione.

379. Et hæc quidem respectu renuntiantium; respectu vero conferentium seu quoquo modo providentium beneficium, simonia confidentiali commaculari dicuntur quotquot præsentando, nominando, eligendo, conferendo, commendando etc. apponunt conditionem, ut deinde illud ipsum beneficium quo aliquis provisus est renuntiet aut dimittat aliquo modo in favorem alterius, vel fructus eius, aut eorum partem illi persolvat. Ex hac porro beneficii conferendi ratione fiebat, ut consanguineis prælatorum, qui nondum per ætatem idonei erant ad beneficium obtinendum illud reservaretur, donec ætate provecti accederent ad illud habendum. Qua de causa factum est, ut eiusmodi obtentio vocaretur per accessum, de quo passim Rom. Pontifices in suis Constitutionibus mentionem faciunt.

Digitized by Google

380. Jam vero simonia eiusmodi confidentialis a Summis Pontificibus Pio IV., S. Pio V. et Sixto V. non modo damnata est tum in renuntiantibus, tum in providentibus beneficia, verum etiam gravissimis pœnis mulctata est. Siquidem primo Pius IV. quoad episcopos et omnes superiores prælatos pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ posuit; quoad inferiores vero pœnam excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ constituit. Secundo resignationem et collationem beneficii annullavit, ac inhabilitatem induxit ad idem beneficium, et ad alia omnia inde secuta. Tertio omnibus privat beneficiis et pensionibus antea obtentis, et inhabilitatem statuit ad alia quæcumque obtinenda. Quarto demum talia beneficia, in quibus hæc simonia locum habuit, reservantur sedi Apostolicæ, ita ut ab inferioribus valide conferri nullatenus possint, perinde ac fructus eorum, qui utpote male percepti Cameræ Apostolicæ applicantur.[1]) Has pœnas confirmarunt insequentes Pontifices.

381. Et hæc ad institutum nostrum adnotasse sufficiat; siquidem ad innumeros prope casus particulares quod attinet, seu ad principiorum applicationem in praxi adeundi sunt institutores theologiæ moralis ac iuris canonici periti, qui de his data opera pertractant.[2])

Caput II.

De superstitione eiusque speciebus.

§. 1. De superstitionis notione.

382. Superstionis nomen alii a supersto aut a superstes derivant, seu quia importunam et ineptam religionem designat,[3]) seu quia superstes, quatenus totos dies immolabant, ut eorum liberi superstites essent, superstitiosi sunt vocati.[4]) Alii vero a superstando, aut a superstatuo vel

---

[1]) Ita Canonistæ omnes ac theologiæ moralis institutores.

[2]) Longum foret singillatim hos auctores connumerare, neque necessarium, cum omnium pæne manibus terantur. Satis propterea erit heic mentionem iniicere Suarezii, qui integrum librum satisque prolixum hoc de argumento exaravit, Salmanticensium, S. Alphonsi de Ligorio, et, qui omnes præcessit, Angelici Doctoris q. 100.

[3]) Ita A. Gellius lib. X. Noct. Attic.

[4]) Ita Cicero lib. II. de natura deor.

Digitized by Google

superstituo dictam contendunt.[1]) Significat autem superstitio ex communi acceptione cultum omnem vanum qui a veritate ac regula deficiat, sive ex parte obiecti, sive ex parte modi. Ex parte quidem obiecti, cum cultus falso numini tribuitur; ex parte modi, cum cultus, etsi Deo vero exhibeatur, est tamen Deo indignus.

383. Superstitionis porro variæ species recensentur: idololatria, divinatio, vana observantia, magia, maleficium, cultus falsus atque superfluus. De his singillatim raptim agemus.

§. 2. De idololatria.

384. Idololatria proprie dicta est peccatum, quo cultus supremus soli Deo debitus creaturæ cuicumque, aut imaginariæ divinitati, eiusque imagini seu idolo impenditur. Non est quod hic inquiramus circa idololatriæ originem, variasque eius species, cum res obscura ac implexa valde sit. Vel enim desunt genuina antiquitatis documenta, vel, si quæ sint, varia immo et discrepantia inter se sunt. Eusebius eiusmodi idololatriæ originem, diversasque eius species apud priscas gentes, Ægyptiorum præsertim, Phœnicium, Græcorum, Romanorumque expendit, nec non systemata allegorica veterum sacerdotum et philosophorum.[2]) Recentiores scriptores non minus hac in re dissentiunt, et unusquisque suum exclusivum systema invexit. Juxta Huëtium repeti debet ex deformata Moysis historia,[3]) contra vero Pluchius eam arcessit ex abusu locutionis astronomicæ,[4]) Banierius censuit, eam originem traxisse a cultu mortuorum,[5]) aliud systema amplexus est Gerhard. Vossius, qui censet, eam haud longe post diluvium ortam,[6]) aliique alias sententias sectantur, quas longum esset recen-

---

[1]) Ut Lucretius apud Isidorum lib. VII. Etymolog. cap. III. n. 6, in quem cf. notas Arevali.

[2]) In tribus prioribus de præparatione evangelica libris. Ex eo patet, quod prima idololatriæ species fuerit Sabeismus seu cultus astrorum, deinde vero virorum qui de humano genere meriti sunt, sive artium inventionibus, sive rebus bene gestis, aliove titulo; postea reges in deorum album translati fuere, Opsisque erecta templa, et ita porro.

[3]) Demonstrat. evangel. propos. IV.

[4]) Histoire du ciel. tom. I.

[5]) La mythologie et les fables expliquées par l'histoire.

[6]) De origine idololatriæ.

Digitized by Google

sere.[1]) Bergierius veterum ac recentiorum placita expendit, ac pleraque refellit.[2])

385. Quidquid porro hac de re sit, quam non vacat diutius ad institutum nostrum expendere, illud extra omne dubium est, idololatriam crimen gravissimum ac læsæ maiestatis divinæ constituere. Nam veram a Deo defectionem includit idololatria presse sumpta.[3])

386. Dicitur vero idololatria improprie dicta, quæ aliquam gerit idololatriæ similitudinem, cuiusmodi est idololatria simulata, qua quis non ex interno affectu, sed vi aut metu compulsus aliquem falsi numinis cultum exercet; et interpretativa, qua quis alicui creato bono adhæret tam inordinato affectu, ut in eo ultimum finem suum constituisse videatur. Quo sensu Apostolus Ephes. V. 5. et Coloss. III. 5. fornicationem, immunditiam, libidinem, et avaritiam appellat simulacrorum servitutem. Nam qui hæc vitia sectatur eis procul dubio magis servit, quam Deo.[4])

§. 3. De divinatione.

387. Divinatio est peccatum, quo artes vanæ ac illicitæ usurpantur ad occulta et futura detegenda.

---

[1]) Magno numero refert Jo. Alb. Fabricius in sua Bibliographia antiquaria. Hamburgi 1760. ad vocem Idololatria.

[2]) In Diction. art. Idolatrie.

[3]) S. Thomas II. 2. q. 94. art. 3. distinguit inter peccatum idololatriæ in se, et peccantem; idololatriam vocat peccatorum gravissimum: quoad peccantem vero admittit gravius peccare, qui ex malitia et contemptu Deum lædit, quam qui ex ignorantia peccat. *Et secundum hoc,* subdit, *nihil prohibet gravius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem, quam acceperunt, quam idololatras ignorantes, peccantes; et similiter etiam aliqua alia peccata esse maiora propter maiorem contemptum peccantis,* ut patet ex odio Dei.

[4]) Cf. Greg. de Valentia disp. VI. q. V. puncto I., et Lessium de iustitia et iur. lib. II. cap. XLIII. dub. IV., qui docte et copiose ostendunt adversus hæreticos sæc. XVI., idololatriam haud esse cum superstitione illa permiscendam, qua indebitus Deo cultus exhibetur, seu quem Deus non mandavit, prout ipsi faciunt, ut sic viam sibi sternant ad calumniandos catholicos, quos veriti non sunt idololatras appellare ab quosdam ritus, quos ipsi uti vanos traducunt, præsertim vero ob cultum Sanctorum, eorumque imaginum venerationem.

Digitized by Google

Ea varia nomina pro variis, quæ assumuntur ad eiusmodi finem obtinendum, mediis sortitur. Dicitur enim oraculum divinatio illa, quæ habetur per idoli responsum; vaticinium, quæ per vatem; auspicium, quæ per avium volatum et garritum obtinetur; haruspicium, quæ per viscera animalium: necromantia, quæ per mortuos in speciem suscitatos; chiromantia, quæ per lineamenta manuum; astrologia, quæ per siderum contemplationem et positiones; sortilegium, quæ per sortes divinatorias; somnium, quæ per phantasmata in somno visa exercetur. [1])

388. Omnes eiusmodi divinationes utpote superstitiosæ a Rom. Pontificibus, nominatim vero a Sixto V. in celebri Constitutione Cœli et terræ Creator, proscriptæ sunt. Jamque a sæculi VI. primordiis, nempe an. 506. a Concilio Agathensi can. XLII. auguria ac sortilegia proscribuntur, et qui ea profitentur sive clerici sive laici ab Ecclesia pelluntur. [2]) In ea pariter invehunt Ecclesiæ Patres uno consensu, præsertim vero Basilius, Ambrosius, Leo M., potissime S. Augustinus lib. II. de doctrina christ. c. XXI. Idque iuxta ea quæ constituta sunt Levit. XX. 27. ac Deut. XVIII. 10, 11. Hinc Jerem. X. 2. legitur: *Hæc dicit Dominus: iuxta vias gentium nolite discere; et a signis cœli nolite timere, quæ timent gentes.*

389. Duplex autem divinationis genus distinguitur: alterum, quod est per expressam dæmonis invocationem, alterum vero per tacitam. Si fiat per expressam dæmonis invocationem nemo ambigit grave peccatum esse, cum includat manifestam cum infensissimo Dei hoste societatem, quæ in magnum Dei contemptum redundat. Quod si per solam tacitam dæmonis invocationem fiat, licet sit ex genere suo lethale peccatum, attamen excusari quandoque a gravi culpa potest, sive ob simplicitatem, sive ob inconsiderationem et ignorantiam eorum qui his vacant, præsertim si ex ioco et levitate, quin aliquid mali suspicentur, ita se gerant. Avocandi tamen rudes præcipue sunt ab eiusmodi consectandis.

---

[1]) Præter antiquiores dæmonologos Tyræum, Del Rio, Le Brun, Thiers, qui fuse de divinatione scripserunt, consuli potest Billuart, qui ad mentem angelici doctoris, accurate de ea agit tom. IV. diss. VII. art. 3. Nos vero copiosius de eadem agemus in sectione altera.

[2]) Apud Harduin. Acta Concil. tom. II. col. 1003.

Digitized by Google

§. 4. De vana observantia.

390. Vana observantia illa est superstitio, qua aliquis effectum quemdam sibi certo pollicetur per media inepta et inutilia, ex. gr. per quædam verba, vel nomina, vel signa ignota. Tres eius distinguuntur species, nempe ars notoria, observatio sanitatum, et observatio eventuum. Eaque dicitur ars notoria, si ad comparandam aliquam scientiam sine labore per inspectionem quarumdam figurarum, aut prolationem quorumdam verborum, adscitis interdum ieiuniis et orationibus, adhibeatur. Observantia sanitatum dicitur, si inania signa aut verba aut cæremoniæ inanes adhibeantur ad morbos sive curandos, sive avertendos, id est ad se immunem reddendum contra ictus aliosque similes effectus. Observantia eventuum tunc habetur, si quis ex fortuito aliquo casu sibi vel alteri adversa vel prospera coniectat, et exinde suas actiones moderatur. Licet vero hæc observantia eventuum divinationi valde affinis sit, in eo tamen differt, quod per divinationem principaliter futurorum notitia, per illam vero directio operationum quæratur.

391. Non modo in vana observantia peccatum admittitur, cum aliquid inutile ac ineptum ad datum effectum obtinendum adhibetur, verum etiam cum assumitur aliquid utile quidem et aptum, addito tamen ritu aliquo superstitioso, vel in aliquo medio, puta quibusdam verbis, vel precibus determinatis collocatur certa fiducia futuri eventus qui a mera pendet divina voluntate. [1])

§. 5. De magia.

392. Magia ars est operandi mirabilia. Dicuntur autem mirabilia ab admiratione, quam excitant quia raro accidunt, et causam habent occultam, quæ plerosque latet. Est autem alia magia naturalis, alia diabolica; naturalis ea dicitur iuxta antiquiorum phraseologiam, qua mirabilia patrantur ex viribus naturæ peritiori investigatione cognitis et opportunis operationibus applicatis, cuiusmodi sunt phænomena fluidi electrici, aliaque eiusmodi non pauca physicæ et chemicæ artis ope patrata. [2]) Hanc autem licitam esse ac honestam nemo in-

---

[1]) Cf. S. Thomas II. 2. q. 96. art. 1. seqq. et commentatores, qui fuse hæc ipsa declarant, quæ nos vix attigimus ad finem nostrum.

[2]) Inter cetera, quæ magno numero his annis vulgata opera sunt hoc

Digitized by Google

ficiatur, neque nunc magiæ nomen hoc sensu usurpari solet. Diabolica seu superstitiosa, quæ proprie magia dicitur, ea est, quæ diaboli opera ad mira atque insolita patranda utitur. De hac potissimum in altera sectione agemus. Quod si hæc magia ad nocendum, seu ad damnum alteri inferendum adhibeatur, maleficium nominatur.

393. Qui eiusmodi magiam superstitiosam ac diabolicam exercent magi, incantatores, præstigiatores, malefici vulgo audiunt, et gravissimo se peccato commaculant. Hoc enim exinde constat, quod in magicis operationibus reperiantur quædam idololatriæ species, atque idololatrarum imitationes; per hæc enim idololatræ numina sua sæpissime consulebant atque colebant. Constat prætèrea ex eo, quod sin minus expressam, tacitam saltem aliquam continent dæmonis invocationem, cum eoque communicationem; tum denique ex eo, quod divinis humanisque legibus sub severis comminationibus sint interdicta.[1])

394. Et hæc quidem in seipsis spectata. Ceterum non semper in vitio ponendum est superstitionis, quoties aliquis ex quibusdam naturalibus signis futura ominetur, aut mira patret et occulta. Ut enim sunt innumera pæne naturæ vires occultæ, quibus exploratis mira quædam et insolita patrari possunt, ita est quædam latens causarum connexio, qua fit, ut ex quibusdam eventis præsentibus tamquam indiciis vel certo vel probabiliter colligi possint. Hinc nemo inficiatur, ex varia siderum positione et coniunctione plerasque cum quadam probabilitate prædici posse aëris cœlique mutationes, ita quosdam animalium motus vel garritus quorumdam esse naturalium eventuum indicia; prout ex hominum vultu ac lineamentis eorum temperamenta atque indolem potest quis haud infelici sagacitate coniicere. Quod si ea prædicentur, patrentur, vel credantur quæ nullam habent cum suis signis connexionem aut proportionem,

---

de argumento, consuli potest illud, cui titulus: La clef de la science ou les phénomènes de tous les jours expliqués par le Dr. E. C. Brewer revue et corrigée par M. l'ab. Moigno. Paris 1858. vol. un. in 8. Hunc præcesserunt Pinetti, qui librum edidit cui titulus: Segreti della magia, ossia spiegazioni de' giuochi di mano sorprendenti. Roma 1827.

[1]) Cf. quæ de his scripsimus in tract. de Deo creatore part. I. cap. V. prop. I. et II., ubi etiam veritatem seu realitatem magiæ, ceterarumque superstitionum vindicavimus.

Digitized by Google

merito tunc huiusmodi operationes et prædictiones superstitiosæ iudicantur, [1]) ac dæmonum operationi tribuuntur.

§. 6. De cultu falso et superfluo.

395. Superest ut aliquid demum attingamus circa illam superstitionis speciem, quæ sub cultus falsi ac superflui denominatione venit. Prænotandum porro est cum S. Thoma, superstitionem dividi in perniciosam ac superfluam. Perniciosam illam esse declarat, quæ falsa est, et mendacium continet, dicente Augustino: *Mendacium maxime perniciosum est, quod fit in his quæ ad christianam religionem pertinent.* [2]) Additque angelicus doctor, hoc mendacium posse contingere dupliciter, scilicet vel ex parte rei significatæ a qua discordat significatio cultus, vel ex parte colentis, quando ille est minister Ecclesiæ, et tamen in colendo non servat modum ab Ecclesia præscriptum. [3]) Superfluam vero superstitionem appellat illam, quæ offert Deo pro cultu id quod nec ad gloriam Dei spectat, nec mentem vel corpus hominis Deo subiicit, prout debet ac lege vel consuetudine impositum est. Tunc enim superflue talis actus in cultum Deo offertur, cum Deus illo non honoretur. Itaque ad superstitionem perniciosam spectat cultus falsus, ad superfluam vero superstitionem cultus superfluus.

396. Si quis proinde Deum coleret adhibendo veteris legis cæremonias Christi morte evacuatas, quod est exemplum a D. Thoma allatum, [4]) aut sciens ac prudens falsa miracula, vel vanas revelationes sibi vel aliis factas evulgaret, [5]) aut falsas

---

[1]) Cf. Dissertazione di Costantino Grimaldi, in cui s' investiga quali sieno le operazioni, che dipendono dalla magia diabolica, e quali quelle che derivano dalla magia artificiale e naturale, e quale cautela si ha da usare nella malagevolezza di discernerle. Roma 1751.

[2]) De mendac. cap. XIV.

[3]) II. 2. q. 93. art. 1.

[4]) Art. cit. scribens: *Hoc modo, tempore novæ legis, peractis iam Christi mysteriis, perniciosum est uti cæremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura, sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur, Christum esse passurum.*

[5]) Huc referuntur tot illæ sic nuncupatæ prophetiæ, quæ fere per dies singulos venditantur et in vulgus sparguntur ad futura eventa prænuncianda in magnis plerumque rerum conversionibus, quæque

Digitized by Google

reliquias venerationi exponeret, hic falsi cultus reum se exhiberet. Cum enim huiusmodi mendacia, quamvis pia et ad pietatem fovendam composita, non desinant esse mendacia, eaque in grave religionis dedecus et detrimentum facile vergant, inde patet a culpa gravi excusari non posse, quacumque pia intentione supposita.

397. Si quis vero ita certa precetur verborum formula, vel adhibito certo cereorum numero, ut non aliter se credat recte orare, vel ea quæ petit impetraturum; is certe superfluo cultu Deum honorare convinceretur, nisi ignorantia aut inscitia excusaretur. [1])

398. Eiusmodi vero cultum sive falsum sive superfluum constituere peccatum ex genere suo mortale, theologi docent. Hoc tamen inter utrumque cultum intercedit discrimen, quod gravius ex se sit peccatum quod admittitur in cultu falso, quam quod intervenit in cultu superfluo. Etenim quoad cultum falsum ita grave peccatum est, ut vix leve fieri possit ex materiæ levitate, quia fit Deo iniuria, et Christo vel Ecclesiæ, sicut qui apud regem se fingeret legatum alterius, vel aliquam legationem proponeret, quam alter non commisit, utrique faceret iniuriam, eamque gravem. Cum vero defectus versatur tantum in modo accidentali, licet in suo genere etiam sit culpa gravis, cum sit contra religionem, potest nihilominus esse venialis ex parte materiæ levis. Tale censeri potest peccatum illius, qui in Missa vel officio divino accidentales ritus non servat, vel pro sua devotione alios ritus adiungit, qui proinde nonnisi leviter peccaret, secluso contemptu, ac nisi grave aliquid Ecclesiæ præceptum violet. Quoad cultum vero superfluum seu vanum potest ordinaria ratione levis tantum in eo culpa inesse, nisi pariter interveniat contemptus, vel sit contra expressum Ecclesiæ præceptum in materia notabili, præsertim vero si sit ex intentione introducendi in Ecclesia talem ritum.

399. Plura alia circa eiusmodi superstitionem adiici possent, verum hæc magis necessaria nobis attulisse sufficiat ad institutum nostrum, quod profecto non est theologiæ moralis

---

ut plurimum illico falsæ deprehenduntur. Licet vero culpa vacent qui eas edunt, et qui diffundunt, utpote innoxie decepti, tamen in religionis detrimentum vergunt, quam impiorum irrisioni exponunt. Adeoque non ita facile illis aures præbendæ sunt.

[1]) Cf. ibid. S. Thom. art. 2.

Digitized by Google

commentarium conficere. Hæc proinde penes istius disciplinæ institutores reperiri facile possunt, quin diutius in his detineamur.[1]) Et iam gradum facimus ad expendendam novam recentemque superstitionem, quæ ætate hac nostra longe lateque dominatur.

Sectio secunda.

De recentiori mesmerismi, seu magnetismi animalis, somnambulismi ac spiritismi superstitione.

400. Mesmerismi seu magnetismi animalis theoria ac praxis, quæ sub tali denominatione invehi ac disseminari cœpit, nonnisi sæculo XVIII. in finem vergente originem habuit.[2]) Licet vero per se nihil novi præter nomen intulerit, uti mox videbimus, magnum tamen de se excitavit rumorem et commotionem. Eiusmodi theoria ab Antonio Mesmer, facultatis medicæ Vindobonensis membro, nomen habuit, a quo etiam mesmerismi animalis nuncupationem nacta est, atque promiscue exinde utroque vocabulo a suis cultoribus aut oppugnatoribus designatur, quod et nos præstabimus. Ex eo potissimum tempore ad diem hanc numquam amplius ab illius disquisitione cessatum est. Furor quidam alios incessit, qui Mesmerismum ceu novum portentum, quod plenam nec umquam excogitatam in processu scientifico sub quovis respectu evolutionem intulerit, aut allaturum sit, proclamaverunt; alii vero eum traduxerunt aut porro traducunt veluti artem circulatoriam nullius frugis, ac veritate destitutam. Utrimque aut per excessum aut per defectum peccatum est, ac etiam peccatur.

401. Magnetismus animalis in suo phænomenorum complexu ac varietate in tres potissimum phases distinguitur iuxta modificationes aut evolutiones quas passus est. Prima enim

---

[1]) Cf. Suarez lib. II. de superstitione cap. I. et II.

[2]) Mense nempe Januario an. 1773., prout ex inferius dicendis de ipso Mesmero, eiusque primis experimentis constabit.

Digitized by Google

phasis apparatum multiplicem complectitur, quó primum exerceri consuevit; altera protracta est ad artificialem somnambulismum; tertia demum ad mensarum circuitionem, locutionem, spirituumque evocationem: quas quidem recte triplicem unius eiusdemque rei manifestationem vocaveris per tres distinctos gradus. Ut autem ex dicendis patebit, vel a remotissima antiquitate exempla suppetunt, si nonnulla accidentalia excipias, eiusmodi phænomenorum in triplici per enumeratos gradus distinctione.

402. Mirum est, quot istis temporibus in lucem lucubrationes prodierint tum ab asseclis et patronis magnetismi animalis seu mesmerismi per gradus singulos, tum ab eiusdem impugnatoribus ac adversariis. [1])

403. Nostri haud est instituti hæc fusius persequi; studium nostrum coarctare debemus ad hoc, ut expendamus, quam arcte connectantur cum argumento, quod præ manibus habemus, nempe de vitiis, quæ virtuti religionis adversantur. Quare cum magnetismi animalis patroni contendant innocua plane esse phænomena, quæ illius ope peracta, aut porro peragi efferuntur, nec naturales vires excedere; contra vero illius impugnatores, sin minus omnia, pleraque saltem, eiusmodi esse affirment, ut honestatem religionemque plane evertant, nec nisi pravis spiritibus tribui possint: necesse omnino est, ut curis nostris diligenter conemur quæstionem hanc dirimere, quo theologiæ candidati certo sciant, quid hac de re censere ac tenere debeant, atque adeo rite populum fidelem instituere queant.

404. Ut autem lucido progrediamur ordine, hanc methodum consectari constituimus: Prius necessarias rei, qua de agitur, præmittemus notiones, quæ dicendorum intelligentiam præbeant; facta postea præcipua, quæ circumferuntur, historice proferemus, quorum realem existentiam primo propugnabimus, ne aërem verberare videamur, deinde eorumdem naturam perscrutabimur ac indolem in suis omnibus adiunctis spectatam;

---

[1]) Præter libellos et collectiones periodicas, magno numero hoc super argumento conscripta ad duo eoque plura millia recenseri possent; adeo ut, si simul volumina omnia, quæ sive a patronis sive ab oppugnatoribus magnetismi animalis in suo triplici gradu spectati prodierunt, coniungantur, conficeretur haud exigua bibliotheca: et hæc quidem constans ex americanis, anglicis, gallicis, germanicis italisque scriptoribus. In dies porro augetur ipsorum numerus.

Digitized by Google

inquiremus demum intimius, rimabimurque proximas ipsorum causas, appositisque propositionibus quid de eis sentiendum sit constabiliemus, practicasque postremo loco consecutiones opportunas deducemus.

405. Quæ quidem omnia scholastica methodo in capita singillatim et articulos sic distribuemus, ut deinceps sub unoquoque articulo, quæ eidem respondeant propositiones seu theses statuamus, quibus patefiat rei de qua agimus veritas. Ita fiet, ut tirones, in quorum gratiam hæc exaramus, ob oculos habeant ac unico veluti obtutu complectantur, quæ sparsim innumeris prope scriptis consignata sunt. Optimos quosque auctores, qui novissime hoc de argumento commentaria ediderunt, duces sequemur, ut tuto tortuosam hanc labyrinthum ingrediamur, permeemus, pedesque demum incolumes exinde revocemus. [1])

Ut igitur operi manus admoveamus, ab exponendis præviis notionibus mesmerismi seu magnetismi animalis exordiemur.

---

[1]) Præcipui auctores, quos uti duces atque antesignanos ex recentioribus secuti sumus, et quorum opera profecimus, sunt ex Gallis: De Mirville: Des esprits — Item: Questions sur les esprits — Des esprits et de leurs manifestations diverses — Manifestations historiques dans l' antiquité profane et sacrée. — Des Mousseaux: Moeurs et pratiques des démons et des esprits visiteurs. — Nec non: Les médiateurs et les moyens de la magie — La magie au dixneuvième siècle — Les hautes phénomènes de la magie précédés du spiritisme antique. Mutignon: La question sur le surnaturel — Les morts et les vivants. — Paillioux: Le magnétisme et le spiritisme et les possessions. — De Roys: La vérité du spiritisme. — Mampon: Le spiritisme.— Bizouard: Des rapports de l'homme avec le démon. — Ex Germanis: Goerres: La mystique. Ex Italis: La Civiltà Cattolica in variis articulis. — Caroli: Del magnetismo animale. — Monticelli: La causa dei fenomeni mesmerici, præter alios, quos in appositis locis commemorabimus. Quoad antiquiores cum opportunitas sese offeret eos allegabimus.

Digitized by Google

Caput I.

De mesmerismo seu de magnetismo animali notiones præviæ.

406. Præviis hisce notionibus eiusdem magnetismi animalis complectimur definitiones, conditiones, processusque varios. Ex ordine de singulis propterea nobis disserendum est.[1])

Articulus I.

De magnetismi animalis definitionibus.

407. Illud pro rato haberi debet, adhuc omnia penes ipsos magnetologos incerta esse, quæ spectant ad magnetismi de quo est sermo naturam. Etenim rei cuiusvis natura ab eius accurata definitione cognosci unice potest. Jam vero tam varia, tam inconstans, tamque obscura traditur eiusmodi, quam vocant novam scientiam, definitio ab eius asseclis et patronis, ut unaquæque ab altera, etiam in substantialibus discrepet, luculenterque appareat, nec ipsos illam callere.

408. Etenim iuxta Deleuze *est facultas, qua homo pollet exercendi super sui similes salutarem influxum dirigendo per suam voluntatem principium quod nos animat et vivificat.*[2]) Juxta Delausanne: *est actio intelligentiæ super vires vitæ conservatrices.*[3]) Contra vero Ricard, alter magnetismi assecla, contendit, magnetismum *esse manifestationem facultatis volitivæ, quam possident omnia entia.*[4]) Et Du-Potet: *vulgo magnetismi anima-*

---

[1]) Cum res qua de agimus nova sit, vel nova saltem ratione se manifestet, novis indiciis seu nominibus est utique monstranda atque appellanda. Quare monitos lectores volumus, nos multas hoc in opere novas voces nobis permisisse, quas quidem vix latinas cognoscimus, sed necessitate quadam coacti eas induximus cum brevitatis, tum maioris perspicuitatis gratia.

[2]) Instruction pratique sur le magnétisme animal. Paris 1853. pag. 8. Hic vero unus est ex præcipuis magnetismi patronis et historicis.

[3]) *Le magnétisme animal est l'action de l'intelligence sur les forces conservatrices de la vie.* Apud Charpignon: Physiologie, médicine et métaphysique du magnétisme. Bruxelles 1851. p. 45.

[4]) Almanach populaire: Paris 1846. p. 45. *Est la manifestation de la faculté volitive, que possèdent tous les êtres.*

Digitized by Google

lis nomen tribuitur occultæ efficaciæ, quam corpora organica invicem in se ipsa exercent in distans.[1]) Albinus vero Gauthier affirmat, *magnetismum consistere in actione, quam homo exercet non modo supra sui similem, verum etiam supra animantia bruta, vegetalia atque materiam.*[2]) Chardel magnetismum constituit in transmissione vitæ magnetizantis in magnetizatam: quæ vita non est nisi modificatio lucis, quam vitam spiritualisticam vocat.[3])

409. His definitionibus omnibus non contentus Charpignon suam illis substituit, scribens: *Sub humani magnetismi denominatione ego comprehendo influxum quemcumque, qui habeat in homine suum actionis centrum.*[4]) Huic contradicit Petit d'Ormoy, qui definit magnetismum animalem *actionem illam directam et sympathicam, quam entia super se invicem exercent sine interventu functionum relationis.*[5]) Et ita porro alii alias definitiones exhibent, quæ inter se non cohærent.

410. Hoc vero vitio laborant omnes hactenus exhibitæ magnetismi definitiones, quod peccent contra logicæ præceptum de genere proximo et differentia ultima, ac proinde nulla ratione naturam seu essentiam exprimunt rei quam adstruunt propugnantque eius cultores. Quocirca vere dixeris eos non plene callere scientiam, quam vocant magnetismi. Omnia adhuc, ut innuimus, pæne incerta sunt, quæ ad eam spectant. In eo tamen plerique omnes conveniunt, ut constituant quoddam flui-

---

[1]) Manuel del' étudiant magnétiseur. Bruxelles 1850. p. 13. *Communément on donne le nom de magnétisme animal à l'influence occulte, que les corps organisés exercent à distance l'un sur l'autre.*

[2]) Introd. au magnétisme. Paris 1840. p. 7. *On entend par magnétisme l'action qu'un homme peut exercer non seulement sur son semblable, mais encore sur lui-même, sur les animaux, les végétaux et la matière.*

[3]) Essai de psychologie physiologique. Paris 1851. p. 205. *Le fluide magnétique vital est chez l'homme cette dernière modification de la lumière, que j'ai nommée la vie spiritualiste .... En magnétisant, la volonté la projette en dehors etc.*

[4]) Op. cit. p. 45. *Nous tenons à comprendre sous la dénomination de magnétisme humain toute influence qui a son centre d'action dans l'homme.*

[5]) Journal du magnétisme. Tom. XXI. p. 394. *Action directe et sympathique des êtres les uns sur les autres, sans intervention des fonctions de rélation.*

Digitized by Google

dum vitale seu magneticum, quod ad voluntatis nutum alteri communicatur sive præsenti sive absenti ad miros effectus producendos.

411. Verum et circa hoc ipsum fluidum, cuius mirificos extollunt effectus, mira viget inter eius propugnatores discrepantia. Alii enim contendunt esse electricum, alii æthereum, alii odycum, et ita porro. Attamen haud pauci an reipsa existat necne eiusmodi fluidum animale, prout a generali illo unico quod recentiores physici admittunt, distinguitur, omnino inficiantur. Ast de hoc suo loco. Interim redit, quod adstruximus, in magna adhuc obscuritate versari, quæ ad magnetismum animalem spectant.

Articulus II.

De conditionibus agendique methodis ad phænomena magnetica requisitis.

412. Quo maiora subsidia pluresque ab initio, seu in huius inventi infantia, conditiones ad effectus magnetismi animalis obtinendos requirebantur, eo simpliciora subsidia, ac pauciores conditiones in progressu requisita sunt; ita ut universus ille mediorum apparatus pæne evanuerit, et quæ prius requirebantur conditiones propemodum eliminatæ sint.

413. Quæ ut in aperto ponantur, et omnium captui accommodata sint, inprimis distinguamus necesse est inter agentem seu magnetizantem, et patientem seu magnetizatum, sicque enumeremus quæ ex parte alterutrius requirebantur ad felicem operationis magneticæ exitum obtinendum. Atque ut incipiamus a conditionibus quæ diversimode a diversis auctoribus exigebantur, earum summa ex parte patientis iuxta aliquos hæc est: sexus, ætas, constitutio, seu temperamentum, status physiologicus, qualitates morales, phrenologicæ, circumstantiæ loci, testium etc.: ita quidem Teste.[1]) Alii vero has ipsas conditiones aut augent aut minuunt. Tommasius enim ad duodecim revocat, supradictis adiiciens statum morbosum, abusum alicuius functionis physio-

[1]) In op. Manuel pratique du magnétisme animal. Bruxelles 1850. pag. 53 seq. Has conditiones exponit ac evolvit P. Caroli in op. cit., qui peculiari diligentia ac scite hoc de argumento pertractavit.

Digitized by Google

logicæ, quemdam sympathiæ gradum erga agentem, tranquillitatem spiritus, fidem in utilitatem magnetismi.[1]) Contra vero alii recensitas omnes conditiones utpote inutiles penitus reiiciunt. Et sane experientia constat quemvis sexum, ætatem, statum, locum etc. idoneos esse ad effectus mesmericos ciendos. Idem dic de conditionibus in agente seu magnetizante requisitis, quæ ab initio magno numero exigebantur;[2]) nunc vero vix ad duas coarctarunt, ad excellentiam nempe quamdam, atque ad sympathiam fluidi magnetizantis in illud magnetizati.[3]) Alii demum contenti sunt energica tantum voluntate, persuasioneque firma ac benevola in actu seu exercitio ipsius magnetismi, et ita porro: ita ut hæc omnia varia plane ac incerta prorsus sint, siquidem alii in alias sententias abierunt, quæ nulla inter se ratione conveniunt. Supervacaneum porro censeo singulorum placita referre.[4])

414. His de conditionibus ad magnetismi operationem spectantibus vix delibatis, superest ut nonnulla subiiciamus, quæ magnetologi circa magneticos quos vocant apparatus atque processus, seu circa agendi rationem ac methodum magnetici effectus requirunt.

415. Huiusmodi apparatus seu processus nomine veniunt media idonea ad fluidum magneticum, quod unicuique inest, communicandum. Hæc autem media olim, perinde ac conditiones multiplicia erant: in præsentiarum autem ad paucissima redacta sunt. Siquidem Mesmer ad effectus magneticos producendos labro, seu dolio utebatur una cum catenula seu filo:[5])

---

[1]) Saggio scientifico della fisica magnetizzazione per M. Tommasi. Torino 1851. pag. 70 seq.

[2]) Uti Tommasi, qui in op. cit. exigebat sanitatem perfectam, victum substantialem, aërem purum, lucem moderatam etc. etc.

[3]) Inter ceteros Saillard, qui in Journal du magnétisme, tom. XIV. pag. 282 scribebat: *La première condition requise pour agir par le fluide sur une organisation étrangère, est que notre fluide soit supérieur en force, en énergie à celui qui régit cette organisation. La seconde non moins essentielle ... consiste en une certaine sympathie entre le fluide du magnétiseur et du magnétisé.*

[4]) Recoli hæc possunt apud Caroli, op. cit. tom. I. part. I. cap. III.

[5]) Apud Deleuze, Hist. critique du magnétisme animal. Paris 1813. I. part. ch. IV. Des procédés employés dans le magnétisme. pag. 112 seq., ubi alia etiam media recensentur a Mesmer adhibita ad fluidum excitandum et communicandum.

Digitized by Google

Alio instrumento seu organo utebatur Puységur, prout et alii aliis instrumentis utebantur, donec omnis apparatus e medio sublatus est.[1])

416. Itaque temporis progressu declaratum est a magnetologis, media omnia æque idonea esse pro arbitrio magnetizantis effectibus mesmericis obtinendis, ac indefinite varia reipsa suffecta fuerunt. Siquidem interdum per attactum, aut per levem ambarum manuum, vel unius etiam tantummodo transitum ab agente in patientem, et illam quidam ductam a capite ad pedes; interdum etiam sine physico contactu per solam quamdam adumbrationem; quin etiam per solum fixum operantis intuitum; quandoque etiamsi absentes ad centum eoque amplius leucas sint magnetizandi, iique sive sani sive infirmi, effectus obtineri magneticos contendunt,[2]) et quidem solius voluntatis nutu; si præsertim magnetizandi assueti fuerint magneticis influxibus, prout adnotat Loubert, satis his est dicere: Dormi, aut volo ut dormias, idque absque ullo signorum usu, seu sine gestibus ac sine verbis.[3]) Huc pariter accedit illa magnitizatio, quæ per inopinationem nuncupatur, cum nempe ex improviso aliquis in magnetismum inducitur;[4]) aut etiam quæ suggestionis dicitur, dum non imperando, sed veluti suggerendo optata phænomena producuntur quæ in subiecto produci intenduntur.[5]) Hæc omnia phænomena, ut patet, absque ullo prorsus apparatu obtinentur. Et hæc erant præcipue enumeranda quoad processus et apparatus; nimis porro longum esset velle omnia per singula recensere. Siquidem hactenus dicta sufficiunt ad quamdam no-

---

[1]) Ibid.

[2]) Ibid., nec non Puységur: Mémoire pour servir à l'histoire et à l'établissement du magnétisme animal. Paris 1830. Item Recherches, expériences et observations sur l' homme dans l'état de somnambulisme naturel et dans le somnambulisme provoqué par l'acte magnétique. Paris 1811. Et rursum in op. Le magnétisme considéré dans ses rapports avec la physique générale. Paris 1807.

[3]) In op. Le magnétisme et le somnambulisme devant les corps savants, la cour de Rome et les théologiens. Paris 1844. pag. 172—74. Hic fortasse primus est ecclesiasticorum, qui vindicias sumpserit magnetismi animalis, quem deinde secutus est Ab. Cauport philosophiæ professor in seminario Versail. in op. La théorie des rélations considérés comme base de la science et du progrès actuel. Paris 1852.

[4]) De qua Charpignon in Journal du magnét. tom. XIV. p. 293.

[5]) Cf. ibid. et Hebert. Petit catéchisme magnétique.

Digitized by Google

tionem exhibendam circa methodos varias plus minusve implicatas ac postea plane obliteratas ad huiusmodi effectus producendos magneticos.[1])

417. Quod vero dictum est de magnetismo excitando pariter valet ad ipsum dissolvendum quoad eos, qui in statu magnetico, vel in somnambulismo, de quo mox speciatim agemus, reperiuntur. Siquidem variæ pariter methodi obtinuerunt, et adhuc obtinent ad eiusmodi dissolutionem aut ad excitationem a somnambulismi statu operandam, ac eadem progressione a magis complicatis ad simpliciores methodos deventum est. Itaque prius ad dissolvendum magnetismum, vel ad excitandum somnambulum opus erat ut magnetizans se recolligeret, admoneretque magnetizatum aut somnambulum de proxima excitatione, deinde vero ordine inverso ab eo quo antea aliquis magnetizatus est procedatur, nempe voluntatis actu opposito illi quo magnetismus aut somnus inductus est; passus, quos vocant, debent adhiberi horizontales, non vero verticales, manus admovendæ magnetizantis ad partem dorsalem magnetizati aut somnambuli, ac repente retrahendæ.[2]) Nunc vero idem exitus obtinetur vel solius voluntatis nutu, aut imperantis actu, aut uno verbo: evigilare, aut etiam solo intuitu, immo et sola cogitatione licet in distans.[3]) Eadem scilicet ratione qua methodi omnes utiles enunciantur ad effectum producendum, ita inserviunt ad eumdem dissolvendum.[4]) Ac de eiusmodi processibus hæc perstrinxisse sufficiat, cum non vacet diutius in iis immorari, cum pendeant ab arbitrio uniuscuiusque magnetizatoris, ac in perpetuo transitu reperiantur.

---

[1]) Qui plura cupit, poterit ea apud Caroli op. cit. cap. III. part. I. recolere.

[2]) Ita Teste, Dupotet, Guidi, aliique passim in opp. citt.

[3]) Ita Guidi in Trattato etc. pag. 111—114., nec non Tommasi op. cit. pag. 131.

[4]) In Journal du magnétisme tom. XIV. pag. 399. legitur: *Chaque magnétisateur a d'ailleurs son système de procéder. Tous sont bons: car tous réussissent* etc.

Digitized by Google

Articulus III.

De phænomenis mesmerismi seu magnetismi animalis presse sumpti, ac prout a somnambulismo distinguitur.

418. Via satis longa nobis excurrenda sese offert in recensendis magnetismi animalis effectibus, prout a magnetologis prædicantur. Ne ipsorum multitudo ac varietas nos obruat, phænomena magnetica opus est in diversas classes partiri, respectu habito progressus, qui temporis lapsu obtinuit. Nos nonnisi historice eiusmodi phænomena prout a magnetismi cultoribus efferri consueverunt, referemus, de ipsorum deinceps epicrisi tractaturi.

Ac primo quidem, quamvis in præsentiarum magnetismi animalis ac somnambulismi promiscue nomina usurpentur, perinde ac si de una eademque re ageretur, attamen apprime inter se distinguuntur. Et sane, cum Mesmer novam suam vulgare theoriam cœpit, de somnambulismo nullam prorsus mentionem iniecit, immovero illum, iuxta nonnullos penitus ignoravit. Permisceri proinde duo hæc inter se nequeunt, multo vero minus illorum respectivi effectus seu phænomena.[1])

419. Itaque primum prodiit magnetismus animalis, ita a Mesmero nuncupatus, ut quædam ratio medica ac therapeutica, ad sanationem morborum videlicet excogitatus mediante fluidi cuiusdam homini insiti communicatione, qui excitatur in infirmo per aliquod ex recensitis mediis, ex. gr. manuum gesticulationibus, ductu, tactu etc. Eiusmodi operatione excitantur convulsiones, mirique effectus in patiente producuntur physiologici magno numero, quos longum esset recensere; eo vel magis, quod diversa infirmorum conditione varii sint et discriminentur.[2]) His accedit status quidam paralysis et catalepsis, qua fit ut membra obdurescant, ac veluti stupida ac rigida evadant, ita ut

---

[1]) Deleuze op. cit. ch. III. constituit: *On distingue trois écoles rélativement à la doctrine du magnétisme: celle de M. Mesmer, celle de Puységur, et celle des spiritualistes.* Quas deinde singillatim exponit, ostenditque characteristicam singulorum distinctionem. Puységur omnium primus, ut ibidem refertur, casu, cum curam ageret cuiusdam infirmæ, somnambulismum detegit, quem postea ceteri prosecuti sunt, ipseque postea Mesmer adscivit.

[2]) Loubert op. cit. Le magnétisme etc. nec non Lafontaine, l'art de magnétiser. Bruxelles 1851. ex professo inter ceteros de his disserunt.

Digitized by Google

nihil sentiatur sive rumoris etiam ingentis, sive doloris ex acuum alteriusve instrumenti punctione.[1]) Efficitur patiens immobilis ad voluntatem agentis, præter gravem veternum, qui comitatur recensitos effectus, et immediate præcedit somnum magneticum, de quo mox dicemus. Interim hæc prima sunt phænomena magnetismi animalis.[2])

420. Altera phænomenorum classis constituitur ex illo, ut vocant, sommo magnetico — physiologico — naturali, qui alius prorsus est ac somnus naturalis, aut etiam somnambulismus, uti ostendunt characteres quibus invicem distinguuntur. Præcipui autem hi characteres sunt, quod 1° somnus magneticus simplex producatur, ut contendunt magnetologi, ex fluido animali simili fluido magnetico physico, quod infunditur ex actore in patientis systema nerveum, quod eo exsaturatur; secus ac accidat in somno naturali; 2° quod somnus magneticus artificiose iuxta indicatos processus ad voluntatem alterius, nec sine eius ope excitetur: quæ profecto ad promovendum somnum naturalem haud requiruntur; 3° quod per somnum magneticum obtineatur perfecta catalepsis, ut diximus, seu sensuum usus desitutio (insensibilitatem vocant), quæ non habetur in somno naturali et communi. Quoad characteres quibus somnambulismus distinguitur a somno mesmerico, eos mox recensebimus.

421. Tertia classis phænomenorum physiologicorum magnetismi constituitur ex sanationibus medicis, seu ex therapeutica quæ obtineatur ex magnetismo. Reipsa Mesmer, ut innuimus, magnetismum induxit ut novum medicæ artis systema, et sic in se innumerorum prope admirationem, plausus, immo et approbationem et gratulantium pæne dicam furorem attraxit, dum aliorum concitavit contemptum aversionemque, nec parvam sibi paravit invidiam. Itaque ex illa ætate innumeri fere perhibentur morbi magnetismi animalis ratione et ope depulsi, ac longe lateque felici successu nova therapeutica diffusa est. Gravissimi undique testes fidem fecerunt de recuperata hac methodo valetudine, atque ingenti numero opera in lucem hoc de argumento edita sunt ad eius efficaciam adstruendam. Cum nostrum haud sit magnetismi historiam texere, ad singulos auctores remittimus eos qui his delectantur, ut inde pleniores sibi comparent haustus.[3])

---

[1]) Lafontaine op. cit. pag. 50 seq.
[2]) Ibid. loc. cit.
[3]) Præter auctores citatos consuli possunt Tommasi, Ségouin, Guidi,

Digitized by Google

422. Ad hæc accedit ea operatio magnetica, quæ mediata nuncupatur, eo quod per intermedium obtineatur. Id autem contingit, cum fluidum, quod vocant magneticum, transmittitur in obiectum quodcumque inanimatum, fac arborem, lignum, metallum, aquam potissimum, annulum, strophium aliaque eiusmodi, quæ virtutem acquirunt magnetizandi effectusque plane singulares exinde obtinendi. [1]) Ex virtute magnetica plantis communicata magnetologi referunt has interdum intermortuas reviviscere, fructus ad maturitatem perduci, insuper aut festinari aut retardari vegetationem. [2]) A fortiori fluidum magneticum iidem autumant in bruta animalia virtutem exercere ad morbos ab eis depellendos, ad ea mansuefacienda, aliaque eiusmodi mira haud pauca patranda. [3])

423. Atque hæc sive immediata sive mediata mesmerismi phænomena nobis recensuisse sufficiat; sunt enim ista præcipua, nec vacat alia persequi minoris momenti, quæque in dubium revocantur ab ipsis magnetologis.

Dupotet in propriis horum operibus apud Caroli op. cit. part. I. cap. IV. Interim observo, quod, si heic sisterent magnetologi, dempta exaggeratione et circulatoria in nonnullis arte, nulla fortasse reperiretur in iis explicandis difficultas. Verum hæc phænomena non sunt nisi principia aliorum phænomenorum inusitatiorum, quæ, ut in capite insequenti videbimus, sub somnambulismi nomine veniunt.

[1]) De his passim egerunt Deleuze, op. et loc. cit., Guidi in suo periodico: La Luce magnetica, Charpignon, Physiologie.... du magnétisme, aliique magno numero.

[2]) Ibid., ac præterea Teste op. cit., nec non Ségouin, Lafontaine, Picard, qui referunt plura facta seu experimenta eorum quæ diximus.

[3]) Cf. apud Caroli op. cit. cap. III. Nec mirum omnes eiusmodi effectus tribui magnetismo animali in systemate Mesmeri. Est enim iuxta hunc systematis parentem magnetismus *un fluide universellement répandu; qu'il y a influence mutuelle entre les corps célestes, la terre et les corps animés. Ce fluide ne laisse aucun vide, il est d'une subtilité incomparable, son action s'étend au loin sans le concours d'aucun corps. Par le magnétisme on connait l'état de santé d'une personne, on juge avec certitude l'origine, la nature et les progrès des maladies les plus compliquées: ce qui vaut encore mieux, on les guérit. C'est notamment sur les nerfs que ce fluide porte son action.* Mesmer Mém. sur la découverte du magnét. anim., ubi per 344 paragraphos suam evolvit theoriam.

Digitized by Google

Caput II.

De somnambulismo eiusque notionibus præviis.

424. Licet, uti animadvertimus, mesmerismus seu magnetismus simplex, physiologicus ac naturalis discriminetur a somnambulismo, cito tamen hic illum subsecutus est, ceu illius progressus et ulterior gradus. De hoc agentes prius de eo eiusque phænomenis generatim disseremus, deinde vero de eiusdem phænomenis in specie dicturi, idque duobus distinctis articulis.

Articulus I.

De somnambulismo eiusque phænomenis generatim.

425. Somnambulismus multiplex distinguitur: siquidem alius est naturalis, alius magneticus, alius item spontaneus, alius vero artificialis seu provocatus. Nos de solo somnambulismo magnetico et artificiali sermonem instituimus. Somnambulismi denominatio in acceptis referenda est marchioni de Puységur, qui aut primus eum detexit, aut saltem manifestavit; [1]) nec est nisi continuatio aut evolutio magnetismi animalis.

426. Ut igitur aliquid inprimis attingamus de somnambulismi natura, ipse spectatur veluti status medius inter vigiliam et somnum quique de utroque participat, producitque phænomena quæ ad neutrum spectant. Subiectum in statu somnambulismi constitutum nihil intelligit de iis, quæ circa ipsum fiunt, separatum videtur ab universa natura, immobile inter ingentes motus persistens, neque communicationem servat nisi cum suo

---

[1]) Uti constat ex superius dictis, de quo scribit Deleuze op. cit. ch. I. pag. 17.: *Il parait que ce fut M. de Puységur qui aperçut le premier ce phénomène. Ayant par hasard adressé la parole à un malade, qu'il avait endormi, ce malade l'avertit de son état et de la possiblité de produire un état semblable chez d'autres malades. Dès-lors le somnambulisme fut observé par tous les magnétiseurs, et l'étonnement qui excita ce phénomène redoubla leur zèle et leur activité.* Attamen Bertrand in op. Du magnétisme animal en France pag. 212. cum nonnullis aliis tribuit ipsi Mesmero somnambulismi inventum. Idque certum videtur, uti ex dicendis patebit.

Digitized by Google

magnetizatore. Hic, vi magnetizationis suæ acquirit relationem intimam cum subiecto magnetizato, qui mediante quadam vectis specie ipsum movet pro arbitrio, talisque vis est imperii sui, ut non solum per locutionem et per signa, verum etiam sola voluntate iussa sua eidem patefaciat; aliosque miros effectus producit circa sensus auditus, visus et tactus præter quandam extraordinariam subtilitatem ac extensionem facultatis intellectualis, quæ vincit communem seu ordinariam spiritus humani intelligentiam.

427. Varium porro est magnetologorum iudicium circa somnambulismum. Etenim iuxta alios consistit in quadam animi excitatione; iuxta alios in sexto quodam sensu; alii autumant illum non esse nisi extensionem facultatum psychologicarum, dum alii contendunt reponendum esse in exaltatione nervea; nec desunt qui velint esse spiritum qui somnambulum animet, aut angelum, qui eum ducat, aut dæmonem qui eum possideat, ac loqui, agere, et conspicere faciat. [1])

428. Sed, ut ex hac generalitate ad recensitas somnambulismi species atque ad rationem qua ab invicem discriminantur accedamus, somnambulismus naturalis[2]) tunc haberi censetur, cum aliqua peculiari idea aut potius phantasmate affectiones ceteræ omnes aut sensus velut absorpti sint ac emortui videantur, atque illud solum obiectum quis persequatur. [3]) Qui tali somnambulismo affectus est, nihil percipit aut sentit ex aliis obiectis quæ illum circumstant, nec aliquid advertit, néque evigilat nisi in aliquod obiectum exterius impingat quo excutiatur.[4]) Contra vero somnambulismus mesmericus seu magneticus amplificat facultatum naturalium usum, et ad perfectionem longe ampliorem adducit præ eo quem quis in vigilia habeat. Qui in somnambulismo magnetico reperitur pendet ab alterius voluntate, quavis ratione hæc ei manifestata sit: præsertim vero se movet, agit, et obtemperat ad nutum magnetizantis quocum commercium habet.[5])

---

[1]) Hactenus Lafontaine in op. l'art de magnétiser. Paris 1847. ch. V. pag. 42 seq.

[2]) Heic naturalis vox usurpatur respectu somnambulismi, seu primi eiusdem gradus.

[3]) Cf. Caroli op. cit. cap. V., ubi singillatim omnes eiusmodi effectus describuntur cum suis respective testibus.

[4]) Ita Lafontaine op. cit. pag. 70 seq.

[4]) Cf. Bertrand Traité du somnambulisme et de differentes modifications, qu'il présente. Paris 1825.

Digitized by Google

429. Obtinetur porro posterior hic somnambulismi status ab actione, quam influxus magneticus exercet tum in animam, tum in corpus patientis: quo fit ut magnetizator dominetur in suum magnetizatum, eumque compellat ad respondendum inquisitionibus quas proponit circa ea quæ aut videt aut sentit tum respectu sui, tum respectu alterius sive præsentis sive absentis. [1]) Hic somnambulismus artificialis dicitur utpote a magnetizatore per aliquam ex recensitis rationibus excitatus. Interdum vero ex habitu contracto oritur somnambulismus spontaneus, seu auto-magnetismus, quia excitatur ad arbitrium uniuscuiusque. [2]) Mira prorsus sunt quæ de hoc statu, quem etiam lucidum nuncupant, referunt aut de se aut de aliis, qui eum experiuntur, quæ heic persequi non vacat. [3]) Magnetismus mesmericus constituit magnetismum completum, cuius somnus magneticus simplex non est nisi primus gressus, et initiatio quædam, aut medium ad assequendum completum illum magnetismum. [4])

Articulus II.

De somnambulismi psychologici phænomenis in specie.

430. Ideo psychologicus somnambulismus nuncupatur, quod ad discrimen somnambulismi simplicis suam exercet actionem directe in animam, dum somnambulismus simplex directe magis in corpus operatur. Quandoquidem vero duas potissimum animæ facultates distinguimus, sensitivam et intellectualem, hinc fit ut in duas classes magnetologi phænomena psychologica magnetica partiantur, scilicet alia inferiorem seu sensilem facultatem, alia autem superiorem seu intellectivam præcipue respiciunt. De utraque classe singillatim brevissime quam fieri poterit disseramus oportet.

431. Varii distinguuntur magnetismi psychologici sensilis gradus a cultoribus suis, et in unoquoque gradu phænomena vere mirifica et vix credibilia enarrantur.

---

[1]) Cf. Lafontaine op. cit. pag. 72 seq.

[2]) Journal du magnét. tom. XIV. pag. 47—649., ac tom. XV. pag. 553.

[3]) Cf. Caroli op. cit. cap. V. circa finem.

[4]) Ibid. pag. 93.

Digitized by Google

432. Ac I° veniunt effectus passivi in animalitate, quorum nulla ratio sufficiens in eius legibus ordinariis et consuetis inveniri potest. Tales sunt, qui producuntur ad nutum magnetizatoris in subiecto, adeo ut qui in eiusmodi somnambulismo reperitur, plura videat obiecta, et sensationes experiatur eorum, quæ absentia sunt, aut ne realem quidem existentiam habent, sed solum in mente, seu voluntate magnetizatoris conspiciuntur, [1]) ita ut exempli causa oblectetur avicula, floribus, depicta tabula, aliisque eiusmodi obiectis imaginariis, contra vero non videat obiecta coram oculis realiter existentia; [2]) atque vicissim cernat obiecta aliis impervia, ex. gr. fluidum magneticum aut electricum; nec non legat et concipiat aliquid, quamvis corpora opaca sint intermedia; [3]) aut videat et legat oculis perfecte clausis, sic etiam aleis ludat cum aliis, et introspiciat epistolas sigillo obsignatas atque in aliena pera delitescentes. [4]) Quæ omnia sub denominatione claræ intuitionis comprehenduntur.

433. Nec satis. His addunt phænomena intuitionis in distans, qua somnambuli vident obiecta in magna distantia posita, seu extra ordinariæ humanæ visionis fines constituta, fac in aliena domo ac regione longe dissita, perinde ac si præsentia essent. [5]) Item translationis mentalis ex uno in alium locum, et ita ut exacte referre possint quæ alicubi fiunt cum adiunctis suis omnibus prout contingunt. [6]) Idem dic de ea quam vocant attractione magnetica, qua agens ad arbitrium suum ad se patientem etiam vigilantem trahit vel invitum, [7]) atque in aëra sublevat. [8]) Ac demum commutationis

---

[1]) Ita Charpignon op. cit. et Guidi in Luce magnetica del 6. Dicembre 1856.

[2]) Caroli op. cit. pag. 98 seq. [3]) Ibidem.

[4]) Ibid. pag. 104. Præstat præterea consulere hoc de argumento J. Bizouard in op. cit. Des rapports de l'homme avec le démon. Paris 1864. tom. V. liv. XXIV. ch. I. et II.

[5]) Non pauca exempla huius phænomeni collecta habentur a Deleuze Instruction sur le magnétisme, pag. 379—80. in Journal du magnétisme tom. XV. pag. 315 et tom. XVI. pag 80 seq.

[6]) Cuius phænomeni præclarissima exempla exhibet Lafontaine op. cit. pag. 86 seq. cum suis omnibus minutissimis circumstantiis, quæ ad amussim vera fuisse compertum est.

[7]) Ibid. pag. 75—78.

[8]) Prout contigit Bourghignonio, qui totum hoc eventum ipsemet describit sub die 30. Sept. 1840. apud Charpignon op. cit. pag. 74. et Guidi in Luce magnetica.

Digitized by Google

sensuum phænomena accedunt, qua sensus visus ex. gr. transfertur ad occiput, aut ad epigastrium, sensus auditus ad pedes, et ita porro. Hæc vero omnia propriis exemplis adductis comprobare, ac fide dignis testibus adstruere adnituntur. [1])

434. Neque hic adhuc sistunt magnetologi, sed ulterius progredientes exponunt II° phænomena psychologica alterius clássis, quæ nempe spectant ad facultatem superiorem animæ, seu intellectivam. Atque hæc ipsa in plures gradus distribuunt. Nos vero paucis ad scopum nostrum, quæ fusius illi lateque describunt, contrahimus.

435. Recensent igitur 1° claram intuitionem primi ordinis, quæ consistit in penetratione alterius cogitationis, ope cuius somnambuli vident aliorum cogitationes absque ullo exteriori signo, exequuntur iussa mentalia, conversationem quandoque mentalem instituunt; [2]) 2° amplificationem seu extensionem facultatis intellectivæ, rationis et memoriæ, una cum peritia sublimiorum veritatum metaphysicarum etiam in hominibus rudibus plane ac ignaris; [3]) 3° visionem medicam complectentem actiones pathologicas, therapeuticas, rationemque remediorum quæ idonea sint ad valetudinem restituendam; [4]) 4° communicationem sensationum, morborumque inter somnambulum et magnetizantem aut alium quemcumque quorum somnabulus communicet mediante aliquo obiecto ad eum spectante, fac capillos, strophium etc., etiamsi iste in dissito loco versetur centum aut biscentum leucarum, novitque

---

[1]) Ita passim in Journal du magnét. tom. XV. pag. 482—487; Loubert op. cit.; Scholl in ephemeride germanica ab ipso evulgata; Lafontaine op. cit. pag. 156. aliique plures.

[2]) De his novissimis phænomenis plenæ sunt elucubrationes Bullangerii in op. Le magnétisme; Husson, Loubert, etc., qui ea mirifice extollunt.

[3]) Prout testantur Alex. Bertrand in suo Manuel pratique p. 68. Lafontaine L'art de magnétiser pag. 194 seq. aliique magno numero.

[4]) Uti referunt Lafont-Gouzi, Traité du magnétisme animal, considéré sous le rapport de l'hygiène, de la médecine légale, et de la thérapeutique. Paris 1839. Despine, De l' emploi du magnétisme animal. Paris 1840. Dupotet, Le magnétisme opposé à la médecine. Paris 1840, ut omittam Charpignon, Baragon aliosque non paucos.

Digitized by Google

statum physicum ac moralem infirmi de quo agitur;[1]) 5° prævisionem futurorum liberorum contingentium tum quoad se tum quoad alios cum prædictione eorumdem eventuum; nec non 6° facultatem idiomata prius penitus ignorata callendi.[2])

436. Culmen et coronidem hisce omnibus phænomenis mesmericis psychologicis imponunt phænomena extasis magneticæ, quæ est progressus ulterior atque evolutio perfectioque status somnambulismi, et cuius characteres exhibent magnetologi.[3])

437. Jam vero et huius extasis magneticæ multiplices species et gradus distinguunt, quorum præcipui sunt: 1° Extasis spontanea, seu quam somnambulus absque alterius cooperatione sibi comparat, et quidem adeo admirabilis, ut aliquis pervenerit, aiunt ipsi, usque ad Saturnum.[4]) 2° Extasis harmonica, qua concentus extraordinarii prorsus audiuntur.[5]) 3° Extaticæ apparitiones, tum scilicet Angelorum, B. Virginis, infantisque Jesu, tum animarum, defunctorum, aliorumque.[6])

438. Et hæc de phænomenis magneticis et somnambulicis sive physiologicis, sive psychologicis nobis vix attigisse sufficiat, ut notionem præberemus qualemcumque portentosi huius inventi.[7]) Ceterum quid nobis de iis censendum sit quoad veri-

---

[1]) Plura suppetunt huius phænomeni exempla apud Caroli op. cit., qui magna sollertia ea colligit pag. 160 seq.

[2]) Ita Bullanger op. cit. pag. 94 seq., ubi facta præclara etiam a se visa refert.

[3]) De quo statu magnetico plura scribunt Charpignon op. cit. pag. 93 seq., de Malherbe, qui exhibet characteres extasis magneticæ in Journal du magnétisme. tom. XIV. pag. 366 seq.

[4]) Prout refert Garcin op. cit. pag. 120—30. cuiusdam somnambulæ extaticæ, quæ itineris seu elevationis exitum narrans, locuta est de habitatoribus quos ibi reperit!!! Cf. etiam Journal du magnétisme. tom. XV. pag. 18 seq.

[5]) De quibus loquitur Guidi in suo Tractatu, et in Luce magnetica, et Theoph. Gauthier op. cit., ac Delange apud citatos Auct.

[6]) Mirabiles affectiones ardentissimum spirantes amorem ac delectationem pietatis ac devotionis suavissimæ describit in sua somnambula extatica Delange op. cit. pag. 229. item 255—59 et alibi.

[7]) Qui plura cupit adeat opus sæpe laudatum Caroli part. I. cap. VI. seq., nec non Monticelli, La causa dei fenomeni mesmerici. part. IV. cap. II. et III.

Digitized by Google

tatem historicam, eorumque causam, argumentum erit ulterioris disquisitionis; quidque verisimilius nobis videatur, appositis propositionibus statuemus.

439. Possemus post prævias hasce magnetismi notiones, statim et spiritismi prævias notiones subiicere, qui tertium est stadium magnetismi ipsius. Sed quoniam multa de eo singillatim dicenda sunt, præstat prius de magnetismo et de somnambulismo communiter inquirere, tum historicam veritatem, tum veram causam eorumdem statuere, ut, hac expleta controversia, ad quæstionem de spiritismo progrediamur.

Caput III.

De reali magnetismi animalis ac somnambulismi phænomenorum existentia.

440. Cum sermonem instituimus de magnetismi animalis ac somnambulismi existentia, haud profecto intendimus realem adstruere existentiam fluidi, quod magneticum nuncupatur, vi cuius contendunt mesmerismi fautores phænomena recensita vulgo obtineri, de quo suo loco; sed unice agitur de expendenda veritate aut falsitate historica, atque, ut ita loquor, materiali existentia phænomenorum magneticorum. Nam alii sunt, qui omnia prorsus relata facta inter fabulas, illusiones, hallucinationes, fraudesve omnigenas amandant; alii vero omnia tamquam inconcussa nullo interposito discrimine admittenda contendunt. Nos, omnibus perpensis, existimamus viam mediam ineundam esse, ac propterea neque cum primis, veluti a priori indiscriminatim omnia prorsus recensita phænomena conficta haberi posse ac deberi, neque cum posterioribus eadem omnia tamquam vera cæcō veluti assensu esse admittenda. Sit igitur

Propositio.

Extraordinaria quædam recentiora phænomena magnetismi animalis et somnambulismi a priori negari nequeunt, vel fraudi atque errori tribui; immo a posteriori probantur historice facta.

441. Sane quoad primam propositionis partem, reiici haud posse extraordinaria indiscriminatim omnia, quæ perhibentur

Digitized by Google

magnetismi animalis ac somnambulismi phænomena, aut fraudi circulatoriæ aut hallucinationi seu errori adscribi a priori, res aperta videtur. Etenim ideo reiicerentur, aut quia extraordinaria sunt ac naturæ legibus nobis compertis minime consentanea, aut quia causa certa iis assignari non potest. Neutrum autem dici debet. Nam si eiusmodi esset aliquid admittendi aut reiiciendi ratio, innumera prope, saltem ab initio extraordinaria nobisque impervia phænomena physica fuissent abiicienda, quæ postea lucupletissime vera esse ostensa sunt. Procul dubio non omnia quæ venditantur magnetica ac somnambulica prodigia admittenda esse et nos ultro fatemur, imo et contendimus. Ast simul non omnia prorsus reiicienda esse affirmamus, ea præsertim quæ solidis ac ineluctabilibus probationibus suffulta sunt; alioquin in turpem scepticismum dilabi cogeremur. Ignoratio præterea causæ effectus alicuius nullum tribuit ius hunc eliminandi. Denique permisceri inter se minime possunt rei alicuius existentia cum eiusdem rei natura, quæ nobis haud innotescat.

442. Itaque huc tota devolvitur quæstio, num certis argumentis seu probationibus constet magnetismi ac somnambulismi phænomenorum existentia. Jam vero præter auctores, qui de iis singillatim testantur, quosque in superiori articulo in notis attulimus, insequentia argumenta generatim suadent.

443. Primum, idque extrinsecum petitur ex nulla mentiendi utilitate ex parte illorum, qui facta illa testantur; ecquod enim emolumentum proveniret plerisque saltem eorundem factorum assertoribus in iis confingendis? Nullum omnino, quin potius se exposuissent irrisioni et insectationi universali, in suis præsertim initiis. Maius robur huic argumento accedit, spectata multiplici varietate indolis et conditionis eorumdem testium, qui propterea inter se convenire non potuerunt in factis illis asserendis ut fallerent. [1])

444. Secundum desumitur ex auctoritate quam sibi iure vindicant haud pauci eorumdem phænomenorum assertores in

---

[1]) Tales fuerunt acres impugnatores Mesmeri ipsius cum Vindoboni prius, deinde cum Lutetiæ suas cœpit sanationes ope magnetismi vulgare: academiæ scientificæ, publicæ ephemerides, innumeri prope auctores, qui 90 eoque amplius annis prodierunt ex omnibus orbis partibus, qui theoriam quidem aggressi sunt, aut causas quæ his sanationibus assignabantur, attamen facta admiserunt.

Digitized by Google

physicis disciplinis apprime versati et exculti, cuiusmodi inter ceteros sunt Cuvier, La-Place, Rostan, aliique primi subsellii viri; [1]) nec non ex auctoritate eorum qui assensum iisdem præbuerunt, inter quos eminent Lacordaire, Archiep. Parisiensis Sibour, Card. Gousset, Maupied, Guillon, Cauport, Coubert, aliique permulti ecclesiastici viri omni exceptione maiores. [2]) Eo vero magis faciendum est istorum testimonium, quod haud pauci illorum prius se phænomenis magnetismi ac somnambulismi incredulos exhibuerunt, nec nisi rei evidentia permoti ex iis quæ ipsismet sensibus suis usurpaverunt, tandem aliquando eorum admiserint realitatem. [3]) Quin etiam haud pauci medici, præsertim repugnante propria utilitate, coacti sunt ea fateri. Tales fuere Georget, [4]) Ferrus, [5]) Rostan, [6]) Bertrand, Récamier, Fouquier, aliique magno numero, quorum nimis longum esset singula opera percensere. [7])

445. Tertium desumitur ex notoria ac ubique vulgata eorumdem phænomenorum notitia, quæ ab annis plus minus nonaginta ubique locorum diffusa est. Potest enim distingui in tres periodos status ac evolutio Mesmerismi ac somnambulismi. Prima sese protendit a primis Mesmeri experimentis an. 1789, cum Lutetiam præsertim Parisiorum se contulit usque ad annum 1820. Altera ab hoc anno ad 1831.; ac deinceps tertia complectitur totum temporis spatium quod exinde fluxit usque ad diem hanc. Porro licet ab initio experimenta ac sanationes mesmericæ non paucos adversarios nactæ sint, tribuerentque non

---

[1]) Quorum elenchum et auctoritatem exhibet Caroli part. II. cap. I. Huc pariter refertur integra præfatio op. cit. Monticelli, in qua plura præclare dicta inveniuntur. Sane La-Place in op. Calcul des probabilités pag. 348., Cuvier: Leçons d'anat. comparée aperte ea admittunt non obstante ipsorum repugnantia.

[2]) Cf. ibid. apud Caroli pag. 245.

[3]) Cf. Mirville in op. Questions des esprits. Paris 1855. Prèm. part. ch. II. Académies et Mesmerisme, ou variations des corps savants.

[4]) Qui in sua Psychologie du système nerveux, se materialistam professus fuerat, demum ex phænomenis cuiusdam somnambulæ quod suis oculis usurpaverat, se revocavit ad admittendam animæ spiritualitatem, uti habetur in suo testamento 1. Mars 1826.

[5]) Dictionnaire de médecine par le Baron Rostan. Art. Magnétisme. [6]) Ibid.

[7]) Cf. apud Mirville op. et loc. cit. §. 2.

Digitized by Google

pauci arti circulatoriæ, prout aliquæ reipsa tales esse potuerunt, attamen post exhibita publica experimenta et in academiæ aulis et in nosocomiis crebro repetita coram cuiusvis conditionis viris scientia ac doctrina non vulgari præditis, omnis dubitatio vix sublata non est. [1]) Ab anno 1820. nova repetita fuerunt experimenta, ac realitas phænomenorum magis iugiter confirmata, donec an. 1826. a facultate medica Parisiensi deputatio virorum conspicuorum instituta est ad formalem inquisitionem faciendam magnetismi effectuum, qui magis ac magis evulgabantur. [2]) Ab hac deputatione, quæ per quinque integros annos diligentiam in sua inquisitione adhibuit singularem, prodiit tandem an. 1831. legalis relatio, qua pleraque facta probata sunt ac phænomena confirmata. Hæc celebris relatio est, quæ sub nomine Husson publicis typis vulgata est, adeo ut ad silentium adversarios redegerit. [3]) Ex hoc tempore, licet pauci omnino ex anticipatis iudiciis reluctati sint, [4]) universalis conspiratio in eiusmodi phænomenis et factis admittendis uti veris ac realibus omnem sustulit rationabilem dubitationem. [5])

446. Quartum resultat argumentum ex publica agendi ratione. Nam quamvis magneticæ ac somnambulicæ eiusmodi operationes publicis fuerint ubique locorum typis vulgatæ, afficerentque singulares personas, nemo tamen unquam surrexit ad eas falsitatis aut fraudis arguendas, quamquam magno numero fuerint atque adhuc viventes, quæ eas expertæ sunt. Accedit, quod eiusmodi factorum assertores dum unanimes sunt in iisdem adstruendis, mirifice inter se dissentiant in causis assignandis, perinde ac in cæteris pæne omnibus. [6])

---

[1]) Ex hoc tempore Lugduni, Argentorati, Avenioni, Stocholmæ etc. societates institutæ sunt, annales ad adstruendum magnetismum conscripti, ac sanationes hac methodo multiplicatæ.

[2]) Constitit hæc deputatio ex Bourdois, Fouquier, Guéneau de Mussy, Guersant, Itard, Husson, Marc et Thyllaye.

[3]) Hæc relatio non solum a laudatis viris subscripta est, sed eidem adhæserunt d'Andral et Julius Cloquet, doctrina celebres.

[4]) Uti Dr. Dubois, Ambianensis, et Dr. Berna.

[5]) Cf. omnia hæc documenta apud Mirville op. cit. Questions etc. part. I. ch. II.

[6]) Eiusmodi argumentum est plane ineluctabile, ut præter critices scriptores uno consensu docent iurisperiti omnes cum agunt de probationibus. Siquidem cum quæstio aliqua magna animorum contentione utrimque agitatur, ante omnia adversarii inquirunt de rei

Digitized by Google

447. Quibus argumentis desumptis ex testium consensu immo etiam unanimitate, virorum scilicet scientia, veracitate ac honestate conspicuorum ex omnibus ferme nationibus Europæ et Americæ, adiici argumentum debet quod eruitur ex publicis documentis scientificis ac legalibus. Jam vero huc referuntur processus verbales, quos vocant, qui magno numero confecti sunt; litteræ testimoniales non paucæ eorum, qui experimentis magneticis ac somnabulicis interfuerunt, aut eorum, qui horum effectus experti sunt in semetipsis, ac relationes scientificæ et authenticæ, de quibus locuti sumus. Demum, ceteris prætermissis, de eorumdem phænomenorum reali existentia constat locupletissime ipsius apostolicæ Sedis saltem indirecto testimonio, quæ in rescriptis datis non semel ad consultationes de his phænomenis et ad dubia proposita, constanter eorumdem existentiam uti certam supponit. [1])

448. Cum igitur ex artis criticæ canonibus in dubium revocari nequeant, quæ a testibus fide dignis referuntur, iisque debita tum scientia tum probitate præditis, atque unanimi circa factorum substantiam consensu conspirantibus licet inter se differant circa accidentalia, circa factorum naturam et causas, illique sint contrariæ inter se indolis, propensionis, cupiditatis, neque ullum emolumentum aut utilitatem sibi sperent ex tali affirmatione, atque in regionibus valde inter se dissitis versentur: tale autem cum sit ex dictis testimonium quod habemus de existentia reali phænomenorum magnetismi animalis ac somnambulismi magnetici, aperte constat de veritate propositionis nostræ.

Difficultates.

449. I. Obi. 1. Omissis, quæ ex anticipatis iudiciis contra mesmerismum desumuntur difficultatibus, constat illum reiiciendum esse ex eo quod plures viri graves et docti in ipsum insurrexerint, ac illum plane eliminaverint; et ab academia scientiarum Parisiensi et a societate medica unanimi consensu explosa sit, prout exclusus fuit a relatione quæ a Baylly digesta est an. 1784. [2]) 2. Haud paucæ fraudes et circulatoriæ artes

---

qua de agitur, veritate. Porro adversarii in conflictatione acerrima de mesmerismo ad unum omnes conveniunt in factis admittendis.

[1]) Hæc documenta inferius dabimus.

[2]) Vid. Deleuze, Hist. critique du magnétisme anim. tom. II. seu seconde partie ch. V. pag. 44 seq.

Digitized by Google

detectæ sunt in eiusmodi operationibus, quæ traducebantur uti phænomena magnetica, eorumque auctores a tribunalibus pœna fuerunt mulctati.[1]) 3. Compertum est, plura quæ prædicabantur facta magnetica, non fuisse nisi simulationes fictionesque subiectivas eorum, qui hac ratione nonnisi nominis celebritatem, pecunias, aliaque eiusmodi sibi comparare satagebant.[2]) 4. Firma illa fides ac voluntas, quæ ad magneticos effectus producendos exiguntur tum ab agente tum a patiente, indicium satis apertum patefaciunt conventionis cuiusdam inter utrosque, nec proinde virtutem seu vim magnetismi evincunt. 5. Ideo universa magnetismi theoria reiicienda, cum nulla exinde utilitas aut bonus effectus expectari possit. Ergo.

450. Resp. ad 1. D. Plures viri docti magnetismo animali ac somnambulismo magnetico obstiterunt in suis primordiis, nondum re omni ex parte explorata, C. Temporis progressu, Subd. ita tamen, ut isti impugnatores numero et auctoritate longe ab aliis vincantur, C. secus, N. Profecto ab initio rei novitate, ac nondum satis eliquatæ perculsi, in magnetismum plures insurrexerunt eumque aversati sunt, ac tum societas medica tum academia Parisiensis ac relatio a Baylly sociisque confecta eum reiecerunt.[3]) Verum multiplicatis postea experimentis et accuratius expensis, viri doctrina et ingenii acumine celebres ea admiserunt. Siquidem præter paulo ante recensitos, in eorum phænomenorum veritatem concesserunt Berzelius, Orfila, Gall aliique passim. Post quinquaginta deinde annos, immutata rerum facie, relatio quam conscripsit Husson, ut vidimus, admissa fuit.[4]) Accedit quod viri docti etiam ab initio plura repulerint quæ vera esse postea detecta sunt, ac nova inventa reiecta ab iisdem fuisse, quæ deinde evidentia compulsi

---

[1]) Hæ continentur in Journal du magnétisme tom. XIV. pag. 264—467., tom. XV. pag. 6—10., tom. XVI. pag. 223.

[2]) Ibid.

[3]) Relationi, quæ data est anno 1784., inter ceteros subscripserunt Franklin et Darcet, qui relationem redegit.

[4]) Deputationi huic negotio expendendo destinatæ an. 1826. undecim adstiterunt, quorum hæc sunt nomina: Leroux, Bourdois de la Mothe, Double, Magendie, Guersant, Laenec, Thillaye, Marc, Itard, Fouquier et Guéneau de Mussy. Ex quibus cum tres recessissent varias ob causas, Lænechio Husson suffectus est, cui demandata relatio est, quam ipse, post longam discussionem, post facta iterato expensa, dedit an. 1831. die 28. Junii, et cui, tribus exceptis absentibus, omnes subscripserunt.

Digitized by Google

admittere debuerunt. [1]) Adde etiam illos sive viros doctos, sive facultates medicas, sive academias haud directe adversus magnetismum et facta, ut ita dicam, materialia seu phænomena in se, sed potius in eius causas ac rationes insurrexisse. Immo facta non pauca nec exigua uti vera ac certa ab illa ipsa, quæ an. 1784. exhibita est, relatione admissa sunt, etsi a magnetismo producta ea fuisse negaretur. [2])

451. Ad 2. D. Interdum, C. constanter et in casibus omnibus, N. Neque enim nos inficiamur, haud paucas irrepsisse fraudes, circulatoriasque artes in eiusmodi magneticas operationes, ac porro etiam adhuc irrepere passim; sic pariter ultro fatemur, quandoque fallaces extitisse, nec semel deceptos fuisse ac decipi somnambulos in suis enunciationibus. Hæc tamen non

---

[1]) Exemplo sint Columbi cogitationes et calculi respectu existentiæ Indiarum occidentalium; Copernici et Galilæi circa motum telluris inventa; Harley theoria de sanguinis circulatione, quæ omnia ab initio docti improbarunt. Idem dic de præparationibus antimonii, de usu vomitoriorum, deque variolarum inoculatione, quibus docti academici se opposuerunt. Non ita pridem sapientum academiæ exsufflabant illorum placitum, qui contendebant omnes marinas conchas fossiles fuisse ab animantibus inhabitatas, ac illas merum naturæ lusum esse decreverant; verum et hos doctos docte confutavit Flourens. Idem dic de aërolithorum existentia, aliisque quamplurimis, quæ nunc uno animo ab omnibus admittuntur ac propugnantur. Vid. Des Mousseaux in op. Des médiateurs et des moyens de la magie. Paris 1863. pag. 257. in nota, nec non in Præfat. oper. La magie au dix-neuvième siècle. Paris 1864. pag. XVI.

[2]) Quod scite advertit Bullangerius, nempe iudices an. 1784. haud facta denegasse seu phænomena mesmerismi, sed solum causam, cui Mesmer ea assignabat, ipsa phænomena tribuentes imaginationi, tactibus ac imitationi. Scribit enim in op. cit. Le magnétisme. pag. 3.: *Le jugement qui l'a condamné semble avoir été plutôt dicté par la prévention que par la justice. La cause n'a pas été suffisement instruite, et l'on a toujours d'ailleurs exagéré les conséquences de la science. Les juges en effet, n'ont condamné dans le magnétisme animal, que la cause hypothétique dont on le faisait naître, le fluide du magnétisme, mais ils ont reconnu et admis la pluspart des faits, dont ils ont même cherché à donner une explication naturelle, exclusivement physiologique. Ils n'ont d'ailleurs point statué à l'égard des faits les plus extraordinaires, que l'observation n'a signalée que plus tard, et qu'on n'avait pu par conséquent soumettre à leur jugement.*

Digitized by Google

destruunt facta omnimoda certitudine constituta.[1]) Alioquin historias omnes omnesque nummos reiicere deberemus, eo quod plures falsæ historiæ confictæ ac falsi nummi suppositi sunt: quod profecto nemo dicet. Itaque critices arte opus est ad vera a falsis facta secernenda.

452. Ad 3. Eadem esto responsio ob easdem rationes. Ipsi magnetologi id contingere posse fatentur.[2])

453. Ad 4. Resp. 1. iam progrediente magnetismo non amplius opus esse tum illa firma voluntate ex parte agentis, tum illa fiducia ex parte patientis.[3]) 2. Verum et hoc dato, non propterea destrueretur realis factorum existentia. Accedit in therapeutica, fatentibus omnibus, plurimum conducere ad felicem curationis exitum fiduciam de obtinenda per aliquod remedium peculiare valetudine, ut alia silentio præteream.

454. Ad 5. Neg. consequentiam quæ ex præmissis non descendit. Ex eo enim quod nullum emolumentum ex magnetismo proveniat, non ideo sequitur haud existere phænomena, quæ tanto numero, tantaque proborum testium auctoritate firmata recensentur. Sed insuper pæne innumeras magneticas operationes constat profuisse atque ingens suppetit in magnetologorum annalibus multitudo exemplorum, quæ felicem eventum testantur.[4])

455. Inst. 1. Nondum causa finita est: siquidem constat ex novis experimentis, quæ his ferme annis instituta sunt, ea plane defecisse coram deputatione novissime a scientifica facultate Parisiensi ad hoc denuo constituta. 2. Ex relatione enim Dom. Dubois Ambianensis an. 1840. data constat, quod cum

---

[1]) Sane vel in una Lutetia Paris. 20,000 investigatores tam religiosi quam increduli spectatores ac testes extiterunt huiusmodi phænomenorum. Cf. Des Mousseaux op. cit. La magie au XIX. siécle. pag. 68 seq.

[2]) Apposite in cit. op. Le magnétisme pag. 8. dicitur: *Derrière la fausse science, il y a, je ne crains pas de l'affirmer, une science réelle: au milieu des superstitions et des extravagances, il y a des faits extraordinaires, des facultés étonnantes, de véritables merveilles.*

[3]) Prout inferius videbimus.

[4]) Cf. apud Caroli op. cit. pag. 265 seq. Neque enim nobis datum est hæc per singula recensere. Cf. etiam Monticelli op. cit. pag. 15—19. ac Bizouard op. et loc. cit.

Digitized by Google

Dr. Berna provocasset academicos ad experimentum somnambulismi, ex iudicum sententia nullum sortitum effectum fuisse. 3. Idipsum contigit puellæ Pigeaire somnambulæ, quæ ex Montepessulano una cum genitore Lutetiam Parisiorum se contulit ad præmium obtinendum trium millium libellarum quod propositum erat ei qui oculis clausis legisset, at res infecta est. 4. Merito proinde celebris Arago statuebat, quod cum de factis complexis agitur, non habendam esse rationem de testium quantitate, sed de eorumdem qualitate: [1]) cum igitur idonei iudices circulatoriæ arti amandaverint phænomena mesmerica, nulla de ipsis quæstio amplius moveri debet.

456. Resp. ad 1. D. Quoad eos qui anticipatis iudiciis ne victas dent manus scepticismum profitentur, Tr. vel C. Quoad æquos rerum æstimatores, N. Nova porro experimenta quæ iactantur nullam prorsus vim habent ad labefactanda, quæ ubique locorum certissimis documentis extra omnis dubitationis aleam constituta sunt. Quamvis enim interdum experimenta defecerint, tamen plures aut pauciores defectus, cum negativi sint, non destruunt facta positiva, seu ea de quibus positive constat. Nemo est qui neget identidem experimenta mesmerica deficere, cuius rei ratio idonea redditur, prout et nos suo loco eam afferemus. Interim, ex quacumque causa id proveniat, certum pariter est, innumera prope phænomena magnetica ac somnambulica realia esse: quod si vel de uno reipsa constiterit, satis esset ad veritatem eiusmodi phænomenorum constabiliendam. Ceterum necesse non est ad hæc confugere, cum locupletissime de plurimorum factorum, ut diximus, veritate constet.

457. Ad 2. Tr. Ex hoc enim facto singulari nihil aliud inferri potest, quam magnetizantes non semper in suis experimentis exitum felicem habere, quod et nos ultro fassi sumus. Ceterum deputatio hæc, quæ tantum excitavit rumorem, constabat ex novem membris, quorum quinque erant aperti magnetismi adversarii, illorumque iudicium scientificæ grassationis nomine donatum est cum præmeditatione, [2]) et qui

---

[1]) In Annuaire pag. 438, ubi scribit: *En matière de témoignage, et sur des questions de faits complexes, la qualité des témoins doit toujours l'emporter sur la quantité: ajoutons, que la qualité ne résulte ni des titres nobiliaires, ni de la richesse, ni de la position sociale, ni d'un certain genre de célébrité.*

[2]) Assassinat scientifique avec préméditation.

Digitized by Google

relationem digessit Dom. Dubois, qui erat a secretis, tot artificiis fallaciisque eam confecit, ut adversus illam protestatus fuerit Doctor Berna, qui ideo sese exhibuit ad experimentum coram academia faciendum post multiplices felices exitus quos sortitus erat. Ceterum hæc relatio non destruit facta seu phænomena, quæ vel in ipsa relatione Baylly admissa sunt tamquam vera, etsi imaginationi tribuerentur. [1]) Item non destruit facta, quæ facultas medica eodem tempore fassa est; non destruit relationem elaboratissimam, quam dedit Husson an. 1831.; non destruit denique facta quæ post eam iugiter obtinuerunt usque in tempus præsens. Quo factum est ut debuerint prudenter omnes magnetismi ac somnambulismi adversarii conticescere.

458. Ad 3. D. Res infecta est ex defectu deputationis, C. ex defectu experimenti, N. Etenim deputatio quæ verebatur experimentum ob obfirmatum animum contra magnetismum ac somnambulismum tot tricas invenit circa vittam quæ oculos puellæ Pigeaire cingere debebat ne lux penetraret, ut tandem tædio affectus eius genitor omnem tractatum abruperit, ac Montepessulanum repetierit, ubi facultatis medicæ illius academiæ iudicio res constanter optime cesserat. [2]) Adeo vero apta vitta erat ad oculos perfecte obserandos, ut iis ipsis qui eam probare recusaverant propositum fuerit præmium 50,000 libellarum, si vel unum verbum legere potuissent non solum illa vitta quadruplicata tegenteque prorsus faciei partem, quæ oblata est, sed vel illa solum ordinaria, qua puella tegebatur, præmuniti. Ast nemo illorum conditionem acceptavit. Adeo verum est, ex obfirmato tantum animo istas tricas movisse eiusmodi iudices! [3]) Et reipsa non defuerunt viri doctrina insignes in

---

[1]) Legitur enim in relatione Baylly an. 1784.: *Que l'on ne peut s'en faire une idée,* eiusmodi scilicet phænomenorum, et quod imaginationi tribui debeant; *cette grande puissance dont le magnétisme semble être le dépositaire.*

[2]) Inter medicæ facultatis Montepessulanæ membra eminebat Dr. Lordat, unus ex insignioribus Europæ physiologis, qui testimonio suo rem confirmavit, ac documento munivit puellam Pigeaire.

[3]) En epistolæ conclusionem quam academiæ scientificæ dedit Dr. Berna, et provocationem: *L'académie refuse à mademoiselle Pigeaire le prix de trois mille francs sous le prétexte de l' insuffisance du bandeau qui lui intercepte la lumière; je viens faire à Messieurs les commissaires la proposition suivante: Cinquante-mille francs sont offerts à celui d'entr'eux, qui*

Digitized by Google

ipsa academia, qui protestati sint adversus eorum iniustum iudicium. [1])

459. Ad 4. D. Et reipsa viri docti omnibus illis quas exigebat Arago dotibus præditi, magnetismi phænomenorum veritati ac realitati assensi sunt, C. iis non sunt adstipulati, N. Sane viri omni exceptione maiores et intra et extra academiam scientiarum magno numero se testes præbuerunt illorum factorum magneticorum et somnambulicorum quibus interfuerunt veritatis seu realitatis. Nos ipsi plures recensuimus eiusmodi, quas vocant celebritates, quibus aliæ adiici possunt. Attulimus siquidem La Place, Cuvier, Georget, Rostan, Récamier, Julium Cloquet, Jussieu etc., quibus profecto nulla ex parte scientiæ exceptio fieri potest. Quibus si addantur supra mille quingenta volumina, quæ in idem conveniunt, præter alia innumera documenta ex universo orbe collecta, nonnisi scepticus iis repugnare poterit. [2])

460. II. Obi. 1. Rite colligitur fidem non esse adhibendam magnetismi ac somnambulismi phænomenis eo quod eorum leges nondum compertæ sint ac determinatæ, 2. eo quod præterea utriusque phænomena insolentia sint, atque prodigium redoleant, utpote cognitis perspectisque legibus omnibus physicæ ac physiologiæ repugnantia. 3. Sed neque experimento

---

pourra lire un seul mot avec le bandeau ordinaire de mademoiselle Pigeaire, et dans le cas où MM. Bouillau et Dubois (d'Amiens) prouveraient qu'on y voit à merveille, on y ajoutera vingt-mille francs.

[1]) Tales fuerunt Adelon, Pelletier, J. Cloquet et Delens, ex quibus J. Cloquet veritus non est sic academicos alloqui: *Je sais, Messieurs, qu'il faut quelque courage pour parler devant vous du magnétisme et de ses effets: mais on a beau faire, les faits sont inflexibles, et je ne serais pas étonné que malgré la résistance la mieux combinée et la plus soutenue, un beau jour le magnétisme vint prendre place dans la science où l'on refuse aujourd'hui de l'admettre.*

[2]) Cf. Mirville op. cit. cap. II., ex quo paucis contraximus quæ illic fusiori calamo congesta habentur. Scepticismum vere sapit quod Debreyne in suo tractatu: Pensées d'un croyant etc. magnétisme scribit: *Quid respondendum viro docto dicenti: Ego vidi?* responditque: *Hic casus est dicendi: Credo quia tu vidisti; non crederem si vidissem ego ipse.* Quid enim fieret de evidentia sensuum, si eiusmodi principium admitteretur universim?

Digitized by Google

tentanda est horum veritas, cum non desint pericula inhærentia eiusmodi experimentis, aut exitii scilicet, aut physici morbi, aut dementiæ, in quæ non pauci reipsa incurrerunt, prout vel ipsi magnetologi non dissimulant. 4. Quid? Quod a plerisque adhuc negetur existentia thaumaturgi eiusmodi fluidi animalis in humano corpore existentis, adeoque et operantis? 5. Ecquis præterea ignorat, experimenta magnetica scholam esse morum depravationis, ubi præsertim magnetizans vir sit, fœmina autem magnetizata? vulgata sunt exempla turpitudinum, quæ sub hoc obtentu passim perpetrantur. 6. Denique, nonne absurda sunt phænomena, quæ perhibentur de visione per corpora opaca non intercepta, de visione in distans, de operatione in dissitis locis, aliaque eiusmodi, quæ aperte pugnant cum quavis lege physica nobis apprime perspecta? Ergo.

461. Resp. ad 1. Neg. consequentiam. Siquidem innumera prope sunt, quorum existentiam novimus, quin tamen compertæ nobis sint eorum leges et causæ. Exemplo sint quæ sub oculis nostris quotidie observantur, aut quæ nos ipsi experimur, uti vulcanorum eruptiones, terræ motus, nebulosæ stellæ cadentes, aërolithi, actiones item substantiarum materialium in organismum humanum, aliaque eiusmodi, quæ longum esset per singula enumerare. Immo generatim dici deberet, universam pæne naturam negari potuisse, cum ab hominibus leges mechanicæ, chimicæ, physicæ, electricæ, quibus ipsa regitur, ignorabantur: quod nemo profecto dicet. Itaque ex ignorantia nostra actuali eiusmodi legum nihil inferri logice potest adversus illa phænomena magnetica, de quorum existentia aliunde constat, sub obtentu quod ipsorum determinatæ leges nondum cognoscantur.

462. Ad 2. D. Et ideo sunt expendenda, C. Sunt neganda, N. Quo magis phænomena insolentia sunt, ac prodigiosa apparent, eo penitius sunt examini accuratiori subiicienda. Hac responsione utuntur theologi cum agitur de prodigiis adstruendis, quibus innititur divina revelatio, quæ ex eo quod adversentur cognitis perspectisque naturæ legibus, ab incredulis reiiciuntur. Tota proinde in his controversia revocatur ad existentiam realem ineluctabilibus probationibus adstruendam. Hac porro solide constituta, cetera concidunt, et ad causas assignandas singulorum factorum negotium revocatur.

463. Ad 3. Transeat. Non aliud porro ex inhærentibus magnetismi experimentis periculis inferri potest, nisi quod cautela opus sit ad ea vitanda, quoad eius fieri potest; ceterum

Digitized by Google

ex eisdem veritas phænomenorum comprobatur. Nam si phænomena magnetica reipsa non existerent, nec morbos, nec interitum, neque amentiam producerent; alioquin zero efficeret quantitatem, quo nihil absurdius fingi potest.

464. Ad 4. D. Adeoque fluido magnetico phænomena mesmerica non forent hac in hypothesi adscribenda, C.; deberent facta ipsa reiici, N. Quidquid vero de istiusmodi fluidi animalis nuncupati existentia censendum sit, de qua nunc non inquirimus, (eam opportuniori loco reservantes), nihil exinde contra nos sequitur. Quæcumque enim sententia admittatur sive eorum, qui huius fluidi existentiam penitus eliminant, ut recentiores physici: [1]) sive admittatur, nobis perinde est. Siquidem phænomena mesmerica haberi possunt tum fluidi animalis ope, tum sine illo, prout paulo post videbimus, ac reipsa vel ipsi magnetologi recentiores inter se discrepantes sunt. Nunc vero addimus, omnes hactenus institutas ratiocinationes, ut denegentur statuta phænomena, non esse nisi totidem sophismata, quibus turpiter confunditur factum cum eiusdem facti causa, quod est leges logicæ infringere. [2])

465. Ad 5. Esto; neque enim id nos inficiamur: immo vero paulo post reipsa perversitatis ac depravationis fontem præbere ostendemus identidem eiusmodi magnetica experimenta, atque in morum perniciem cedere. Verumtamen exinde logice inferri nequit omnia prorsus experimenta mesmerica tanquam fictitia aut commentitia eliminanda esse, ita ut historia illorum omnium veritas sit neganda. [2])

---

[1]) Cf. Growe Des forces physiques. Paris 1853. Qui tamen monet, non obstante unitate virium constituta, haud recedendum esse a communi loquendi ratione et usu, scribens: *Alors même, que l'esprit serait conduit un jour à abandonner l'idée des forces inertes, à regarder tous les modes de force, comme des manifestations différentes d'une seule et même force, ou à resoudre définitivement un mouvement, nous n'en devrions pas moins toujours nous servir des divers termes conventionnels pour exprimer les différents modes d'actions de cette force unique, qui annullerait tout.* Cf. etiam A. Secchi in recenti eius opere: L'unità delle forze fisiche. Romæ 1864.

[2]) Quæ per modum difficultatum heic allata sunt, atque a nobis admittuntur, suo loco expendentur, ut exinde colligamus malam istorum phænomenorum indolem, qua edocti sumus ea prorsus esse vitanda.

Digitized by Google

466. Ad 6. D. Quæ idcirco nonnisi caute, nec sine accurato examine sunt admittenda, C.; omnino ac indiscriminatim respuenda, N. Responsio patet ex iis quæ dicta sunt ad 2^{m}: eadem quippe recurrit difficultas.

Caput IV.

De phænomenorum magneticorum natura et causis.

467. Multiplici phænomenorum magneticorum classe exposita, eorumque generatim historica veritate vindicata, inquiramus in causas necesse est, quibus ea adscribi possint aut etiam debeant. Arduum profecto hoc est negotium, ex quo totum ac unice pendet iudicium de innoxia aut prava eorumdem indole ac natura. Si enim a causa physica ac naturali eiusmodi phænomena originem habent, proculdubio ea utpote bona aut indifferentia admitti possunt, si rite adhibeantur media in omnibus suis adiunctis spectata ad ea obtinenda; si vero a causa præternaturali, eaque prava producuntur, profecto respuenda ac detestanda sunt, ab iisque omnino cavendum, nec sine gravi piaculo quispiam eorum experimentum capere posset. Siquidem ageretur de re iniqua, et quovis iure vetita.

468. Huc igitur studia nostra conferemus maiori qua fieri poterit sedulitate ac perspicuitate. Methodo propterea analytica utentes iuxta diversas quas recensuimus eiusmodi phænomenorum classes, physiologicorum nempe, ac psychologicorum per varios gradus, quibus ab invicem discriminantur, singulas causas ad eorum reddendam rationem hactenus excogitatas perpendemus.

469. Nam alii contendunt, phænomena indiscriminatim omnino a physicis causis produci; alii distinguentes inter phænomena physiologica et psychologica, priora a naturæ legibus, posteriora vero ab animi vi immediate agente super obiecta, repetunt. Alii porro ab humana quidem voluntate tamquam a causa morali ac mediata, non autem ab eadem tamquam causa immediata ac physica ea profluere censent; alii rursum eadem accersunt a causa præternaturali, eaque ut plurimum prava, nempe a spiritibus malis, seu a dæmonibus. Quænam in variis his hypothesibus respuenda aut admittenda sit, nos continenti propositionum serie ad normam catholicæ doctrinæ adstruemus. Sit igitur

Digitized by Google

Propositio I.

Licet nonnulla physiologica magnetismi animalis ac somnambulismi phænomena per se materialibus causis naturalibus adscribi valeant, pleraque tamen illis tribui nullatenus possunt.

470. Dixi per se, spectatis scilicet mediis physicis idoneis ad aliquem effectum naturalem obtinendum: in quo nihil est quod repugnet imo quod rectæ rationi consentaneum non sit, re in abstracto spectata. Non ideo tamen in concreto, ut aiunt, seu in omnibus suis adiunctis perpensa, facta magnetica seu mesmerica innoxia plane esse adstruimus aut contendimus. Cum primum Mesmer novum suum systema magnetismi animalis induxit, illud veluti medicæ disciplinæ ac therapeuticæ artem proclamavit, ad curandos nempe morbos ope cuiusdam fluidi universalis ac propterea etiam nobis, seu corporibus nostris insiti, quod non sine apparatu, ut vidimus, instrumentorum excitari atque communicari posse censebatur. Ac cito ab eo deflexit, et ad somnambulismum, saltem naturalem pertransivit, et iugiter ulterius progressus est. [1]) Nec desunt, qui contendant eidem perspectum iam fuisse somnambulismum artificialem, seu somnum magneticum arte excitatum [2]) ad morborum curationem. Nonnulla porro ex his phænomenis possent a supposito fluido, aut aliis naturalibus causis explicari.

471. Adiecimus: pleraque tamen phænomena illis tribui nullatenus posse. Quibus verbis universam factorum congeriem complectimur, quæ sub denominatione phænomenorum magneticorum veniunt. Jam vero, ut patet ex iis, quæ præcedenti capite scripsimus, eiusmodi phænomena præter mesmerica presse sumpta, sunt somnambulica, tum naturalia, tum spontanea, tum artificialia.

---

[1]) Cf. Deleuze op. cit. I. part. ch. II., ubi scribit: *Selon M. Mesmer, le magnétisme est le mouvement imprimé au fluide universel, qui est le moyen d'une influence réciproque entre tous les corps de la nature.* Qui deinde pergit ch. IV. pag. 90.: *M. Mesmer et les spiritualistes de Lyon ont également opéré des guérisons et fait des somnambules.*

[2]) Cf. Pailloux: Le magnétisme, le spiritisme etc. Paris 1864. Septième entretien pag. 185, et Des Mousseaux, La magie au XIX. siècle. ch. VIII. pag. 258, qui eum vocat tristem doctorem scientiarum occultarum.

Digitized by Google

472. Hisce præmissis, sic iam ad propositæ theseos veritatem adstruendam accedimus: Illis causis effectus adscribi nequeunt, quæ ipsis producendis impares omnino sunt; iam vero talia sunt pleraque mesmerica phænomena physiologica respectu causarum naturalium. Ergo.

473. De maiori huius syllogismi propositione nulla controversia moveri potest, utpote quæ sua evidentia fulgeat, alioquin effectus superaret causam a qua produci deberet. Quoad minorem, ad eam evincendam satis nobis est tum variorum eiusmodi phænomenorum recensionem in mentem revocare, tum eadem conferre cum causis, quæ a magnetologis assignantur ad ea producenda.

474. Porro præcipua magnetica phænomena præter prædispositiones, aut signa prodroma ad somnum naturalem, de quibus passim disserunt magnetologi, [1]) sunt somnus, seu status magneticus simplex, quem pariter signa prodroma immediate præcedunt, et præsignificant. Sunt autem hæc fere: quædam lethargia cum catalepsi, qua fit, ut qui ea affecti sunt, nequeant aut conspicere aut loqui, subsultus convulsivi, item plexuum ac gangliorum contractio, paralysis etc. [2]) Cum igitur pervenerit ad somnum, seu ad statum simplicem magneticum, quatenus a somnambulismo distinguitur, patiens magnetizatur a præsenti aut etiam ab absente, in ipsum a magnetizante fluidum, ut perhibetur, infunditur, ab eoque saturatur: totali insensibilitate veluti obstupescit, ita ut a nullo licet vehementissimo stimulo, punctione, aut fragore excitari queat; solus magnetizans facultate pollet eum ab eiusmodi statu revocare. [3])

---

[1]) Cuiusmodi sunt Teste, Dupotet, Guidi, Charpignon, Lafontaine etc., qui tamen mirifice inter se discrepant in his signis prodromis assignandis, determinandisque conditionibus sive subiectivis, sive obiectivis, ut constat ex iis quæ scripsimus cap. II. art. 1.

[2]) De quibus fuse agit Lafontaine op. cit. qui pag. 52. scribit: *Le sommeil magnétique est le résultat de l'envahissement entier du système nerveux par le fluide du magnétiseur.* Qui præterea cap. IX. exhibet catalogum effectuum somnambulismi, recensetque convulsiones, impossibilité de reveiller, léthargie, paralysie, idiotisme, épilepsie, folie etc. pag. 135—52. Et cum eo consentiunt Loubert op. cit. pag. 170. aliique passim.

[3]) Prout referunt Loubert op. cit. pag. 176., Garcin op. cit. pag. 75. 109 seq., præsertim vero Lafontaine op. cit. pag. 90 seq., ubi exempla huius effectus profert.

Digitized by Google

Quo referuntur etiam curæ medicæ ac therapeuticæ ad curam illam obtinendam. [1])

475. Verum hæc nullius pæne momenti sunt, si conferantur cum phænomenis somnambulismi proprie dicti, seu magnetici artificialis presse sumpti, quæ recensita perficiunt phænomena somnambulismi simplicis. In hoc somnambulismo magnetico plures distinguuntur gradus pro maiori vel minori luciditatis et copiæ seu quantitatis amplitudine; ac ille definiri consuevit: vigilia in somno magnetico. [2]) In hac vigilia anima est veluti a materia soluta, ac spiritualibus facultatibus solum prædita, videturque a corpore veluti independens, quamvis tenui filo eidem iugiter coniuncta teneatur. Ipsa in tali statu peculiares acquirit facultates, quibus destituta erat in statu suo naturali, et ipsarum facultatum naturalium longe maiorem acquirit extensionem et acumen, ita ut, si magnetologis nonnullis credatur, docti sapientesque quandoque longe inferiores appareant homine quamvis rudi, qui in tali statu versetur. [3]) Obedientissimum præterea eiusmodi somnambulus se præbet iussioni magnetistæ a quo plane dependet, atque ad ipsius nutum responsa dat quæ ab eo exiguntur.

476. Mira prorsus sunt, quæ in eiusmodi somnambulismo eveniunt, quæque interdum ab ipsismet somnambulis referuntur. [4]) Siquidem rapti interdum videntur ad conspicienda obiecta extraordinaria in mirifico speculo; tædet ipsos quandoque existentiæ corporeæ; futura vident, internas aliorum affectiones penetrant; communicant cum aliorum cogitationibus et ita deinceps. [5])

---

[1]) Ibid. ch. X. et XI., ubi magno numero recenset curationes chirurgicas ac medicas ope magnetismi obtentas.

[2]) Ita Lafontaine op. cit. ch. VIII. §. Somnambulisme magnétique pag. 84., ubi scribit: *Le somnambulisme magnétique est la veille dans le sommeil, c'est l'âme dégagée de la matière et jouissant de ses facultés propres; semble indépendante du corps, tout en s'y tenant toujours par un fil.*

[3]) Bullanger eas vocat *facultés extraordinaires sans analoques dans la vie morale,* et Fournel du magnétis. tom. XIV. pag. 359: *facultés merveilleuses, faits qui ressemblent à des miracles,* et ita porro.

[4]) Non pauca exempla profert Lafontaine op. et loc. cit.

[5]) Præter auctorem citat., qui hæc abunde describit, cf. Caroli op. cit. cap. V.

Digitized by Google

477. Horum igitur effectuum causa, seu medium ad eos obtinendos idoneum assignari debet. Siquidem hos non producit magnetizator ex se seu immediate, cum neque corpore suo, neque suo spiritu ad id valeat: utraque enim hypothesis est absurda. Neque enim potest magnetizator in magnetizatum corpus suum immittere, aut spiritum suum. [1]) Sed neque magnetizatus sola imaginatione valet recensitos effectus in se et ex se producere, ut patet tum per se, tum ex confessione magnetologorum, qui animadvertunt imaginationem potius officere effectibus magneticis. [2]) Itaque omnino necesse est admittere aliquod medium extrinsecum distinctum tum a magnetizante tum a magnetizato, quod tantis effectibus producendis par sit, nisi velimus effectus sine causa, quod metaphysice repugnat.

478. Quænam vero causæ assignantur a magnetistis quæ phænomenis recensitis producendis pares sint? quodnam agens immediatum statuitur? Prout magnetistæ aut fluidistæ sunt, aut animistæ, diversam causam assignant. Fluidistæ contendunt eiusmodi phænomena ex fluido esse repetenda. Animistæ autumant ab anima ipsius magnetizantis immediate agentis super magnetizatum illa produci. Jam vero neutram causam assignari posse contendimus. Hic vero sistimus in sola causa fluidica, acturi in insequentibus propositionibus de altera cum suis modificationibus.

479. Jam vero fluidum, quodcumque demum illud sit, haberi non posse ut causam immediatam, seu medium ciendis effectibus mesmericis idoneum multiplici argumento adstruitur. Ac primo quia adhuc incertum est, num eiusmodi fluidum,

---

[1]) Quod attinet ad spiritum seu voluntatem, ipsum haud esse causam immediatam phænomenorum mesmericorum adstruemus in insequenti propositione. Hic solum attingimus immissionem spiritus magnetizatoris in magnetizatum.

[2]) Uti inter ceteros declarat Charpignon, qui pag. 47. op. cit. obsistere affirmat eiusmodi excitationem invasioni fluidi extranei. Quod multo magis valet, si observemus interdum magnetizari absentes, inscios, imo et obsistentes, uti patet ex historia magnetismi. Item Dr. Nani in Tractato Teoricopratico di magnet. animale. Torino 1850. pag. 194. 195. aperte scribit: *Bisognerebbe trascrivere interi volumi, se si volessero citare i fatti dimostranti, che l'immaginazione delle persone magnetizzate non ha alcuna influenza sugli effetti che essi provano (e che il più delle volte sono ad essi sconosciuti). Le opere sul magnetismo pubblicate dal 1784. a questa parte ne sono piene.*

Digitized by Google

quod animale dicitur, existat in rerum natura necne; pluribus iisque doctis viris prorsus eius existentiam negantibus, ut superius innuimus, quibus plures alii adiici possent; [1]) secundo, quia et hoc dato, incerta adhuc eiusdem fluidi vis ac natura est. Nam alii volunt fluidum illud idem esse ac electricum aut æthereum; alii censent effectus mesmericos produci a principio nerveo aut musculo-motore; alii rentur effici a fluido Od nuncupato, aut Spirod, et ita porro, quin unquam inter se conveniant. Tertio, quia quodcumque fluidum admittatur, et cuiusvis naturæ ac indolis, nemo negaverit ipsum materiale esse. Ast si materiale est hoc medium, hoc ipso est iners seu destitutum spontaneitate, ac passivum est. Quod vero tale est, poterit quidem effectus seu phænomena physiologica producere, nullo vero modo producere valebit effectus psychologicos, qui extra ipsius virtutis ambitum continentur, cuiusmodi vidimus esse somnambulismi phænomena; non poterit somnum magneticum, lucidum præsertim, excitare; numquam par erit obiectis occultis, ac futuris detegendis, aliorum cogitationibus cognoscendis, aliisque miris operandis: essent enim totidem effectus qui superarent causam ipsam. Idem dic de actione in distans, de visione obiectorum absque ope sensuum, de sensuum translatione, ut quisque per se intelligit.

480. Itaque quamvis daretur nonnullos effectus mere physiologicos a fluido ceu causa materiali produci posse ex. gr. morborum curationem, somnum naturalem, partialem aut totalem, seu plenam catalepsin, nempe sensibilitatis defectum, aliaque his similia, prout in propositionis enunciatione innuimus; ast ceteris superioris ordinis phænomenis magneticis recensitis fluidum quodcumque materiale producendis impar omnino est. Atque hac de causa factum est, ut plerique magnetologi hanc hypothesim veluti absurdam reiiciant, [2]) ac systema fluidicum

---

[1]) Exemplo sint Müller Berolinensis professor in op. gallice converso: Manuel de physiologie. Paris 1851. cum suo annotatore Littré, qui tamquam inutile et scientiæ exitiosum eiusmodi fluidum magneticum repellunt. Item Am. Jacques in Théorie psychologique du magnétisme animal. Sic etiam in Revue nouvelle 1. Maii 1847. aperte dicitur: Le magnétisme animal est une chimère. Ita Roy Second in Gazette hebdomadaire de médecine et de chirurgie, qui cum recentioribus physicis pariter reiicit fluidum caloricum, luminosum, æthereum; ut omittam d'Orient, des Mousseaux, aliosque passim qui eiusmodi fluidum animale prorsus reiiciunt.

[2]) Cuiusmodi sunt recentiores plerique omnes magnetistæ, qui ob

Digitized by Google

pæne obsoletum sit. Una cum hoc systemate totus ille pariter concidit apparatus, quo olim consueverant fluidistæ suum fluidum communicare per catenulam, per passus, per contactum, manuum impositionem aut obductionem. Nam vix est, qui adhuc eiusmodi methodis utatur ad magnetizandum. [1])

481. Ut igitur paucis quod proposuimus conficiamus, ita concludimus: Si necesse est causam effectui alicui producendo idoneam admittere, cum talis esse nequeat sive magnetizans sive magnetizatus in subiecta de qua agimus materia; si talis præterea esse non possit fluidum magneticum nuncupatum, cuius problematica adhuc existentia est, problematica item natura, et, quod caput est, utpote materiale impar omnino sit effectibus psychologicis ac spiritualibus producendis, cuiusmodi in somnambulismo lucido præsertim cernuntur: fateamur omnino oportet, eiusmodi causam ad summum nonnulla quidem physiologica magnetismi ac somnambulismi phænomena producere posse, pleraque tamen eidem tribui nullatenus posse.

Difficultates.

482. I. Obi. 1° Nihil impedit quominus phænomena magnetica fluido animali aut electrico sive æthereo tribuantur; 2° Etenim compertum est, fluidum istud universam naturam in tribus regnis suis minerali, vegetali, ac animali pervadere, miramque eius vim esse. 3° Quod si hactenus eiusmodi vis incomperta nobis est quoad omnes effectus quos producere potest, exinde non sequitur ipsi non omnia phænomena magnetica tribui posse. 4° Ecquis enim ignorat adhuc nos latere omnes naturæ vires, seu quousque se natura protendat? 5° Sane si medio ævo sive vaporis condensati, sive telegraphi, sive photographiæ, sive alia eiusmodi phænomena obtigissent, portentis prodigiisque accensita fuissent aut magicæ arti, eo quod naturæ leges ignorarentur; ita fiet, ut quæ nunc temporis ope magnetismi efficiuntur, detectis legibus, quæ nos latent, patefiat ea naturalia prorsus esse. Ergo.

483. Resp. ad 1. Vel N. vel D. Nonnulla phænomena physiologica ac therapeutica fluido animali, electrico aut æthereo

effectus psychicos a magnetismo dimanantes deserentes hypothesim fluidicam, ad aliam se verterunt, ut Dupotet, Verati, aliique passim.

[1]) Uti iam ætate sua Deleuze in Historia critica magnetismi adnotaverat; multo vero magis discessum postea ab his methodis est.

Digitized by Google

tribui possunt, Tr. omnia prorsus phænomena magnetica. N. Transmisimus porro primum distinctionis membrum, cum fieri possit, ut physici effectus a physicis causis producantur in hypothesi fluidica: in quo profecto nihil est quod repugnet; tales vero essent effectus physiologici et therapeutici, qui utique a causa materiali, cuiusmodi esset fluidum, quocumque demum nomine designetur, et cuiusvis naturæ, dummodo existat, dimanare possunt. Verum quod omnia recensita phænomena in suo complexu spectata, a quocumque fluido tamquam a causa sufficienti effecta haberi aut possint aut debeant, omnino repugnat. Ut enim vidimus, plura in illis spiritualia sunt et a causa libera et intelligente dimanant, ut postea ostendemus: repugnat proinde ac implicat, effectum spiritualem a causa materiali immediate produci.

484. Ad 2. D. Ita tamen ut vim materialis, seu physicæ suæ naturæ non excedat; Tr. vel C. ut eam excedat ac supergrediatur N. Responsio patet ex dictis.

485. Ad 3. In sensu exposito N. ob intrinsecam repugnantiam, quam nonnulli effectus involvunt, ut a causa materiali producantur.

486. Ad 4. D. Et nos ignotis naturæ legibus innitimur ad denegandam omnium effectuum magneticorum possibilitatem a quovis fluido, N. innitimur legibus cognitis C. Quæcumque demum sint eiusmodi ignotæ naturæ leges, ad quas perpetuo appellant adversarii nostri dum aliter se extricare a difficultatibus nesciunt, numquam tamen naturæ ambitum excedent; excederent autem, si fluidum materiale produceret effectum spiritualem. Ceterum quamvis difficile nobis sit limitem definire, quo desinit ordo naturalis et incipit ordo præternaturalis, præsto nihilominus nobis sunt certi characteres quibus alterum ab altero apprime secernamus; quod plurimis exemplis e medio sumptis, et in ipsa natura conspicuis illustrari potest. Sic difficile est determinare punctum quo dies deficiat, ac nox incipiat; difficile item est in iride distinguere ubi unus color desinat alter vero succedat, attamen nemo est, qui non distinguat diem a nocte, colorem rubrum in iride a flavo, et ita porro.[1]) Vix

[1]) Cf. Pailloux Le magnétisme etc. Paris 1864. entret. 1. seq., ubi scite observat, nullum dari incognitum in natura, et quod uti novum inventum perhibetur, quoad substantiam iamdiu in germine notum fuisse. *Les forces inconnues de la nature,* scribit, *ne*

Digitized by Google

non obsoletum est argumentum istud de incognitis naturæ legibus, quo tantopere olim pseudophilosophi, nunc autem vulgares homines qui sapientum sibi nomen arrogant, abusi sunt et adhuc abutuntur.

487. Ad 5. D. Non exhibito criterio quo tuto facta naturalia a præternaturalibus secernantur, Tr. vel C. Hoc adscito, N. Jam vero eiusmodi criterium tale est, ut nos decipi non patiatur etiam in factis extraordinariis et actu incompertis. Nempe, cum natura necessario agat legibus sibi ab eius auctore præfixis, si eadem media adhibeantur, profecto eumdem constanter producent effectum. Hinc iteratis experimentis, eadem semper phænomena habebuntur. Quum agitur de rebus artificialibus aut naturalibus, quo tempore incipiunt tentari, iam eorum causa, saltem in germine, cognita est. Idque patet exemplis ipsis in obiectione propositis vaporis condensati, telegraphi, photographiæ; iam enim et vis aquæ evaporatæ, electricismi ac lucis proprietates perspectæ erant, nec agebatur nisi de earum applicatione. Certe si medio ævo dictum in abstracto fuisset, posse currus iter velocissimum sine equis agere, notitias paucis minutis ex dissitis locis haberi, retrahere obiecta sola luce quempiam posse, incredibilia proclamata fuissent; ast semel ac detecta inventio fuisset, et alicuius legis physicæ applicatio perspecta, nemo in memoratis phænomenis quidpiam præternaturale vidisset, et quemadmodum nunc temporis, sic medio ævo viventes ea in usum suum deduxissent. Idem contigisset et contingeret in phænomenis magneticis, si hæc a causa materiali profluerent ac necessario agente, secus ac contingere videamus. Dispar proinde inter utrorumque phænomenorum classem ratio omnino est.

488. II. Obi. 1. Inficiari nemo potest, per somnambulismum acquiri posse haud paucas cognitiones eorum, quæ prius late-

---

sont que la ressource des ignorants, et l'épouvantail des sots .... Et je prétends que, la nature toute entière étant à la destination de l'homme, et l'homme ayant atteint sa majorité, ses forces, comme des fidèles ministres, se sont présentés à lui dans leur substance même et leurs phénomènes générateurs, si non dans leurs détails, leurs perfectionnements et leurs applications aussi, par le monde entier; veillez bien l' observer, aucun génie ne fit jamais une découverte, qu'il ne l'eût trouvée à l'état de germe dans une connaissance antécédente, comme le chêne et renfermé dans le gland destiné à le produire. Quod deinde abunde evolvit.

Digitized by Google

bant tum magnetizantem, tum magnetizatum. 2° Nam exploratum est, fluidum hemato-nerveum aut æthereo-electricum, seu agens physicum animale, quovis nomine donetur, totum humanum corpus pervadere, utpote vinculum unionis corporis et animæ hominis, nempe coniunctum Aristotelis et S. Thomæ, a Deo datum uti famulum animæ, quo eius amplificat efficaciam, eoque anima utitur in dominio quod exercet in mundum ac fluidum ipsum. 3° Jam vero cum eiusmodi fluidum iuxta leges physicas electricitatis aut galvanismi tum alteri communicari possit, tum in alium transmitti, fit ut magnetizans suum fluidum modificatum communicare queat magnetizato, eique affectiones ac sensationes suas participare. 4° Cum insuper illud communicare ob eamdem rationem possit in distans, sic exponitur quomodo somnambulus magneticus possit in distans agere: præsertim cum eiusmodi fluidum ambiat totam hanc rerum universitatem, ac propterea continuum iugiter in se sit. 5° Eodem modo magnetizatus legere potest seu cognoscere cogitationes sui magnetizantis, ceterorumque qui cum eo communicant; [1]) nec non mediante hoc ipso fluido modificato in se ipso iuxta statum sanitatis ac infirmitatis potest percipere conditiones organorum, ex quibus fluidum egreditur, ac per consequens remedia quibus organa infirma indigent. 6° Quandoquidem autem corpora omnia in fluido æthereo mersa sunt, quod quadam ratione cuncta afficit ac modificat, exinde intelligitur quomodo somnambuli illud in se recipiant per quædam organa, quæ magis idonea sunt, ac percipiant præterea simul formas ac proprietates diversorum corporum. 7° Hac ratione pariter explanatur, quomodo hi somnambuli legant per occiput, per epigastrium, et etiam futura prænoscant; seu verius coniiciant maiori acumine ac certitudine quam ingenia præstantiora faciant per logicam causarum seriem; seu ratio haberi possit claræ intuitionis tum futurorum, tum retroactorum. [2]) Ergo.

---

[1]) Ita passim magnetologi fluidici innixi theoriæ physicæ experimentalis: Blainville, Legallois, Dupuy, Maupied etc.

[2]) Ita Mesmer, qui exsuscitavit penitus abolitam theoriam stoicorum de æthere seu fluido universali, veluti vitæ principio, quod informat naturam. Eiusmodi fluidum iuxta Mesmerum universim diffusum est, subtilissimum vivificansque omnia corpora, quæ per suum influxum possunt reagere in alia et in seipsa vicissim; et qua perpetua reactione alternante ad instar fluxus ac refluxus oriuntur mirabiles effectus. Hoc agens in nervos quos affectat; eius virtus potest communicari corporibus inanimatis ac se exercere in distans absque præsidio corporis intermedii; potest conservari, in unum

Digitized by Google

489. Resp. ad 1. D. Nemo insanus negaverit per somnambulismum magneticum acquiri posse haud paucas cognitiones, C. nemo prudens ac sanæ mentis N. Siquidem satis est quempiam sana mente præditum, vel ipso communi sensu pollentem esse, ut tamquam deliramenta reiiciat omnia, aut pleraque saltem somnambulorum magneticorum deprædicata portenta, quæ ope fluidi cuiusvis obtineri perhibentur, in ordine præsertim ad cognitiones rerum ignotarum. Sane, si eiusmodi cognitiones latent tum magnetizantem tum magnetizatum, quomodo a fluido ex uno in alterum deferri possunt? numquid fluidum eos in se includit ac producit? Seu, quod idem est, potestne res materialis in se includere aut producere rem spiritualem? Nihil absurdius dici posset aut fingi. [1])

490. Ad 2. D. Si daretur eiusmodi fluidum hemato-nerveum aut æthereo-electricum, Tr. si non datur, N. et negamus pariter consequentiam. Namque 1° exploratum est apud physicos, fluidum nerveum et fluidum electricum legibus invicem oppositis regi, adeoque fieri non posse, ut per modum unius aliquem producant effectum. [2]) 2° Dato etiam quod fluidum hematonerveum aut æthereum permeet ac pervadat totum humanum corpus, ac spectari possit veluti coniunctum Aristotelis et S. Thomæ ad intimam coniunctionem et operationem animæ in

---

colligi etc. Hoc systema, exceptis nonnullis modificationibus, adoptatum fuit a fluidistis magnetistis, a Tardy de Montravel, Ricard, Chardel, Charpignon, Lafontaine etc. prout Bizouard in op. cit. Des rapports de l'homme avec le démon refert et expendit lib. XXVI. ch. I. et ch. II. Nos paulo ante Mesmeri ipsius verba attulimus.

[1]) Hinc potius a nonnullis hæc facta utpote inexplicabilia negantur. Ex. gr. Lafontaine op. cit. insumit integrum caput, quod inscribit: Exagérations des magnétiseurs ad eliminanda pleraque phænomena a magnetistis decantata, concluditque pag. 26: *Ce sont ces foles exagérations, qui ont fait, et qui font encore tant de tort à la brillante découverte de Mesmer. Ce sont des motifs raisonables pour les corps des savants de repousser le magnétisme.*

[2]) Plura heic ex physicis possem ad hoc ostendendum afferre, cum omnes in hoc consentiant. Verum cum adeo incertum sit, num dentur eiusmodi fluida, prout paulo ante non semel adnotavimus, multo vero magis an detur fluidum magneticum animale, foret tempus frustra terere in his immorari. Cf. Caroli op. cit. part. II. pag. 119 seq.

Digitized by Google

corpore et cum corpore,[1]) inferri tamen exinde nequit, per eiusmodi fluidum, quodcumque demum sit, produci effectus spirituales, ut diximus, cum id metaphysice repugnet. Ceterum istud coniunctum tum Aristotelis tum S. Thomæ non est aliquod intermedium inter animam et corpus, cum iuxta Angelicum Doctorem anima coniungatur per se, ac proinde simpliciter est anima quæ agit in partes subtiliores corporis, ac per eas in partes grossiores.[2]) Has autem partes subtiliores vocat spiritum.

491. Ad 3. N. tum ob leges necessarias physicas, quibus fluidum electricum subest, ac proinde ad alicuius voluntatis nutum communicari seu transmitti in alterum nequit, tum etiam quia absurdum est, fluidum materiale imbibi affectione et sensatione alterius, ut deinceps has veluti deferat ac deponat in altero. Hæc enim totidem delirantium somnia sunt non secus ac communicatio et transmissio eorumdem per capillos, aliaque obiecta ad plures leucas in distans.[3])

492. Ad 4. Eadem esto responsio ob prænotatum absurdum, quod materia in quacumque hypothesi possit effectum spiritualem producere. Accedit, quod si reipsa fluidum æthereum universum permeat ac pervadit, tamquam continuum, tunc non amplius ageret in distans, cum ubique esset et ageret; prout adversarii affirmant, qui hoc sub respectu sibi contradicunt.

493. Ad 5. D. Si competere posset fluido aliqua cognitio, C.; si id metaphysice repugnet, et contradictionem involvat, N. Totum hoc fluidistarum systema eodem semper vitio laborat, a

---

[1]) Coniunctum a peripateticis dicitur natura, quæ resultat ex unione animæ et corporis, seu compositum substantiale quod vocamus hominem.

[2]) Cf. S. Thomas p. I. q. 76. art. 7. ad 2. En verba Angelici: *Subtracto spiritu, deficit unio animæ ad corpus, non quia sit medium, sed quia tollitur dispositio per quam corpus est dispositum ad talem unionem. Est tamen spiritus medium in movendo, sicut primum instrumentum motus.* Verum de hoc paulo post redibit sermo.

[3]) Cf. De la Rive, Traité de l'électricité théorique et appliquée. Paris 1856. tom. deuxième IV. part. chap. I. §. 6. Considérations générales sur le mode de transmission de l'électricité dans les corps et dans le vide, et sur quelques phénomènes moléculaires, qui en sont la conséquence.

Digitized by Google

quo numquam poterunt, ipsi se extricare, quin opus sit hæc longius persequi, eiusque stultitias singillatim urgere et evolvere. Quod vero speciatim attinet ad sensationes quas fluidum produceret in adversariorum hypothesi, hoc fluidum vel esset somnambuli ex quo transiret in infirmum, vel esset infirmi, ex quo transiret in somnambulum; porro neutrum serio dici potest. Nam si sensationes essent somnambuli, somnambulus ipse eas sensationes prius præ se ferret, ut posset per fluidum eas ipsas communicare alteri, et tamen contrarium accidit; quod si sensationes essent infirmi intelligi nequit, quomodo per fluidum somnambuli excitentur. Insuper si fluidum lege necessaria ac physica ageret, prout eius conditio postulat, numquam errari posset in morbis detegendis, in remediis idoneis assignandis, aliisque eiusmodi efficiendis; attamen experientia contrarium docet, cum sæpe errent somnambuli in istis, et duo diversi somnambuli passim circa eumdem infirmum inter se dissentiunt quoad statum pathologicum, ut alia prætеream.

494. Ad 6. et 7., nam eadem est utriusque difficultatis ratio, resp., tum incerta esse, quæ de his phænomenis a magnetologis prædicantur, tum etiam, admissa eorumdem veritate, imparem esse rationem, quæ iisdem producendis per fluidismum affirmatur ob intrinsecam repugnatiam. Totidem nugæ sunt affirmationes de dispositione sympathica inter agentem et patientem, quæ extendi deberet etiam ad personas ignotas, immo et magnetismo adversas; de visibilitate eorum, quæ non sunt, et de invisibilitate eorum quæ sunt ad arbitrium magnetizantis, aliaque eiusmodi adeo absona sunt, ut ea vel referre tædeat. Ecquis enim sanæ mentis sibi persuadebit, per materiale fluidum præberi futurorum, aut præteritorum intuitionem? Propriam alicuius sensus functionem in alium sensum transferri? Scilicet non organo ex. gr. naturalis intuitionis, seu oculorum, sed per occiput cernere imo interdum et per calcaneum, aut audire per pedes, manus ac digitos, non autem per aures, item cernere ac intueri accuratissime, quæ in aliquo cubiculo geruntur in distantia plurium leucarum, quandoque etiam in altera orbis parte vi nonnullorum obiectorum spectantium ad hominem individuum magnetizatum? Attamen hæc aliaque eiusmodi sunt phænomena, quæ fluido magnetico tribuuntur ab iis qui fluidistæ nuncupantur. [1])

---

[1]) Cf. Caroli loc. cit. pag. 342 seq., ubi accurate de his agitur; nec non Pailloux op. cit. Troisième entretien, potissime vero apud

Digitized by Google

Proporitio II.

Neque a causis naturalibus physiologicis mesmerica omnia phænomena repeti possunt.

495. Hæc propositio attingit potissimum phænomena psychologica somnambulismi magnetici sive subiectiva sive obiectiva tum inferiorum tum superiorum animæ facultatum. Adeoque ad hæc referuntur phænomena illa, in quibus anima præcipuam sibi partem vindicat, cuiusmodi sunt, quæ recensuimus claræ intuitionis, intuitionis in distans sive primi sive secundi ordinis, prævisionis futurorum, extasis magneticæ in varias classes distributæ, perinde ac extaticæ operationes.

496. His phænomenis magnetologi causas physiologicas assignant easque multiplices pro uniuscuiusque placito. Hæ porro revocari possunt 1. ad facultates latentes in anima ipsa, quæ ope mesmerismi evolvuntur et amplificantur;[1]) 2. ad effectus, seu manifestationes organorum sensorialium aut cerebralium, quæ vi status pathologici culmen attigerunt propriæ vitalitatis ac phænomenalis manifestationis;[2]) aut 3. ad reflexum aut repercussionem vel reverberationem, ut aiunt, idearum seu cogitationum magnetizantis in somnambulum;[3]) aut denique 4. ad hypnotismum, seu defixionem oculorum in aliquod lucidum obiectum, ex quo obtinetur suggestio muscularis.[4]) Præter has causas alias minoris momenti

---

Bizouard op. et loc. cit., quæque nos ad scopum nostrum vix attigimus.

[1]) Talis est sententia Charpignon nonnullorumque aliorum, qui censuerunt, eas esse quasi reliquias status primitivi Adæ ante eius lapsum.

[2]) Sic idem auctor, qui op. cit. pag. 282. scribit: *Les facultés que vous croyez latentes en l'homme ne sont pas des facultés, ce ne sont que des produits des appareils sensoriaux ou cérébraux montés par un état pathologique jusqu' à leur summum de vitalité, et de manifestation phénoménale.*

[3]) Ita plures rem exponunt in Journal du magnétisme. tom. XIV. pag. 555.

[4]) Hoc inventum debetur Anglo Braid, qui illud exponit in op. Neurypnology or the rationale of various Steep considered in relation Wich animal magnetism, cuius methodum et applicationem exhibet Carpenter la Eyclopædie of anatomy and physiology.

Digitized by Google

assignari consuevit, cuiusmodi est electro-biologia, seu suggestio magnetica, quæ agit super facultates intellectuales et morales. Nesciunt enim magnetologi quo se vertant. [1])

497. Si igitur ostenderimus, eiusmodi recensitas causas impares omnino esse magneticis somnambulorum physiologicis phænomenis producendis atque adstruendis, res confecta erit. Id vero ita evincimus.

498. Ac primo quidem quod attinet ad facultates latentes humanæ insitas naturæ, quæ ope magnetismi foras erumpant ac se manifestent, gratuita est hypothesis, quæ nulla probatione fulcitur, adeoque eodem iure negatur quo adstruitur. Verum et hac data, metaphysice repugnat facultatum intellectualium ac moralium, intellectus videlicet ac voluntatis, operatio aut eductio per somnambulismum magneticum. Hic enim provocatur ope rerum materialium, quæ agere debent in facultates spirituales, et quidem ab intrinseco, et ad normam physici agentis, id est, necessario. Porro ex dictis in præcedenti propositione, id involvit contradictionem. Hæc proinde causa effectibus somnambulismi magnetici assignari nequit. Quæri insuper potest primo, quomodo per tot secula eiusmodi facultates latuerint, quin unquam se manifestaverint; secundo, quomodo manifestentur vi illius fluidi de cuius reali existentia nondum constat, ut alia prætteream. Sic non persequor quæ de reliquiis status primordialis Adæ et Evæ nonnulli autumarunt [2]) perinde ac si protoparentes somnambulismo perfecto cum omnibus quæ eum comitantur instructi fuissent. Ceteris enim omissis, ipsi penetrassent in animam deceptoris serpentis, prævidissentque proprii lapsus sequelas, ac propterea numquam se decipi passi essent, [3]) prout eis accidit.

---

[1]) De his omnibus ac singillatim agit Bizouard op. et loc. cit.

[2]) Sunt qui in hanc ipsam opinionem concessise affirmant archiep. Parisiensem cl. memoriæ D. Sibour, ac P. Lacordaire.

[3]) Apposite Billot in op. Recherches psychologiques etc. Paris 1839. tom. II. p. 64. scripsit: *Ainsi, la faculté de prévision, et que par suite celle de prédiction n'appartiennent qu'à l'Être suprème; car si la faculté de prévision avait été départie à la créature, elle l'aurait été sans contredit au plus beau de tous les anges; et certes, Lucifer n'aurait pas hasardé le combat contre le Tout-puissant, s'il en avait pu prévoir l'issue. Nous en disons autant de nos prémiers parents, Adam et Eva, avant leur chûte. Le Créateur les avait doués, sans doute, de toutes les perfections dans leur état d'*

Digitized by Google

499. Sed neque hæc causa repeti potest ex statu pathologico. Enimvero si ita esset, nonnisi in subiecto morboso phænomena de quibus agimus, obtineri possent; atqui exploratum est, atque ipsi magnetologi non fatentur modo, verum etiam ultro contendunt, indiscriminatim tum in infirmo tum in benevalente subiecto illa psychologica phænomena produci, atque quotidiana experientia id ipsum patefacit, quum plenius quandoque obtineantur in sanis quam in infirmis. Certum præterea est, phænomena mesmerica pathologica cessare, si infirmi ad medicam curam recurrant. [1])

500. Accedit, ingens interponi discrimen inter phænomena pathologica et mesmerico-psychologica; illa enim a causis physicis, constantibus, atque idcirco necessariis proveniunt: contra vero mesmerica somnambulica a voluntate pendent magnetizantis, in immensum variant in diversis subiectis: interdum deficiunt, sæpe errant. [2]) Demum, ceteris omissis, hæc eadem phænomena non minus in somnambulis magneticis, quam in plene vigilantibus contingere solent. [3]) Ex quibus omnibus aliisque permultis, quæ urgeri possent, rite infertur, haud esse eiusmodi phænomenorum causam in somnambulismo pathologico aut sensitivo reponendam.

501. Idem ferri iudicium debet de reflexu, aut repercussione ac reverbaratione idearum seu cognitionum magnetizantis in somnambulum. Nam præterquam quod eiusmodi metaphoricæ locutiones locum habere nequeunt, ubi substrata materia eas non patitur, ut in casu nostro in quo agitur de actibus mere spiritualibus, absurditates includunt. Absonum siquidem est affirmare cogitationem, quæ operatio animæ est corpus informantis, et quæ actus est vitalis ac immanens alteri communicari absque aliquo externo signo; absonum est vel fingere, quod propter eiusmodi repercussionem cogitationum magnetizantis possit somnambulis præbere responsa quæ satis-

---

innocence. Ils etaient en communication avec les Chérubins, ils entendaient la voix du Tout-puissant, cependant ils ne prévirent pas leur chûte. Ils crurent aux belles promesses du prévaricateur, et ils perdirent pour toujours la plus belle de toutes leur prérogatives.

[1]) Ita Charpignon op. cit. p. 282—85. aliique magnetologi passim.

[2]) Sic in Luce magnetica art. II. n. 12. p. 47.

[3]) Haud pauca exempla profert Reichenbach apud Caroli op. cit. pag. 392 seq.

Digitized by Google

faciant sciscitanti, cum eiusmodi repercussio seu reverberatio, aut reflexus non aliud eliciat quam iterationem factæ interrogationis, prout contingit in eclio, aut in reverberatione lucis per angulum incidentiæ; absonum seu absurdum est, responsiones somnambuli excedere cognitiones magnetizantis, prout contingere passim consuevit. Multo vero magis absurdum istud ex eo deprehenditur, quod somnambulus magneticus sæpe manifestet ac revelet, quæ magnetizanti ignota prorsus erant. Possem hæc ulterius persequi, ast quæ attuli abunde ostendunt, ex hac hypothesi reverberationis, haud posse causam phænomenorum psychologicorum somnambulismi magnetici desumi.[1])

502. Multo vero minus somnambulicorum phænomenorum causa agnosci potest in illa, quam vocant, transmissione cogitationis magnetizantis in somnambulum. In hoc systemate illa eadem absurda logica et metaphysica, quæ in præcedenti hypothesi adnotavimus, apprime cadunt, atque omnia in eo reperiuntur. Reperitur enim absurdum de transmissione cogitationis aliter quam per signa in præsenti humanæ naturæ conditione seu œconomia, iuxta quam nihil in animam nisi per sensus intrat, ac nihil exit nisi per sensus. Deberet præterea in hac sententia admitti actio in distans, quæ repugnat ex philosophorum et theologorum consensu,[2]) cum magnetizans distat a magnetizato in quem intendit suam transmittere cogitationem. Item absurdum deberet pariter admitti de ampliori cogitatione in recipiente quam in transmittente seu infundente; nempe effectus excederet causam, in qua contineri debet. Ex his igitur animadversionibus, quæ in omnium oculos incurrunt, ut reiiciamus et hoc systema necessario inducimur.

---

[1]) De quo argumento copiose et accurate agit Monticelli in op. Sulla causa dei fenomeni mesmerici. Bergamo 1856. part. IV. cap. III. Penetrazione del pensiero, ubi expendit quæ a Doctore Nani aliisque magnetismi fautoribus afferuntur ad aburdam eiusmodi penetrationem cogitationis persuadendam; omnique argumentorum genere eam excludit, atque ita rem conficit, ut omnem adimat tergiversationi locum.

[2]) Ibid. tom. I. part. III. cap. I. §. 1. pag. 148 seq., ubi pluribus argumentis deductis ex ipsa rei natura doctus auctor refellit Dupotet ceterosque eiusdem hypothesis adstipulatores contendentes, posse magnetizatorem solo immediato voluntatis actu producere effectus in obiecta externa, seu agere in distans absque medio, idque repugnare evincit ineluctabiliter.

Digitized by Google

503. Restat ut repudiemus postremam a nonnullis magnetologis assignatam causam somnambulismi phænomenis exponendis, quæ in hypnotismo seu somno consistit,[1]) quatenus excitatur per fixam intuitionem seu oculi ac mentis obtutum in aliquod obiectum, quo somnambulus ab omni alia re et cogitatione abstrahatur. Porro etiamsi daretur, hæc aliaque his similia posse effectus aliquos physiologicos producere, cuiusmodi esset ex. gr. suggestio muscularis, seu si placet, contractio aut dilatatio musculorum, cum aliqua reperiatur inter causam et effectum proportio, numquam vero poterunt esse aut dici causa effectrix phænomenorum psychologicorum, de quibus agimus. Nam præterquam quod per hypnoticam methodum excitari nequit somnambulismus magneticus, a quo illa apprime distinguitur, ac impar proinde est ad somnambulica phænomena psychologica producenda:[2]) intrinsece id ipsum constat, quod contendunt huius hypothesis auctores, quia contra hypnotismum eadem argumenta valent, quibus magnetismum animalem ipsum impugnavimus, atque illud potissime quod effectus excederet causam. Eadem ratione exploduntur invecta cetera systemata de electro-biologia, deque suggestione magnetica, et si qua sunt alia excogitata ad reddendam rationem ætiologicam phænomenorum somnambulismi psychologici. Siquidem omnia eodem vitio laborant, quin opus sit in his diutius frustra immorari.[3])

Cum igitur constet, impares omnino prorsus esse hypotheses recensitas ad causas assignandas phænomenis mesmericis psychologicis, hoc ipso elucet veritas propositionis nostræ.

---

[1]) Ex græco ὕπνος, somnus, cuius systematis auctorem vidimus esse Braid, cui accessit Carpentier, et ipsum exponit Lafontaine in op. cit. l'art. de magnétiser ch. XII. effets du bouchon, cuius processum describit. *M. Braid,* scribit, *prétendait qu'en faisant regarder le bout d'un bouchon planté sur le front, il provoquait tous les phénomènes du magnétisme;* concluditque eum evanuisse in suis experimentis.

[2]) Prout declarat Lafontaine l. c., qui adstitit experimentis doctoris Angli Braid, in quibus numquam somnambulismum obtinere potuit; ita ipse pag. 261 seq., qui addit se centum eoque amplius experimenta tentasse, quin ullum obtinuerit effectum.

[3]) Cf. de his Caroli op. cit. pag. 449 seq., ubi singula eiusmodi systemata apprime discutiuntur; prout etiam præstitit Monticelli op. cit. part. III. cap. I seq.

Digitized by Google

Difficultates.

504. I. Obi 1° Nihil vetat, quominus causis in anima latentibus tribuantur phænomena psychologica. 2° Etenim eiusmodi causæ non sunt nisi reliquiæ quædam, si ita loqui fas est, status felicitatis integræ naturæ in quo protoparentes constituti sunt in terrestri paradiso. 3° Licet vero ab illo statu primi parentes exciderint, non ita ipsorum natura deformata est, ut nonnulla saltem status illius vestigia permanserint. 4° Hoc solum intercedit discrimen inter statum naturæ integræ, quoad has causas, et statum naturæ lapsæ, quod nunc opus sit somnambulismo magnetico ad eas excitandas, tunc vero eædem causæ exercerentur in plena vigilia absque ullo magnetico apparatu ex ingenita integræ naturæ efficacitate.[1]) Ergo.

505. Resp. ad 1. Neg. Siquidem omnia hæc innituntur hypothesi, quæ gratuita est, quæque nonnisi sero, seu posteriore sæculo exeunte et hoc nostro labente fuit excogitata ac reperta; quæ intrinsece præterea repugnat; quæque demum impar prorsus est, ut vidimus, phænomenis psychologicis explicandis.

506. Ad 2. seu ad 1. prob. N. Nam dici nequeunt eiusmodi causæ sub ullo respectu reliquiæ adamiticæ, ut adversarii loquuntur, sive spectantes ad naturalem protoparentum conditionem, sive spectantes ad eorum elevationem. Non quidem ad statum naturalem, quia adhuc post lapsum integræ permansissent, prout essentialia naturæ tum in angelis tum in homine post prævaricationem integra permanserunt. Reperirentur præterea in omnibus hominibus: quod tamen vel ipsi magnetologi negant, ac ipsa insuper experientia plane demonstrat. Non ad eorum elevationem, quæ ordinata est ad intimam cum Deo supernaturaliter cognito coniunctionem per gratiam originalem, cui adnexa erant dona præternaturalia scientiæ, integritatis, im-

---

[1]) Ita Lafontaine, qui op. cit. pag. 349. hunc refert tractum ex P. Lacordaire ex conferentiis eius habitis in metropolitana ecclesia Parisiensi: *Dieu a voulu que cette force (magnétique) existait, pour montrer au matérialisme, qu'en dehors de la foi il y a cependant sur la terre des restes de la puissance adamique, des restes du paradis terrestre, qui marque la puissance de notre âme, et prouvent qu'elle n'est pas tout à fait courbée sous le joug, qu'il y a quelque chose au-delà de la mort.*

Digitized by Google

munitatis a doloribus et morte, ac demum immunitatis a dominatione concupiscentiæ super rationem, ut theologi suo loco ostendunt.[1]) Jam vero nullis his donis adnexa est facultas magnetica una cum phænomenis quæ ipsi tribuuntur, prævisionis nominatim:[2]) alioquin protoparentes, et ante ipsos angeli mali suum lapsum prævidissent cum consentariis suis.

507. Ad 3. N. Etenim si sermo sit de elevatione, certum est, per peccatum protoparentes eorumque posteros ab eo penitus excidisse, gratiamque originalem atque adnexa dona prorsus amisisse: si vero sermo sit de natura in se, etiam dato, quod ea aliqua ex parte fuerit attenuata (quod tamen alii gravissimi theologi negant), cum tamen ex dictis naturæ humanæ haud competere possit facultas magnetica, illa profecto præditi Adæ posteri nec sunt, nec esse possunt. Sed neque reperiri potest in natura reparata, seu in iis qui in statu gratiæ inveniuntur, tum quia in solis iustis facultas magnetica et somnambulismus haberentur: nemo porro contendit totidem iustos et sanctos, et quidem exclusive, esse somnambulos; tum quia isti numquam veritati, honestati, ac religioni in suis visionibus ac responsionibus adversari possent: luctuosa nihilominus experientia contrarium evincit.[3])

508. Ad 4. Negamus gratuitam ac falsam suppositionem, ut patet ex hactenus discussis, quin in illa refellenda tempus frustra teramus.

509. II. Obi. 1° Saltem ex psycho-pathologia rite mesmericorum phænomenorum eruitur causa. 2° Ecquis enim ignorat, eos effectus quos somnambuli præbent ex statu pathologico produci, uti intuitionem ex. gr. in distantia, atque intermediis corporibus opacis, item inspectionem cogitationum alterius? 3° Medicæ sane artis peritissimi id aperte profitentur. 4° Quare fatendum ingenue est, nulla esse psychologica phænomena, quæ a pathologia repeti nequeant. 5° Præsertim si in subsidium vo-

---

[1]) Cf. tract. de Deo creatore part. III. cap. II., ubi hæc omnia exposuimus ac ostendimus.

[2]) Ubi P. Lacordaire, qui post recitata verba immediate subdit: *Oui, je crois à cela de tout mon cœur. Mais c'est là, remarquez-le tout d'abord, un phénomène de vision, et non d'opération, qui appartient à l'ordre prophétique, et non à l'ordre miraculeux. C'est un phénomène par lequel on voit, mais non pour lequel on agit.*

[3]) Prout fatentur vel ipsi magnetologi, et nos de his suo loco agemus.

Digitized by Google

cetur odicum fluidum, quod universum pervadit, ac per quod extraordinaria plane phænomena producuntur, ac omnes mesmerici effectus explicantur seu exponuntur. Ergo.

510. Resp. ad 1. Neg. Nam nullam prorsus inter se phænomena pathologica et mesmerica necessitudinem præ se ferunt, sed aliquam tantum extrinsecam similitudinem. Disparitates quas adduximus inter pathologismum et mesmerismum id luculenter evincunt. Et sane illa sunt necessaria, hæc vero libera; illa ex physicis legibus, hæc ex voluntate ac arbitrio magnetizantis dependent; illa in infirmis tantum, hæc in sanis etiam obtinent, et ita porro.

511. Ad 2. D. Id est interdum in statu pathologico nonnulli similes effectus contingunt iis quibus obnoxii sunt somnambuli magnetici, C. cum pathologicis effectus mesmerici ut identici confundendi sunt, N. Fieri utique potest, ut nonnulla extraordinaria facta ex quibusdam infirmitatibus ortum habeant, ex. gr. ex hysterismo, ex catalepsi etc., quæ similia apparent illis, quæ in magneticis somnambulis evenire consueverunt; at exinde inferri nequit, mesmerica ab iisdem causis provenire, multo vero minus omnia, uti ostendimus. [1])

512. Ad 3. D. Nonnulli similitudinis specie, quam utraque phænomena interdum præ se ferunt, decepti, C. plerique, re melius perpensa, N. Profecto non defuerunt ex medicis, qui inspecta similitudinis specie quam præ se ferunt phænomena pathologica et mesmerica, inducti sunt ad profitendam eorumdem identitatem in eum finem, ut sese opponerent magnetismo animali, cui infensi erant; at postea compertum est ex characteristicis utrorumque notis, alia ab aliis esse omnino dispescenda.[2])

513. Ad 4. Neg. sequelam; responsio patet ex dictis.

514. Ad 5. D. Si reale esset eiusmodi fluidum odicum nuper excogitatum, [3]) Tr. si non existat nisi in inventoris ima-

---

[1]) Eo ipso quod eiusmodi phænomena in perfecte sanis quandoque eveniant ac producantur.

[2]) Cf. Caroli op. cit. pag. 387 seq., qui pluribus ex Charpignon, Verati etc. hoc argumentum persequitur.

[3]) Vox Od est sanscritica, significatque agitationem cui resisti nequeat, ut exponit Reichenbach, qui huic fluido imponderabili tribuit proprietates prorsus singulares: penetrat substantias omnes, nullibi congeritur, in nullo corpore condensatur, nemo potest illud a ceteris separare, aut firmare. Cf. Lettres odiques, magné-

Digitized by Google

ginatione, N. Addo, hac in hypothesi urgeri eiusmodi causam illis ipsis difficultatibus, quas adversus causas fluidicas attulimus.

515. III. Obi. 1° Non destituitur sua probabilitate hypothesis reflexus seu reverberationis cogitationum magnetizantis in suum somnambulum ad rationem exhibendam phænomenorum psychologicorum. 2° Etenim magnetizans dominatur perfecte in somnambulismo, magnetizatum extra se quodammodo rapit, ita ut iste non communicet nisi cum suo magnetizante, qui sensa sua, cogitationes, voluntatem ipsam eidem imponit, et hac ratione eum ad summam elevat potentiam. Somnambulus in tali constitutus conditione vagatur per spatia in distans, plura ignota detegit suoque vicissim ea revolvit magnetizanti. Eadem ratione per affinem hypnotismum eadem phænomena psychologica mesmerica exponuntur perinde ac per transmissionem cogitationum alterius in alterum.

516. Resp. I. generatim D. Et eiusmodi hypotheses evincunt summam omnino insuperabilemque difficultatem, in qua versantur magnetologi ad dandam rationem phænomenorum de quibus agimus, C. veras causas assignant, N. Adeo enim futilia, contradictoria et nugacia sunt, quæ afferuntur, ut ea vel attulisse refellisse sit. Ceterum

517. Resp. II. ad 1. N. Concipi enim non potest, quomodo prætensus hic reflexus seu repercussio cogitationum unius queat in altero agere absque earumdem cogitationum ac idearum, quæ subiectivæ sunt, manifestatione, et quidem per signa externa. Sic enim vera philosophia docet. [1]) Ideæ subiectivæ et cogitationes personales sunt, easdem repugnat fieri alterius. Demum, ceteris omissis, fieri nequit, ut determinatæ, seu limitibus suis adstrictæ cogitationes se in alienum subiectum extendant, aut amplificent cogitationes alterius. Contrarium adstruere adversatur metaphysicæ ac logicæ.

---

tiques du Chev. de Reichenbach. Juxta Cahaguet Od est spiritus Dei, spiritus universalis, æther, fluidum electrico-magneticum, fluidum vitæ. Ita in lettres odiques de Cahaguet pag. 101. 102. Juxta eiusmodi auctores Od est totum quoad intellectum, voluntatem, corpus etc. Ast existitne istud mirabile Od? Puto non existere in rerum natura, sed in sola phantasia delirantium. Cf. Des Mousseaux. Mœurs et pratiques des démons. Paris 1854. ch. XXV.

[1]) De argumento late disserit Monticelli op. cit. part. IV. cap. III. Penetrazione del pensiero.

Digitized by Google

518. Ad 2. N. Hæc enim omnia non præ se ferunt nisi nugas et delirantium somnia. Qui enim fieri potest, ut aliquis cogitans sibi alium subiiciat, eique dominetur, et efficiat ut somnambulus præterita aut futura prospiciat, cernat invisibilia? quin etiam hos ipsos effectus magnetizans producat, etiamsi ipse pluribus leucis a suo somnambulo distet? quod præterea eidem somnambulo tollat seu eripiat suam personalitatem, ac eodem tempore ipsam elevet ad altiorem potentiam? Nonne hæc aliaque his similia contradictoria sunt, ac delirantium somnia?

519. Cum vero his affinia sint quæ de hypnotismo prædicantur, qui gratuitus est ac omni destitutus fundamento, si excipias fœcundam eius inventoris imaginationem ac phantasiam, ideo nos abstinemus ab eius speciali impugnatione. [1]) Idem dic de suggestione musculari, de suggestione magnetica, de electro-biologia aliisque eiusmodi, quæ eisdem difficultatibus scatent, et nunc passim a magnetologis reiiciuntur.

520. Instant: Atqui cogitationis penetratio non modo nihil habet quod repugnet, verum etiam quod non possit facile explicari. Etenim qui ea interdum somnambuli præditi sunt, intueri ac legere possunt signa illa, quæ iuxta phrenologiam singulis cogitationibus respondent; siquidem omni humanæ facultati ac tendentiæ respondeat in humano cerebro imago, impressio, signum, seu hieroglyphicum materiale quod a mente perspicaci atque tali capacitate donata tum perspici tum legi potest, ac proinde respondens eidem imagini aut hieroglyphico

---

[1]) Et reipsa de Braid, huius novæ methodi inventore, scribit Lafontaine op. et loc. cit.: *Malgré cela son système tomba promptement pour ne pas se relever. Il se rendit à Londres pour y essayer sa prétendue découverte, mais il fut baffoué, et se contenta de traiter à sa manière à Manchester.* Hisce non obstantibus post Lafontaine non defuerunt, qui experimenta hypnotismi resumerent, ac mira de eo prædicaverint, ac hypnotismum anteriorem ipso Braid proclamaverint. Comes de Gesta ex Cagliostro se accepisse hoc inventum iactavit, et quidam Asdile in Indiis orientalibus, mediante quodam nigro ipsius famulo, Calcutiæ et alibi plures hypnotizavit. (Vid. Georges Bell le miroir de Cagliostro pag. 43 seq.) Dr. Gigot-Suard an. 1860. opusculum edidit de hypnotismo contenditque, hypnotismum palmam præripuisse magnetismo; idem præstitit Alfredus Maury in opusc. Le sommeil et les rêves c. XI. Cf. Bizouard op. cit. Des rapports de l'homme avec le démon. tom. V. liv. XXVIII. p. 569 seq.

Digitized by Google

cogitatio aut iudicium deduci. Tali porro mente fruitur somnambulus magneticus.[1]) Ergo.

521. Resp. I., heic plura assumi, quæ aut incerta, aut plane falsa sunt. Ac 1° estne certum atque exploratum, cogitationibus singulis et cuilibet humanæ tendentiæ respondere imaginem materialem aut hieroglyphicum in cerebro? Tantum abest, ut id demonstretur, ut potius contrarium evincatur. Siquidem idea abstracta nullam impressionem de se relinquit, obiectum intelligentiæ semper est insensibile, causa immediata ac proxima motuum cerebralium non est cogitatio in se, utpote pure spiritualis et ab actibus phantasiæ distincta; sic perceptio spiritualis, quæ est expressio mere idealis, ac sua cognitio. 2° Falsum præterea est, cogitationes omnes omnesque ideas, multo vero minus omnes voluntatis actus semper exprimi in imaginatione ac per locutiones internas.[2])

522. Resp. II. Dato etiam, quod nonnullis cogitationibus respondeant in encephalo imagines, signa, hieroglyphica, numquam tamen quispiam poterit istorum cognoscere significationes, nisi antecedenter cognoscat mutuas relationes, quæ intercedunt inter eiusmodi signa et ideas eisdem respondentes. Jam vero

---

[1]) Ita quidem Dr. Nani, qui Trattato teorico-pratico di magnetismo animale. Torino 1850. pag. XXXIX. scribit: *Questo è uno degli antichi errori dei teologi nati dall' esser eglino stati per lo passato meno periti in antropologia ed in ideologia di quel che comunemente è oggi. Infatti le dottrine odierne han messo in chiaro che nell' uomo ad ogni atto della mente va unito un cambiamento fisico del sensorio cioè del cervello, il qual mutamento forma il geroglifico materiale, che corrisponde a ciascuna percezione intellettuale. Così il pensiero è fisicamente stampato sempre nei penetrali dell' encefalo, e non vi è alcuna assurdità nell' asserire, che ivi può essere letto da Satana.*

[2]) Quo referuntur, quæ in sua Filosofia fondamentale animadvertit cl. Balmes lib. IV. cap. 28 seq., ubi scribit: *È vero che in generale non pensiamo senza parlar interiormente; ma come si è osservato più sopra, la parola è un segno arbitrario, e per conseguenza non può stabilirsi un parallelismo del tutto esatto fra le idee, e la locuzione interiore. Pensiamo con una instantaneità che non avviene con la successione delle parole per rapide che le supponiamo. È vero che la locuzione interna è più pronta dell' esterna; ma sempre implica successione, ed esige più o meno tempo secondo le parole, che si hanno da succedere.*

Digitized by Google

somnambuli penitus ignorant has relationes, tum quia ut plurimum versati non sunt in philosophicis, psychologicis ac physiologicis rebus, tum quia potissimum nemo prorsus scientiam potest eiusmodi callere ob impenetrabile velum, quod ex confessione etiam physiologorum omnium, tegit nexum eiusmodi signorum cerebralium, si qua dentur, cum operationibus spiritus invisibilis intelligentis.[1]) Ecquis enim novit motus materiales, contractiones, dilatationes, oscillationes, vibrationes hoc potius quam aliud significare? Accedit, verba esse signa arbitraria et, ut aiunt, conventionis: adeoque et arbitrarius est nexus verborum et rei per verba significatæ, quomodo igitur poterunt somnambuli cognoscere has significationes, si præsertim ignorent linguam magnetizati et magnetizantis? Repugnat igitur quaquaversus in præsenti humanæ naturæ conditione, ac physice impossibile est, ut detur illa cogitationum penetratio magnetica ex parte somnambuli.[2])

523. Resp. III., ex divina revelatione constare, nonnisi Deum cognoscere internas hominum cogitationes. Hinc apprime Suarez, qui abstrusam hanc quæstionem expendit, utrum angeli, ac proinde dæmones liberas hominum cogitationes cognoscere possint, ad rem nostram ita concludit: *Dico, non posse*

---

[1]) Quod vel ipse Bellangerius fatetur scribens: *Que ce passe-t-il dans un cerveau, qui pense (cerebrum quod cogitat!!!), quelle est l'action moléculaire ou fibrillaire, qui donne naissance à un désir, une émotion, un sentiment?.... Nul ne le sait. Nous n'avons sur ce point, ni soupçons, ni aperçue d'aucun genre, notre ignorance est absolue; nous sommes ici dans la nuit, la plus profonde nuit.* Apud Caroli tom. II. pag. 97. in nota.

[2]) Cf. Monticelli, qui loc. cit. tres has statuit fundamentales propositiones, quas deinde copiose evolvit: *1⁰ Il pensiero non è l'immaginazione, nè le idee intellettuali possono confondersi coi fantasmi dell' immaginazione. 2⁰ Benché l' immaginazione accompagni l' intelligenza, i moti materiali però del cervello non si associano alla mente in quanto intende, ma solamente in quanto immagini: 3⁰ Posto che a ciascuno determinato fantasma dell' immaginazione corrisponda constantemente una determinata mutazione del cervello, dalla mutazione del cervello si potrà bensì inferire qual sia il fantasma dell' immaginazione, ma non già con certezza dai fantasmi dell' immaginazione si potrà dedurre quali sien le idee intellettuali e il pensiero, essendo falso che a ciascun' idea intellettuale corrisponda determinatamente e costantemente lo stesso fantasma dell' immaginazione.*

Digitized by Google

angelum naturaliter intueri et cognoscere certo et evidenter actum in se seu liberum voluntatis nostræ, nisi ipsi manifestetur ab habente istum actum liberum. Hoc generaliter sic sumptum censeo de fide, licet forte sit diversitas in modo explicandi. Occulta cordis etc. I. Cor. XIV. Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum. III. Reg. VIII. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. II. Paral. VI. Item Jerem. XVII. Quis cognoscet etc. Item Ps. VII. et XLVI. Juxta scripturam proprium est solius Dei occulta cordium intueri, idque evangelistæ tribuunt Christo ut certum eius divinitatis signum. Matth. IX. et XII. Luc. XI. et XVIII. Ita etiam omnes Patres etc. Hactenus ipse.[1]) Quodsi nec angeli, nec dæmones possunt hominum cogitationes intueri, profecto multo minus somnambuli qui homines sunt, seu longe inferioris naturæ.

Propositio III.

Voluntas humana neque immediate per se, neque per vim motricem animæ propriam potest esse causa physica phænomenorum mesmericorum, sed moralis tantum et mediata.

524. Cum magnetologi ob insitas difficultates, quas experti sunt in systemate fluidico, aut in sympathia, aut in facultatibus reconditis psychologicis ad reddendam rationem effectuum mesmericorum, neque causam idoneam repererint effectibus illis producendis, verterunt tandem se ad vim indefinitam facultatis volitivæ magnetizatoris ad id assequendum. Ecquis potest, aiunt ipsi, limites figere voluntatis viribus? Velitis et credatis: hæc formula est a non paucis usurpata ad rationem reddendam cuiuscumque phænomeni magnetici.

525. Jam vero nos haud inficiamur, immo contendimus et suo loco ostendimus, voluntatem sive explicitam sive implicitam in his phænomenis partem suam habere, prout ipsa movet moraliter causam intelligentem ab anima humana distinctam ad eiusmodi phænomena producenda. Illud modo asserimus, voluntatem nullo pacto his phænomenis efficiendis parem esse sive immediate per se, et actibus a se elicitis, sive mediate per vim motricem ipsi subiectam.

526. Ut autem perspicue et ex ordine procedamus, necesse est nonnullas præmittere notiones causæ immediatæ et

---

[1]) Tom. II. de angel. lib. II. cap. 21.

Digitized by Google

mediatæ, nec non physicæ et moralis. Porro causæ efficientis generice sumptæ nomine, de qua hic agimus, venit id a quo aliquid fit; ac propterea causæ efficientis propria est activitas, seu vis agendi: hæc autem potest aliquid efficere aut per se et immediate, ex. gr. legere, scribere etc., quo in casu habetur causa efficiens principalis, a qua nempe effectus primario dependet, et causa immediata nuncupatur; aut potest efficere mediante aliquo instrumento seu medio, et ea est, quæ instrumentalis audit, quæque a principali movetur ac regitur, uti ex. gr. est calamus, serra etc., quo in casu respectu ad effectum qui producitur causa mediata vocatur. Causa physica ea est, quæ effectum parit virtute propria sive principali, sive instrumentali; moralis, quæ virtute propria nec producit effectum, nec ad illum producendum ullo modo cooperatur, sed solum aliam causam, aut aliam potentiam eiusdem suppositi aliquo modo inducit ad operandum. Hoc pacto imperium, consilium, minæ, preces sunt causæ morales, quatenus alterum ad operandum movent; sic etiam merita vel demerita præmiorum aut pœnarum sunt causæ morales. Immo etiam voluntas est causa moralis actuum, qui a ceteris potentiis ipsa imperante eliciuntur, quique propterea imperati nuncupantur. Idcirco in definitione dictum est, causam moralem inducere ad agendum vel aliam causam, vel aliam potentiam eiusdem suppositi. Ex quo patet, causam moralem inducere posse ad agendum tantummodo causas illas, quæ cognoscendi facultate pollent. Siquidem eius efficacia non continetur impulsu physico, sed exercetur in vires physicas alterius, mediante eius cognitione. Quibus notionibus præmissis, quæ notæ sunt penes omnes philosophos, [1]) sic progredimur:

527. Ex datis causæ immediatæ ac mediatæ, item physicæ ac moralis notionibus aperte colligitur, eas præ se ferre characteres sibi oppositos, quibus ab invicem discriminantur. Etenim 1° ut quis operetur physice, non sufficit ut effectum velit, sed debet illum de facto producere, et actio quæ producitur necessario habere physicam efficaciam debet, quæ effectui producendo par sit; non ita vero, si quis operetur moraliter: ad hoc enim sufficit velle, quod notum sit illi qui exequi debet suis viribus quod alius vult. 2° Fieri nequit, ut quispiam physice operetur per instrumentum quod ignorat quale sit, nec

[1]) Cf. Tongiorgi Institut. philosoph. vol. II. Ontologia. Romæ 1861. lib. II. cap. V. art. 2. De causa efficiente.

Digitized by Google

illud videat aut tangat, nec sentiat ullo modo; ad operandum vero moraliter, seu ad operationem moralem hæc minime requiruntur: siquidem etiam aliquis incognitus potest executioni mandare, quod ei præcipitur. 3° Nullus physice effectus produci potest, quin determinetur qualis sit in particulari inter multos æque possibiles, qui produci possunt; non ita res procedit quoad effectum moraliter producendum, cum intentioni ac voluntati generice manifestatæ possit executor addere in actu particulares determinationes. 4° Demum produci physice nequit effectus, qui quamvis notus sit ob suas qualitates externas ac sensibiles, non agnoscitur tamen modus illum producendi: quæ cognitio ad operandum moraliter non est necessaria, cum sufficiat, ut notus sit ipsi executori. [1])

528. Probatur nunc propositio quoad primam partem. Hæc evincitur I. ex eo, quod facultas motrix seu facultas exequendi in nobis distincta omnino sit a voluntate ipsa, quæ instar reginæ imperat ac principatur tum facultati motrici, tum facultati appetendi, tum reliquis omnibus, quæ ab ea pendent.[2]) Facultas proinde volendi est activa ac elicit actus sibi proprios, qui elicitivi hoc ipso dicuntur, et causa immediata et physica suarum volitionum. Contra vero facultas motrix est passiva respectu voluntatis, et exequitur quod ipsi a voluntate imperatum est. Vis motricis facultatis propria animæ radix est et principium, materialis autem eius sedes et instrumentum sunt musculi. Horum namque musculorum contractio, ossa, vel organa quibus ii adhærent, dimovet, atque hoc pacto membrum movetur. Voluntas igitur imperat facultati motrici, quæ immediate exequitur quod ei mandatum est, ac proinde voluntas in his motibus est causa mediata et moralis, vis vero motrix est causa immediata et physica eorumdem. [3])

---

[1]) Quæ nos pro instituto nostro vix attigimus, præclare evolvuntur in Civiltà cattolica. tom. VIII. serie III. in art. Intorno alle cause dei fenomeni mesmerici pag. 342 seq., ubi in compendium rediguntur, quæ fuse hoc de argumento docteque scripsit cl. Monticelli in op. cit. Sulla causa dei fenomeni mesmerici. part. II. capp. I. II. et III.

[2]) Cf. Tongiorgi op. cit. vol. III. cap. XI. art. VII. De facultate motrici n. 546., nec non Suarez De anima. lib. V. cap. X., ubi analytice per varias conclusiones totum hoc argumentum evolvit.

[3]) Hoc idem ostendit Suarez loc. cit.

Digitized by Google

529. Evincitur II. ex eo, quod voluntas sit causa libera ac illimitata in suis volitionibus: potest enim quodcumque velle; vis autem seu facultas motrix non item: sæpe enim impeditur ab executione plurimis obstricta obstaculis. Sane quoties nos aliquid impense volumus ac optamus, nec tamen illud exequi valemus ob impedimentum sive intrinsecum sive extrinsecum? Infirmus vellet ambulare, nec id valet executioni mandare. Atque id ipsum patet ex innumeris quotidianis exemplis. De Deo solo affirmatur: Ipse dixit et facta sunt.

530. Evincitur III. ex eo, quod facultas volitiva seu imperans necesse non sit ut habeat ultimas seu individuales determinationes ad effectum volendum; contra vero has habeat oportet facultas motrix, ut eum producat in suis circumstantiis concretis. Etenim ad volendum satis est, ut voluntas habeat obiectum, seu ideam sibi ab intellectu propositam; ast facultas motrix valde circumscripta est et angustis limitibus obsita.

531. Evincitur IV. ex eo, quod ens intelligens, cuiusmodi homo est, nequeat esse causa effiiciens physica et voluntaria alicuius effectus, si ignorat plene modum seu rationem illum producendi et instrumentum necessarium. Dixi plene: nam si cognoscat saltem in confuso et inadæquate, potest utique non pauca perficere, ut patet ex opificibus, qui quamvis apprime haud valeant cognoscere omnem instrumenti virtutem, quo utuntur, possunt nihilominus operari; ast nihil omnino efficerent, si vel ipsum instrumentum ignorarent. Contra vero satis est, ut tam modus quam instrumentum ad effectum producendum cognoscatur a causa physica, quæ immediate exequitur mandatum imperantis ex. gr. a tibicine vel cantante quoad notas musicas et instrumentum.

532. Evincitur V. ex eo, quod agens physicum agat necessario et lege constanti: positis enim omnibus ad agendum, causa physica eundem et quidem necessarium semper producit effectum, secus ac eveniat in causa morali, seu agente morali, qui, cum liber sit et ex proprio motu agat, poterit agere vel non agere, melius aut peius exequi quod mandatum sibi est, antevertere aut omittere mandatum ipsum, uti ex quotidiana experientia deprehenditur respectu famulorum quoad ea quæ ab hero imperata eis sunt.

533. Jam vero hæc ipsa discrimina omnia reperiuntur in ordine ad effectus mesmericos, qui a facultate motrice dependent; nam voluntas magnetizantis movet tantum facultatem mo-

Digitized by Google

tricem, quæ determinat fluidum sive magneticum, sive nerveum, sive electricum, sive æthereum, aut quodvis aliud sit, ut cieat effectus seu phænomena, quæ intendit. [1]) Insuper passim eiusmodi phænomena non respondent voluntati magnetizantis. Ignorat præterea magnetizans effectus individuales, quos fluidum magneticum, si quod datur, aut animale et vitale aliudve quodcumque producit, prout sæpe ignorat plane modum et instrumentum ad physice producendum intentum effectum; ac demum magnetizatus interdum aut excedit, aut deficit in effectibus aut phænomenis, quæ producere deberet. [2])

534. Si itaque voluntatis officium est, solummodo imperandi etiam respectu agentis quod inest corpori ab ipsa informato, seu facultati motrici, quæ exequi debet quæ a voluntate imperata sunt, non autem per se operandi: plane consequitur, voluntatem ipsam non esse causam physicam ac immediatam effectuum magneticorum, sed moralem tantum ac mediatam, facultatem vero motricem esse eorumdem vere causam physicam ac immediatam prout operatur, seu exequitur sibi a voluntate imperata.

535. Quod si hæc ita se habent vel circa ea ipsa, quæ in subiecto seu in proprio corpore sunt et contingunt, multo vero magis voluntas dicenda erit causa moralis et mediata respectu illorum effectuum, qui in alieno corpore sive in subiecto a se distincto producuntur. Quod quidem licet per se ex modo dictis pateat, cum tamen magnetologi totam vim suam constituant in

---

[1]) De his disserit Monticelli op. cit. part. II. cap. I. §. IV. pag. 128 seq., ubi scribit: *Che cosa vuole egli dunque quando magnetizza? La sua voluntà può riguardare o gli effetti da ottenersi magnetizzando, ovvero la causa ignota, l'ignoto agente che dee produr questi effetti. Può riguardare gli effetti da ottenersi e riguardarli o sotto un concetto generico e indeterminato, come quando vuol magnetizzare senza precisamente determinare quale fra i diversi effetti del magnetico egli vuoglia ottenere; così ancora quando vuol provare se facendo quei tali gesti sia per seguirne qualche effetto magnetico; ovvero la sua volontà può determinatamente volere in specie piutosto l'uno che l'altro di questi effetti, come quando il magnetizzatore intende addormentare o risvegliare o paralizzare, o attrarre ecc.*

[2]) Prout non semel magnetofili fassi sunt, atque inter ceteros etiam Lafontaine de experimentis a se factis ingenue testatur op. cit. L' art de magnétiser. ch. II. et ch. XIII.

Digitized by Google

voluntate tamquam physice producente effectus mesmericos, ut eorum rationem reddant, non abs re erit, hoc ipsum enucleatius patefacere et evolvere, ut omnis evadendi aditus præcludatur; ac sic probetur altera nostræ propositionis pars: quod nempe voluntas neque per vim motricem animæ propriam ipsique subiectam, par sit his phænomenis efficiendis.

536. Ac primo quidem id conficitur ex ipsius facultatis motricis natura et efficacia. Nam facultas motrix est facultas seu potentia vitalis, adeoque intime coniuncta cum eo, quod in nobis est, principio vivente, nempe cum anima, et circumscripta ex eo, quod in nobis est, subiecto vivente, id est, toto homine. Exinde patet, facultatem nostram motricem oriri numquam posse ex corpore nostro organico, in quo solo operatur; vix autem hos fines transilit, ut perveniat extra hos fines, illico ab operatione cessat, quia cessat ab existentia eo ipso quod ibi cessat præsentia substantialis animæ informantis vivificantisque corpus, quæ est principium suæ existentiæ.[1]) Eidem propterea limitationi obnoxium est fluidum nerveum, idque omne quod in nobis vivit ac subiicitur viribus vitalibus. Nihil enim operari potest sine causæ suæ influxu. Atque hinc est, quod cesset etiam vita in membris corporis nostri simul ac abrumpitur vinculum, quod ea coniungit cum principio vivente; adeoque fluida omnia, et cuiusvis naturæ materiæ, quæ ex corpore nostro dimanant, ab eoque dividuntur, color, gas, odores etc. quæ in organismo nostro de vita participabant, ab eo separata illico subiiciuntur legibus physicis mundi inorganici, ac solum iuxta has leges operari possunt in aliis corporibus. Consequens proinde est, facultatem nostram motricem nulla ratione posse operari immediate neque per se, neque per aliud quodvis fluidum vitale in distans super corpora extranea, sed solum median-

[1]) Aristoteles lib. II. de anima. cap. I. sic animam definit: *Est actus primus substantiæ corporis physici organici, potentia vitam habentis.* Hinc S. Thomas I. q. LXXVI. statuit, animam secundum suam naturam determinari ad movendum corpus, cuius est forma, ac nullum aliud corpus sua naturali virtute movere posse; ut patet ex iis quæ scribit art. I. de anima forma substantiali corporis, et art. IV. ad 3, dicens: *Anima non movet corpus per esse suum, secundum quod unitur corpori ut forma; sed per potentiam motivam, cuius actus præsupponit iam corpus effectum in actu per animam, ut sic anima secundum vim motivam sit pars movens et corpus sit pars mota.* Eadem habet art. 7. ad 2. Suarezius vero in lib. V. de anima. cap. X. totam hanc doctrinam exponit ac evolvit.

Digitized by Google

tibus membris, quæ in contactu sunt cum mundo exteriori, et cum suis agentibus ponderabilibus aut imponderabilibus, atque communicant his motum iuxta impulsum, quem ipsa ab intrinseco nacta sunt. Quapropter dum magnetistæ fundamentali huic vitalitatis legi adversantur contendentes, dari expansionem subiectivarum virium viventium extra principium subiecti viventis, ita ut illæ se immittant in aliud subiectum vivens, seu in magnetizatum illi communicando propriam operationem, cumulum absurditatum congerunt. Id enim repugnat legibus omnibus biologiæ, ac omnibus sanæ philosophiæ principiis.

537. Secundo. Vis seu potentia motrix naturalis est, nempe a natura ipsa nobis insita, quæ instinctu suo nos omnes docet, ac veluti ducit in eiusdem vis usu, ita ut tam infantes quam adulti, instante necessitate illam veluti instinctive exserant. Insuper neque est, neque potest esse ulla in nobis potentia sive facultas naturalis ac libero voluntatis arbitrio obnoxia, cuius nos non cognoscamus, aut aliquo modo non sentiamus in nobismetipsis præsentiam; alioquin quomodo posset voluntas ea pro lubito uti, si nesciat se eam possidere?

538. Nunc vero potentia motrix mesmerismi naturalisne est an acquisita? Si magnetistæ naturalem eam esse respondeant, reponimus: qui igitur factum est, ut ea penitus universum lateret genus humanum, ac nonnisi post quinquaginta et octo secula manifestata fuerit, aut saltem nonnisi ad summum paucis innotuerit? Quodsi respondeant, eam esse acquisitam, insistimus: quare igitur eam identicam esse contendunt cum potentia motrice fluidi nervei, membrorumque nostrorum? Deinde sciscitamur, qua arte, quibus mediis ea acquiratur, quænam sit methodus, qua infallibiliter obtineatur motus fluidi magnetici, eiusque extra proprium corpus eiectio, eius item in aliena corpora directio, quanam ratione regatur eius actio, ut mesmerismi prodigia operetur? Igitur potentia motrix magnetismi neque innata seu naturalis, neque acquisita dici potest, aut instinctus, aut ars, sed unice somnium, chimæra, et absurditas in mero naturali ordine, prout volunt fluidi defensores, et ad libitum excogitata.

539. Tertio. Character proprius potentiæ motricis est materialitas. Et sane potentia seu facultas motrix, quamvis spiritualis sit in suo principio ex quo emanat, quod est anima, tamen materialis est, si spectetur in suo termino seu obiecto suarum operationum et effectuum, quos operatur. Nam hic ter-

Digitized by Google

minus est fluidum, aut spiritus nerveus, aut organum quodcumque humani corporis; effectus vero non alii sunt præter motus, idest motus membrorum aut partium quibus constat organismus seu humana compages; atque hi sunt effectus immediati, motus vero corporum extraneorum quibus membra nostra motum communicant, sunt effectus mediati. Quo semel constituto, evidens est, in universo phænomenorum ambitu, quæ a potentia motrice producuntur, nihil umquam inveniri posse, quod excedat ordinem physicum et materialem, nihil quod aliquid moralis aut intellectualis præ se ferat, nihil quod non possit aut non debeat exponi solis materiæ proprietatibus eiusque legibus, si sermo sit, ut supponitur, de effectibus immediatis atque in se spectatis.

540. Ex altera vero parte manifestum est, effectus mesmericos, præsertim somnambulismi lucidi, excedere in pluribus materiæ ordinem, ac supponere in ipso agente, quod ipsos producit, cognitiones et actus morales. Consequitur igitur, eiusmodi agens haud esse posse aliquod fluidum, quod necessario materiale est, nec posse determinari a facultate motrice, quæ solum operatur super materiam, et iuxta materiæ leges. Superest proinde, ut sepositis fluido ac potentia motrice, soli voluntati tribuatur efficacia mediata super agens magneticum, seu fluidum, quodcumque demum sit, in hypothesi quod revera existat; ac proinde moralis, quatenus imperat potentiæ motrici, ut tales effectus per fluidum aut spiritum nerveum cieat, non autem physica seu efficientia propria ipsius voluntatis seu solius facultatis volitivæ.

541. Si rem penitius spectemus, deprehendimus, originem erroris magnetistarum in eo consistere, quod ipsi duo permisceant atque confundant, quæ immane inter se differunt. Siquidem ipsi unum idemque esse assumunt velle ac facere, voluntatem et executionem, quum tamen ingens inter duo hæc intercedat discrimen. Ad primum satis est actus elicitivus voluntatis, qui in omnium est potestate et arbitrio, ad alterum vero præterea requiritur actus imperans, tum qui imperium percipiat, qui physice operetur quod ei mandatum est, sive agatur de actu interno, sive agatur de actu externo; imo quoad actum externum non sufficit vis motrix, sed necesse præterea est, ut hæc vis exserat foras hanc virtutem suam per actum physicum et immediatum; alioquin nihil efficere potest extra proprium corpus, atque ut dicitur, in distans. Adeoque nisi præcedat actus internus vis motricis, quæ immittat fluidum

Digitized by Google

opportunum ad effectus mesmericos producendos, numquam sola voluntate seu mentali ac ideali speculativa operatione effectus mesmerici haberi poterunt. Exinde aperte consequitur, aliud esse yelle, aliud facere; qui tantummodo vult, nihil efficit, atque affirmare, quod physice operetur qui nihil facit, culmen absurditatis est. Talis autem est affirmatio magnetistarum, dum contendunt, voluntatem producere phænomena mesmerica et quidem physice.

542. Ex quibus omnibus patet veritas enunciatæ propositionis, quod scilicet voluntas humana neque immediate per se, neque per vim motricem animæ propriam potest esse causa physica phænomenorum mesmericorum, sed moralis tantum et mediata. [1])

Difficultates.

543. I. Obi. 1° Nihil obstat, quominus voluntati tribuatur efficientia immediata ac physica super fluidum magneticum, quod ipsa per se determinet ad effectus seu phænomena producenda, quæ magnetizans producere intendit. 2° Etenim experimento compertum est, ad illa cienda sufficere voluntatis actum, quin aliud requiratur. 3° Verum dato etiam, quod ad ea elicienda præter voluntatem requiratur ea quæ dicitur facultas aut potentia motrix sub imperio voluntatis, potest fluidum moveri ab hac ipsa facultate motrice, quæ subest voluntati ad mesmericos effectus omnes producendos; atque hoc modo omnia apprime componuntur, tum nempe rectæ philosophiæ principia, tum, saltem quoad substantiam, theoria magnetistarum, qui transfe-

---

[1]) Quæ hic paucis contraximus, haberi possunt plenius exposita ac evoluta a Monticelli, a civilitate catholica, atque a Caroli locis a nobis allegatis; siquidem Itali scriptores primi fortasse sunt, qui ex intimis philosophiæ visceribus ostenderint ex professo, humanam voluntatem nec esse, nec esse posse causam immediatam ac physicam phænomenorum mesmericorum. Valde etiam conferent ad hæc ipsa intelligenda, quæ generatim habet Suarezius in cit. lib. V. de anima cap. X., in quo eximius auctor agit de potentia motiva secundum locum, an activa sit atque ab aliis potentiis distincta; ac n. 5. constituit cum Angelico Doctore opusc. 43. cap. 5. dicente: appetitum imperare motum, æstimationem dirigere, potentiam activam exequi; ex quibus infert, virtutem motivam esse potentiam animæ ab aliis distinctam, potentias animæ, ut anima est, actiones esse, cum actus earum sunt vitales, atque adeo a principio intrinseco activo procedentes etc.

Digitized by Google

runt in potentiam motricem a voluntate dependentem, quod prius ipsi voluntati immediate tribuebant. Ergo.

544. Resp. ad 1. Neg., quia efficientia physica immediata phænomenorum magneticorum voluntati repugnat, cum ex dictis voluntas essentialiter distinguatur a facultate motrice inferioris ordinis, quæ illi subest. Alioquin semper homo efficeret quod vellet, quod tamen quotidiana experientia ostendit esse falsum; plura enim, immo et innumera interdum volumus, quæ tamen efficere nullatenus possumus. Vellemus ex. gr. in instanti de loco in locum transferri, vellemus volare et ita porro, nec tamen possumus, uti compertum est. Tum etiam, quia voluntatis actus est liberrimus, impeditus vero sæpe sæpius est actus executionis; est illimitatus circa sua obiecta, contra vero actus executionis limitibus passim obstrictus; est immanens seu non exit a volente, actus autem executionis est transiens, cum importet communicationem inter agentem et patientem, necnon communicationem vis quæ a patiente recipitur ab agente; est intellectualis, cum posset abstracte aliquid velle, actus vero executionis est concretus, ut alia præteream. Fieri igitur nequit, ut voluntas physice agat in fluidum magneticum ac immediate phænomena producat.

545. Ad 2. D. Experimento compertum est, ad phænomena magnetica obtinenda sufficere voluntatis actum, quin requiratur alia actio magnetizantis, Tr. quin requiratur actio alterius agentis idonea iis producendis N. Voluntas neque per se, neque per vim motricem homini naturalem horum phænomenorum causa esse potest, ut supra ostensum est. Quænam autem sit vera eorum causa, infra ostendemus. Cum vulgo dicitur, voluntatem efficere quidquid vult, impropria est loquendi ratio, neque aliud per eam significatur, quam voluntatem aliquid efficere mediante facultate motrice.

546. Ad 3. D. Poterit fluidum magneticum moveri ab ipsa facultate motrice iuxta leges eidem proprias, Tr. vel C.; quacumque ratione, et ad omnes effectus mesmericos producendos, N. Nam ingentia iam enumeravimus discrimina, quæ intercedunt inter facultatem volitivam et facultatem motricem, cuius limites longe angustiores sunt. Præterea cum facultas motrix vitalis sit, nequit transilire angustias corporis organici viventis, nec foras erumpere in corpora aut subiecta extranea; effectus autem mesmerici extra eiusmodi ambitum, ipsis magnetologis contendentibus, producuntur. Siquidem mesmerismus legem hanc

Digitized by Google

fundamentalem vitalitatis plane conculcat, dum veluti dogma capitale admittit expansionem subiectivam virium viventium extra principium et subiectum vivens. Quin etiam docet, vires has non solum foras sese expandere, sed præterea eas penetrare in aliud subiectum vivens, nempe in magnetizatum, et ibi porro operari, propriam vitam et operationem miscendo cum vita et operatione alterius subiecti. In quibus omnibus cumulus profecto monstruosus absurditatum reperitur, legesque omnes tum sanæ philosophiæ, tum biologiæ conculcantur. Tantum abest, ut per eiusmodi effugium omnia rite componantur.

Propositio IV.

Causa proinde proxima phænomenorum magneticorum est intelligens ac libera, distincta ab anima humana.

547. Hæc propositio non est nisi corollarium propositionum præcedentium, ex quibus sponte veluti sua dimanat. Sane, excluso fluido magnetico ac voluntate humana tamquam immediate ac physice agente uti causis phænomenorum mesmericorum, unice superest, ut agnoscatur tamquam causa humana voluntas, quæ moraliter ea producat nempe imperio, cui agens magneticum obtemperet eiusque iussa compleat. Quodsi ita est, hoc ipso eiusmodi agens necessario debet esse intelligens et liberum, quodque virtute propria se moveat ad executioni mandandos in magnetizato effectus intentos a magnetizante. Qui est primus character ex paulo ante enumeratis, quibus distinguitur causa moralis a causa physica immediate agente.

548. Id ipsum confirmatur ex secundo charactere, quod nempe causa physica seu immediata debeat determinare quantum in se est, effectum usque ad ultimas particularitates individuales, secus ac requiratur in causa morali ac mediate agente, ut ex superius dictis patet. Jam vero voluntas magnetizantis eiusmodi individuales effectus producere nequit, si eos ignorat, prout se eos ignorare magnetistæ fatentur. Ergo voluntas hos effectus non producit ut causa physica et immediata, sed solum ut causa moralis et mediata; ac proinde redit eadem ratiocinatio modo instituta de ente intelligente ut horum effectuum causa.

549. Rursum eadem fluit conclusio ex tertio charactere, quod nequeat voluntas esse causa physica illius effectus, ad

Digitized by Google

quem producendum ignorat omnino modum et instrumentum necessarium. Porro magnetologi tum hunc modum, tum hoc instrumentum se plane ignorare profitentur. Ergo phænomenorum mesmericorum voluntas nequit esse causa physica, adeoque moralis ea sit necesse est.

550. Demum ex quarto charactere, quo distinguitur causa physica a causa morali, ut scilicet causa physica agat seu operetur lege necessaria et constanti, secus ac agat causa moralis, quæ nulla adstringitur lege, ac propterea varia et multiplex est huius actio, rite infertur, voluntatem non esse causam physicam effectuum, quæ prodeunt hoc ipso quod hi in immensum varient inter se. Quod si non est causa physica, moralis sit necesse est, cum non detur medium.

551. Cum igitur voluntas non moveat efficacia physica agens mesmericum, remanet ut illud moveat efficacia morali. Jam vero ut aliquis moveatur moraliter, debet et ipse esse ens morale, id est intelligens et liberum, quod cognita moventis voluntate determinet seipsum ad illam exequendam. Agens proinde mesmericum non est fluidum, non est substantia materialis, sed est spiritus intelligens ac volens, distinctus a magnetizante et a magnetizato, interpositus inter utrumque, qui ex certis signis, fac ex. gr. gesticulationibus, verbis etc. agnoscens voluntatem magnetizantis, eidem obedit maiori aut minori fidelitate, producitque virtute propria in magnetizato mira illa phænomena, quæ magnetica nuncupantur. [1])

552. Et hæc quidem ex principiis theoreticis; nunc vero præstat id ipsum conficere ex actione practica. Constat enim, quod agens magneticum interdum se difficile exhibeat ac renitens ad obediendum magnetizatori, interdum vero aut nullum effectum producat, aut etiam diversum et oppositum volito, identidem invadat ac submittat aliam personam diversam ab illa quam magnetista intendebat, denique interdum alacre ac promptum se præbeat ad operandum ad nutum magnetistæ. [2]) Hæc porro agendi ratio evidenter ostendit intelligentia ac libertate præditum eum esse, qui ita se gerit.

---

[1]) Quæ omnia accurate persequitur Monticelli op. cit. part. II. cap. II.

[2]) Hæc constant ex historia magnetismi, in qua eiusmodi sive obedientia sive renitentia, sive personarum immutatio passim deprehenduntur. Cf. Lafontaine op. cit. ch. V. du somnambulisme. Plura etiam exempla profert Monticelli.

Digitized by Google

553. Quod si agens magneticum obtemperet voluntati magnetizatoris, eiusmodi obtemperatio est penitus voluntaria pariter ac libera, quatenus acquiescit voluntati cognitæ magnetizantis, aut pro lubito ei resistit et obluctatur in producendis vel non producendis illis phænomenis, quæ ille intendit. Quod fieri profecto nequit nisi ab ente intelligente. Multo vero luculentius id evincitur ex magnetizatione obiectorum inanimatorum, quibus fluidum ad nutum magnetistæ adhæret, et prout eidem lubet, relinquit autem hæc ipsa obiecta ad nutum pariter magnetistæ. Fluidum enim intrat aut exit, operatur aut ab operatione cessat iuxta magnetizantis voluntatem et, quod magis mirum est, operatur modo impervio ac prorsus ignoto ipsi magnetizanti. [1])

554. Et hæc, sive spectentur effectus physiologici, cuiusmodi essent modificationes invisibiles organismi, ex quibus phænomenales visibiles status diversi oriuntur, uti catalepsis, sensibilitatis exaltatio, somnus, insensibilitas, rigiditas muscularis, aliæque eiusmodi conditiones, in quibus patiens constituitur; sive, et multo magis, spectentur effectus psychologici, ut clara intuitio in somnambulis, transpositio sensuum, visio sine oculis, prævisio interna et externa, seu prædictio futurorum morborum, eorumque vicissitudinum, futurorum eventuum, aut retrovisio seu cognitio factorum anteactorum, quæ in vigilia a somnambulis omnino ignorabantur, qui ea referunt perinde ac si coram agerentur, instinctus item remediorum, penetratio cogitationum, aliaque eiusmodi sexcenta, quæ longe superant cognitionem tum magnetizantis tum magnetizati. [2]) Cum vero repugnet,

---

[1]) Id patet etiam ex theoria et praxi eius, quam vocant, dismagnetizationis sive in personis viventibus sive in obiectis inanimatis.

[2]) Ut sistamus in phænomenis physiologicis in ordine ad morbos eorumque causas, quæ in somnambulis apparent, ea refert Charpignon op. cit. pag. 215, cuius verba italico idiomate ita se habent: *Ecco quanto credono tutt' i magnetizzatori relativamente ai sonnambuli consultati da un ammalato. È Deleuze che parla per tutti: Non vi ha nessun dubbio esservi dei sonnambuli dotati di tale lucidità, che posti in rapporto con un ammalato spiegano chiaramente l'origine, la causa, e la natura della malattia, e prescrivono i rimedii i più convenienti, indicando l' effetto che devono produrre, e le crisi che si devono aspettare. Essi anunziano una malattia che si svilupperà dopo qualchi mese e le precauzioni che bisognerà prendere quando se ne scorgeranno i primi sintomi: essi veggono anche lo stato morale dell' ammalato, penetrano il suo pensiero, e gli*

Digitized by Google

hæc omnia a fluido physico ac materiali produci, eo quod includant in suo conceptu cognitionem ac intelligentiam, cuius agens physicum incapax est, omnino consequitur, intelligentem ac liberam seu moralem esse causam, quæ talia efficit.

555. Possem hæc magis confirmare ex extasibus, ex raptibus vere admirabilibus aliisque eiusmodi mesmericis phænomenis. Verum quæ allata sunt superabundant ad veritatem enunciatæ propositionis.

556. Quod vero eiusmodi agens intelligens seu causa proxima et immediata dictorum phænomenorum distincta sit ab anima humana, patet ex eo, quod eiusmodi agens neque sit anima magnetizantis, neque anima magnetizati; alioquin ab eorum voluntate tamquam causa physica phænomena mesmerica penderent: cum vero ex dictis et probatis id repugnet, sequitur quod proposuimus, nempe causam proximam phænomenorum magneticorum esse quidem intelligentem ac liberam, quæ tamen distincta ab anima humana sit. [1])

Difficultates.

557. Obi. 1° Plerique effectus mesmerici sunt plane materiales atque mechanici; necesse igitur non est ut eorum causa sit intelligens ac libera. 2° Sane si nonnulla bruta animantia, uti rubetæ ac serpentes, possunt voluntate iniicere in corpora aliorum animantium virtutem maleficam, quare non poterit humana voluntas dirigere fluidum magneticum ad intentos fines

---

danno dei consigli in conseguenza: ma simili sonnambuli son rari, e quelli che hanno date delle prove di questa inconcepibile chiaroveggenza, non sempre la conservano, e non la posseggono che in determinati momenti. Apud Monticelli part. IV. cap. II. pag. 281. Quoad reliqua phænomena psychologica videri possunt apud eumdem auctorem hoc ipsum caput et cap. seq.

[1]) Cf. Monticelli op. cit. part. IV. cap. I. II. III., in quibus expendit hæc omnia phænomena sive physiologica sive psychologica, ostenditque præsertim pag. 527 seq., cognitiones somnambulorum clare intuentium seu lucidorum minime spectare ad personam quæ dormit, sed ad aliud agens quod ei dominatur. Ex quo recte infert, eiusmodi agens intelligentia præditum distinctum omnino esse ab anima humana. Idque persequitur singillatim quoad omnia hæc somnambulica phænomena. Cum vero distincta tractatio horum excedat limites institutionis compendiariæ, ideo ad præfatum auctorem remitto eos, qui plenius hæc assequi vellent.

Digitized by Google

obtinendos? 3° Nec officit, magnetistas ignorare modum et instrumentum necessarium ad effectus producendos; nam neque physici aut medici sæpe intimam fluidorum naturam agnoscunt et pharmacorum, quibus utuntur. Ergo.

558. Resp. ad 1. D. Plerique, seu potius plures effectus sunt materiales et mechanici Tr., vel C.; omnes, N. Jam vero cum agitur de causa aliqua adæquata adsignanda effectuum, qui ab ea producuntur, talis esse debet, quæ effectus omnes ab ea promanantes seu profluentes complectatur, et quibus efficiendis par omnino sit; alioquin effectus virtutem causæ excederet ac superaret, quod est absurdum. Deinde de causæ alicuius virtute atque excellentia non ab inferioris ordinis effectibus iudicium ferri debet, sed a præstantioribus: qui enim magis potest, potest et minus efficere, non autem contra, quia qui potest solum minus efficere, non potest magis. Porro etsi pauciores, immo vero si vel unus ex effectibus magnetismi superaret causam physicam ac materialem agentis magnetici, hoc ipso eidem causæ effectus ab ea provenientes non possent adscribi. Nunc vero innumera pæne sunt phænomena magnetica, quæ præ se ferunt cognitiones, notiones, intelligentiam, præsertim in somnambulismo lucido clareque intuenti, quæ propriæ non sunt somnambuli seu subiecti magnetizati, ut plurimum rudis, adeoque propriæ tantummodo esse possunt agentis magnetici. Hinc manifeste patet, non fluido materiali, sed principio intelligenti et cogitanti esse tribuenda magnetica phænomena seu, quod idem est, agens magneticum esse ens intelligens ac liberum. [1])

559. Ad 2. Poterit voluntas humana dirigere fluidum magneticum, si quod est, mediate et moraliter, seu imperando, Tr. vel C.; immediate ac physice N. Scilicet voluntas imperat facultati motrici, ut hæc deinde immediate agat, ut paulo ante declaratum est. Quocirca si facultas motrix ea est, quæ determinat fluidum magneticum, ut producat effectus volitos, illud determinat iuxta leges et conditiones sibi proprias, adeoque intra limites sibi præstitutos. Non potest eiusmodi facultas motrix ea omnia efficere, quæ posset voluntas, si ipsa immediate ageret; nec potest extra se operari, seu extra ambitum subiecti viventis, cuius virtus vitalis est, nec propterea præbere fluido virtutem aliquam supra personam alienam a se distinctam.

---

[1]) Cf. Monticelli loc. cit. pag. 328 seq., nec non Civiltà cattolica loc. cit.

Digitized by Google

560. Animantia vero bruta spontaneitate sua, non autem voluntate, qua destituta sunt, mechanice operantur ac per instinctum, hæc porro operatio conferri nequit cum voluntate moraliter agente in subiecto humano. Serpentes per quamdam fascinationem perturbant imaginationem seu phantasiam avium, qui ex defixo intuitu in eos facile sinunt se ab illis irretiri, et idem dic de ceteris eiusmodi casibus, immo et ipsius hominis, qui quandoque intuitu suo domat ferocia ipsa animantia. Ast ingens intervenit discrimen inter hos effectus et phænomena mesmerica; illi enim non provocantur aliquo fluido, non excitantur ullo voluntatis imperio, non in alienum subiectum iniiciuntur, non partialiter operantur; contra vero phænomena magnetica oppositos omnino characteres præ se ferunt. Quocirca nonnisi aliqua analogia inter effectus illos et effectus magneticos intercedit, quæ fucum inconsiderantibus nec rem penitius expendentibus faciunt, sed nihil inter se eiusmodi effectus commune habent. [1])

561. Ad 3. D. Si physici ac medici eadem laborarent ignorantia circa naturam fluidorum et pharmacorum, qua laborant magnetistæ, Tr. vel C.; si admodum diversa, N. Nam physici minime ignorant plures proprietates pluresque imponderabilium leges, ac modum ea excitandi, dirigendi, condensandi, eaque ad innumeros prope effectus ciendos applicandi. [2]) Sic medici propriis oculis cernunt, manibusque contrectant pharmaca quibus opus habent, elementa quibus conficiuntur ac vim agnoscunt; [3]) quæ tamen omnia quoad suum fluidum prorsus ignorant magnetistæ. Ceterum tunc similitudo valeret, si physici ac medici aut electricum evolvere, aut propinare medicinam debe-

---

[1]) Hæc omnia fuse in prolixa nota exponit Monticelli in op. cit. part. III. cap. IV. pag. 123—128, quæ illic recoli possunt.

[2]) Inter quos eminent J. B. Biot, qui ex professo de his agit in suo Traité de physique expérimentale, pluries recuso; et Haiiy pariter in Traité élémentaire de physique. Licet recentissimi physici omnia fluida imponderabilia ad unicum, nempe ætherem, revocaverint, pro nobis perinde est; nam et eiusdem naturam, leges, proprietates exponunt, ut videre est apud Growe, et Secchi in operibus paulo ante laudatis.

[3]) Cuius rei argumenta suppetunt in tot pharmacopœeis, quæ his annis vulgatæ sunt. Ceteris anterioribus omissis, satis heic mihi sit copiosam ac vulgatissimam commemorare italica lingua exaratam: Farmacopea italiana di Giuseppe Orosi. Livorno 1856, ac denuo recusa an. 1857. ac an. 1860.

Digitized by Google

rent sola voluntate atque abstracta intentione, prout faciunt magnetistæ respectu fluidi animalis. Adeoque ingens inter utrosque intercedit disparitas.

562. Inst. Esto, quod scientia medica aut therapeutica aliæve cognitiones somnambuli eidem non insint in statu normali, ast possunt ei inesse in statu magnetico, atque ad ipsum pertinere; adeoque opus non est recurrere ad aliam causam intelligentem ac liberam, ex qua illas somnambulus hauriat, aut per quam phænomena somnambulismi lucidi exponantur. Ergo.

563. Resp. Neg. Ant. Siquidem nonnisi gratuito affirmatur, inesse homini rudi ac plane inscio in statu magnetico, quod ei deest in statu normali. Neque enim status magneticus immutat hominis naturam neque ei infundere aut communicare potest illas cognitiones, quæ a scientia dependent atque per solam scientiam comparari possunt. Accedit, quod non omnia phænomena physiologica tantum sint, sed plura psychologica, eaque talia, quæ nulla scientia comparari valeant, nullaque industria, cuiusmodi sunt futurorum prævisio ac prænunciatio, cognitio retroactorum, cogitationum penetratio aliaque permulta, quæ antea recensuimus, quæque nonnisi a causa intelligente atque ab humana mente distincta haberi possunt; multo vero minus ab immissione materialis fluidi explicari possent.

Propositio V.

Eiusmodi causa natura sua est anima humana præstantior ac præternaturalis.

564. Si spectata phænomenorum magneticorum varietate, indole, præstantia, talia ea esse deprehendamus, ut illis efficiendis nulla naturalis causa par sit, profecto consequitur, a causa præternaturali ea produci debere, quæ nempe superet non modo causam quamcumque materialem, sed ipsam animæ humanæ vim ac præstantiam, quæcumque demum ea sit aut excogitari in ea possit. Hæc autem causa tum ab anima humana distincta sit oportet, tum eadem natura præstantior seu præternaturalis, prout eam enunciavimus.

565. Hæc porro ut singillatim probemus, ita progredimur: Primo talia esse pleraque magnetismi animalis phænomena, indubium est, ut patet ex somnambulismo lucido nuncupato, ex clara intuitione obiectorum tum visibilium occultorum, tum in-

Digitized by Google

visibilium, ex prævisione futurorum, ex transpositione sensuum, ex retroactorum, quorum nulla prorsus notitia habebatur, inspectione, ex ignotarum linguarum peritia, ex influxus magnetici communicatione obiectis inanimatis ex. gr., chartæ, strophiolo, arboribus, aquæ, capillis etc., quæ virtutem induant magneticam, qua ut agant plena intelligentia ac fidelitate ad nutum magnetizantis etiam in plurium leucarum distantia, ex cogitationum transmissione, aliisque eiusmodi non paucis, quorum longa nimis foret commemoratio, et quorum plena sunt magnetologorum volumina et annales.

566. Jam vero secundo, cum ex una parte in superiore propositione abunde ostenderimus, eiusmodi effectuum causam proximam esse moralem, adeoque intelligentem atque ab humana anima distinctam, pronum est inferre, hanc causam esse humana anima præstantiorem natura sua. Siquidem nemo nisi insanus poterit inficiari, recensitos effectus produci posse ab eo agente, quod facultatem seu vim quamcumque superent humanæ naturæ, cuius potentia angustis limitibus undique est circumscripta. Sic nemo audebit tribuere humanæ facultati, quæ ex ipso intimo sensu et ex quotidiana experientia cognoscit ac sentit eam excedere. Nemo demum inficias ibit, quod, si anima humana nequeat se ad ea phænomena extendere, hæc causa sit natura sua anima humana præstantior.

567. Tertio: Quodsi ex altera parte horum effectuum seu phænomenorum causa est moralis ac intelligens, ac proinde spiritualis, atque humana facultate præstantior, debet necessario esse præternaturalis, seu extra naturalis ordinis nostri ambitum constituta, eumque supergrediens. Ac reipsa nec ipsi magnetologi id interdum dissimulant, immo vero non obscure quandoque fatentur. Alii enim in eiusmodi phænomenis agnoscunt actionem cuiusdam spiritus extranei, qui distinctus nempe sit ab homine, eoque præstantior;[1]) alii fatentur intervenire in his magnam quandam potentiam, cuius magnetizans videtur esse depositarius.[2])

---

[1]) Horum sive antiquiorum, sive recentiorum confessiones refert magno numero Mirville in op. Des esprits part. II. chap. X. l'intervention d'un esprit étranger reconnu en principe.

[2]) Ita Bailly, qui iam ab anno 1784 in sua relatione ad academiam scientiarum de mesmerismo scribebat: *On ne peut s'empêcher de reconnaître à ces effets prodigieux, dont on ne peut se faire une idée, même en les voyant, une grande puissance,*

Digitized by Google

568. Alii præterea expresse fatentur, concursum intercedere in phænomenis magneticis causarum occultarum spiritualium,[1]) ita ut admittant, sæpius ex parte operatoris nil aliud requiri præter intentionem et introductionem, in reliquis autem ipsum plane extraneum esse, cum etiam ignoret quid eventurum sit,[2]) monentque magnetizatores, ne se autument ex se solis operari, quoniam id experimento noceret; atque in nonnullis inexspectatis phænomenis exclamare coacti sunt: Hic aliquid reperitur quod captum nostrum excedit: supernaturale se manifestat, dum eius existentia negatur,[3]) et ita porro.

569. Sive igitur ratio habeatur naturæ phænomenorum mesmericorum comparatæ cum efficacia ac virtute causæ, quæ humanam excedit ac superat, quaquaversus spectetur, facultatem; sive confessionis haud paucorum magnetistarum ipsorum: constat quod proposuimus, videlicet causam phænomenorum magneticorum esse natura sua præstantiorem anima humana, ab eaque distinctam, ac proinde præternaturalem.

---

dont celui qui magnétize semble être le dépositaire. Apud Mirville l. c. pag. 282.

[1]) Uti Dr. Leuret Fragments psychologiques, fragm. 269., ubi fatetur quod somnambulus *est dominé, il est esclave, son corps est une machine obéissant à une puissance, qui n'est pas la sienne.*

[2]) Dupotet in suo op. La magie dévoilée. Paris 1852. Nec non Deleuze in op. cit. Histoire critique du magnétisme chap. XI. Des doctrines mystiques et de leur association au magnétisme; et ch. XII., in quo de eodem agit argumento, ac ubi id ipsum non obscure fatetur. Verum de hoc plenius disserendum nobis erit in tractatus decursu.

[3]) Apud Mirville op. et loc. cit., ubi inter ceteros refert Faria, qui profitetur quod *les procédés magnétiques, quelsque soient, ne sont que la cause occasionelle, qui engage la cause réelle et précise à se mettre en exécution.* Hic tamen erat magnetista celebris. Item Teste, qui loquitur de eiusmodi envahissement étranger; nec non Ennemoser, qui fatetur, *que la cause magnétique se trouve entre les influences spirituelles et matérielles mixtes, et que sa sphère est entre la céleste et la naturelle.* Demum, ceteris omissis, affert confessionem Dupotet scribentis quod *les effets du magnétisme animal, ne sont pas simplement dus, comme on le répétait jusqu'ici, au développement d'une faculté humaine, mais, d'après les maîtres eux-mêmes, il faut y reconnaître, avant tout, l'intervention (pour le moins très-favorissante) d'une cause extranaturelle, ou surhumaine.*

Digitized by Google

Difficultates.

570. Obi. 1° Non est, cur ad causam præternaturalem confugiamus uti phænomenis magneticis exponendis solam idoneam, si commode causis occultis, quamvis nobis ignotis, tribui ea possint. Jam vero nihil impedit quominus res ita sit. 2° Sane innumeri prope sunt effectus naturales, quibus explicandis impares sumus, quin necesse sit ad causam præternaturalem assurgere. 3° Ecquis enim confidat, se vires omnes naturales perspectas habere, ut fidenter decernere possit, nullam omnino reperiri, cui effectus mesmerici tribuantur? 4° Eo vel magis quod præter naturalem, nullum alium ordinem sana philosophia agnoscat. 5° Nisi cum aliquibus dicere malueris mira quæ circumferuntur mesmerica phænomena aut esse exaggerata, aut præstigia, aut hallucinationes, aut circulatoriam artem. Ergo.

571. Resp. ad 1. D. Si eiusmodi causæ occultæ existerent, C.; si illæ reipsa non sint nisi fictitiæ et ad fallendum excogitatæ, N. Quoties veteratores nesciunt quid reponant, toties in causis occultis ac ignotis perfugium quærunt. Vanum porro in re, qua de agitur, esse eiusmodi perfugium, ex eo patet, quod agatur de phænomenorum complexu, quæ, ut ostendimus, repugnat causis quibuscumque naturalibus adscribi posse. Quapropter nullæ occultæ causæ potuerunt aut poterunt magnetica phænomena generatim producere; ea præsertim, quæ causam intelligentem ac liberam poscunt. Cum vero præter animam humanam rationalem nulla alia sit in naturali hoc rerum ordine, illa autem cum impar omnino sit iisdem efficiendis: necessario sequitur, nullam aliam quam præternaturalem causam esse agnoscendam.

572. Ad 2. D. Effectus qui vere naturales sint, C.; qui eos prætergrediantur, N. Utique et nos fatemur, plures adhuc naturales effectus reperiri, quorum causam proximam et efficientem ignoramus; ast hic de iis effectibus agitur, qui nec mere naturales sunt, neque dici possunt, ut futurorum cognitio et prædictio, cogitationum penetratio, transpositio sensuum, aliique complures superius enumerati. Absonum vero est assumere ad probandum quod vel negatur, vel in quæstione positum est.

573. Ad 3. D. Positive, Tr.; negative, N. Scilicet fortasse positive non novimus quousque naturales causæ pertingant, verum negative optime novimus quousque ipsæ non pertingant. Sic inter cetera novimus, non posse eiusmodi vires sese porri-

Digitized by Google

gere ad id quod repugnat, ut in pluribus phænomenis somnambulismi contingit. Addimus hanc esse difficultatem, quam increduli urgent adversus miraculorum possibilitatem et existentiam, adeoque nimis eam probare.

574. Ad 4. D. Pseudophilosophi seu increduli, C.; sana philosophia, N. Nam sana philosophia optime novit, præter hunc ordinem naturalem alium omnino esse admittendum seu præternaturalem ac supernaturalem, prout vel ipsa recta ratio docet. Ad hunc enim negandum deberet negari ipsa Dei existentia, omnipotentia, sapientia, ac divina præterea omnis revelatio, et christianismus universus. [1])

575. Ad 5. Neg. Tantum enim abest, ut exaggerata dici debeant phænomena magnetica, ut potius extenuata a nobis sint, si conferantur cum iis, quæ a magnetologis exhibentur. Sistimus porro in iis, in quibus isti unanimes sunt, et quoad substantiam. Sub hoc respectu de eorum existentia absque turpis scepticismi labe dubitari omnino nequit. Esto quod in nonnullis casibus particularibus tum præstigia, tum hallucinationes, aut circulatoria ars intervenerint aut porro etiam interveniant, quod nos haud diffitemur; verumtamen plerorumque eiusmodi effectuum veritatem aut inficiari aut in dubium revocare insanum foret, prout omnes qui de illis phænomenis testes de visu fuerunt, quique cuiusvis conditionis sunt, aut referunt prout contigerunt coram ingenti multitudine nec semel aut iterum, sed pluries, hos, inquam, indiscriminatim omnes illusione ac hallucinatione perculsos traducere, sine temeritate nulla ratio potest. Qui autem in negantem sententiam concedunt, ex quadam voluntaria ac obstinata cœcitate ita se gerere censendi sunt, pro certo assumentes, nihil esse admittendum præter id, quod ipsi suis physicis ac physiologicis theoriis explicare valent, in quo vel ab ipsis illarum disciplinarum cultoribus reprobantur. [2])

---

[1]) Cf. Matignon La question sur le surnaturel. Paris 1863. III. part. L'existence du surnaturel. Cf. etiam Monticelli, qui in op. cit. tom. II. pag. 186 seq. egregie de actuali tendentia in naturalismum ad excludendum ordinem præternaturalem ac supranaturalem scribit; cuius verba suo loco afferemus.

[2]) Inter ceteros celebris Arago in op. Astronomie populaire. Paris 1857. tom. IV. pag. 203 scribebat: *Les physiciens, qui ne veulent admettre que les faits dont ils entrevoient une explication, nuisent certainement plus à l'avancement des sciences, que les hommes auxquels on peut reprocher une trop grande crédulité.*

Digitized by Google

Propositio VI.

Eiusmodi causa esse nequeunt spiritus sive angeli boni.

576. Inter magnetismi animalis sectatores non defuerunt, qui plane faterentur, magnetismi phænomena nullo modo posse materialibus causis adscribi, illum præterea physicam omnem ac physiologicam excedere, omnemque humanam facultatem. [1]) Hi propterea confugerunt ad causam omnino spiritualem ab homine distinctam ac præternaturalem, sed ad spiritus eosque bonos, nempe ad angelos bonos, præsertim vero tutelares. Hos inter eminet Dr. medicus Billot, qui angelis tribuit causam phænomenorum mesmericorum in longa discussione, quam habuit cum Deleuze hac super re. [2]) Plures nactus est sui systematis adstipulatores, [3]) qui somnambulismi præsertim miris effectibus explanandis interventum substantiarum spiritualium adsciverunt. Alii denique incerto animo pendent. Exinde deprehendimus, per hanc novam phasin magnetismum ex materialismo in spiritualismum eumque purum transformatum esse, atque id lucri provenisse ex eiusmodi transformatione, ut non pauci, qui paulo ante angelorum, ac generatim spiritualium substantiarum existentiam non admittebant, nunc iam eam strenue propugnare non dubitent.

577. Verum quidquid de hoc sit, angelis bonis phænomena magnetica tamquam causæ effectrici tribuere, absurdum omnino ac impium est, spectata ipsorum conditione, ac divinæ providentiæ ordine inspecto.

---

[1]) De hac peculiari schola disserit Deleuze: Hist. crit. chap. XII. Digression sur les doctrines mystiques.

[2]) In op. Correspondance avec Deleuze. Vir hic licet sincere catholicus, quique se Ecclesiæ auctoritati omnino subiecit, attamen, uti ex dicendis patebit, deceptus est.

[3]) Hos recenset Caroli op. cit. part. II. cap. X. pag. 465. Billot in epistola data ad Mirville die 11. Nov. 1853. conquestus est, quod iste in suo opere Des esprits ipsum recensuerit inter magnetizatores, deceptus fortasse ex titulo quem libro suo præfixerat: Correspondance etc., cum potius eum inscribere debuisset: Les grandes vérités révélées à l'homme plongé dans le sopor clairvoyant. Subdit vero: *On aurait vu alors que, bien loin de rentrer dans les pratiques et théories toutes matérialistes de Mesmer, je ne recevais d'autres inspirations que celles des vrais esprits de lumière.*

Digitized by Google

578. Sane, nonnisi ex divina revelatione novimus angelos existere, ex qua pariter scimus, ex illis alios ex statu gratiæ, in quo conditi fuerant, decidisse, alios vero fideles in accepta gratia perseverasse, et gloria seu intuitiva Dei visione donatos,[1]) Deoque ministrare in salutem præsertim animarum, quæ ipsis in tutelam datæ sunt. Si propterea boni angeli in ministerium missi sunt eorum qui hæreditatem capiunt salutis, ut Apostolus loquitur,[2]) profecto absonum est cogitare, eos ita demitti, ut debeant nugis mesmericis seu magneticis delectari, effectus producere somnambulorum, excitare contractiones, catalepsias, insensibilitatem, communicare claram, quam vocant obiectorum occultorum intuitionem, transmutare sensus, et hæc aliaque eiusmodi permulta ad voluntatem seu imperium ac nutum magnetizantium efficere, atque ad eorumdem voluntatem pariter sistere ac cessare ab iisdem phænomenis eliciendis. Idem dic de physiologicis ac therapeuticis phænomenis, perinde ac si angeli constituti a Deo fuerint exercendæ medicæ arti, et quidem ope somnambulismi cum universo apparatu mesmerico et magnetizantis ministerio. Quodque deterius est, his angeli occuparentur tali sæpe infelici exitu, ut potius nocumentum, quam utilitatem infirmis conferrent.[3]) Ecquis non videat, indigna hæc sublimibus illis spiritibus prorsus esse beatifica Dei visione donatis? Quid hæc ad animæ profectum conferrent atque salutem?

579. Ecquis præterea sibi persuadeat, nonnisi postremis hisce temporibus angelos cœpisse in eiusmodi officiis occupari, ac mira magnetismi phænomena ad nonnullorum hominum placitum operari, atque effectum producere? Nonne hæc bono hominum sensui repugnant, et abhorrent ab idea illa, quam de angelis nobis divina exhibet revelatio? In hac enim hypothesi dependerent angeli a voluntate non semel prava magnetizantium, ac sæpe etiam ad inhonestos fines directa. Accedit, nec ipsos ardentiores magnetologos diffiteri, hisce operationibus in

---

[1]) Hæc omnia singillatim adstruximus in tract. de Deo creatore. part. I. De angelis.

[2]) Hebr. I. 14.

[3]) Siquidem Billot in sua cum Deleuze-communicatione concedit, immo contendit, ab eiusmodi causa angelica repeti debere etiam phænomena physiologica, perinde ac tenuiora mesmerismi. Vid. op. cit. tom. II. pag. 101 seq. Quod vero non semel experimenta magnetica quin prosint noceant potius infirmis, in confesso est apud magnetophilos.

Digitized by Google

grave moralis mali periculum coniici magnetizatum, qui se alterius dominationi præbet; [1]) iam vero nemo sanæ mentis sibi persuadebit, angelos posse se cooperatores præbere eiusmodi malis moralibus in perniciem animarum, quæ ipsis in tutelam commissæ sunt.

580. Verum, quod non modo absurdum, sed et impium evincit tribuere angelis causam phænomenorum magneticorum, illud præterea est, quod auctor ipse istius systematis Dr. Billot ea referat de hoc angelico agente, quæ nugatoria non solum sunt, sed prorsus indecora, inhonesta et prava. Exhibet enim angelicum eiusmodi spiritum interdum ludentem cum assecla sua, parantem ei cibos et pharmaca, excitantem assultus ac motus indecoros, sensuales, imo et obscœnos. [2]) Hæc vero omnia talia sunt ut cum angelicis spiritibus componi nullo modo possint, immo vero quæ iisdem non summopere adversentur, utpote quæ inhonestatem redoleant et ad pravitatem inducant.

Concludamus igitur necesse est, quod adstruere bonos angelos causam proximam et effectricem phænomenorum magneticorum, absurdum sit ac impium.

---

[1]) Cf. Deleuze Hist. crit. I. part. ch. IX. Des inconvénients, des dangers et des abus du magnétisme; ubi pag. 203 inter cetera scribit: *Il n'est pas douteux que le magnétisme établissant des rapports entre le magnétiseur et le magnétisé, soit par une frequentation plus habituelle, soit par la confiance, soit par la nature même de l'agent, il peuvent resulter les plus grands inconvénients de son emploi entre des personnes de differente sexe.* Verum de hoc postea.

[2]) Ne videamur apponere aliquid falsi aut exaggerati prædicto auctori, iuverit ipsa eiusdem verba huc afferre, quæ ita se habent: *Celui-ci (le mari) étant éveillé, voulant s'assurer de la présence de l'Esprit (de Laure), le priait mentalement de la lui prouver par un signe sensible, tel qu'il était donné chez la fille Mathieu, en soulevant ou en agitant la partie désigné du corps de Madame, sur laquelle il appuyait la main, ou bien par un simple mouvement ondulatoire des muscles de ces parties. Et l'esprit faisait ce que lui était indiqué. Ainsi souvent, et sans rien dire à sa femme, plongé dans ce sommeil magnétique, le mari conversait avec l'esprit, lui faisait des questions auxquelles celui-ci répondait par un mouvement affirmatif ou négatif convenu. Mais, le signe auquel le mari se complaisait le plus, était celui de gonflement du sein. La poitrine alors se dilatait, se bombait, le sein se durcissait, et c'était par les secousses que le mari faisait, ainsi qu'il nous l'a dit, répéter selon son plaisir,*

Digitized by Google

Difficultates.

581. I. Obi. 1. Remota quavis fluidica aut materiali causa, non alia superest explicandis phænomenis magneticis idonea, præter agens spirituale ac intelligens, seu angelum. 2. Somnambuli ex se nihil efficere possunt: ab alto propterea claram intuitionem totamque suam scientiam mutuentur oportet iuxta illud: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* [1]) Hinc ab angelo, Mentore illo cœlesti ac duce, quem Deus homini dedit ad eum illuminandum, atque ad bonum excitandum removendumque a malo, repeti debent mesmerica phænomena. 3. Sane angelo tutelari in acceptis referri debent subitæ præsensiones eventus alicuius felicis aut infelicis, quas identidem experimur, perinde ac conscientiæ remorsus in malefactis. 4. Cumque ex magnetologorum confessione plura somnambulorum phænomena solis naturæ legibus explicari nequeant, consequens est a causa præternaturali, nempe ab angelo, ea repeti debere. 5. Sane spiritus solus potest supra spiritum agere, et hoc mediante, supra materiam. 6. Admittere vero, prout nonnulli magnetologi contendunt, mixtam actionem spiritus et materiæ ad phænomena producenda, absurdum est et contradictionem involvit. Ergo.

582. Resp. ad 1. D. Superest agens spirituale ac intelligens, C.; angelus, nempe bonus, N. Cuiusmodi porro sit agens istud spirituale ac intelligens, in insequenti propositione statuemus.

583. Ad 2. Neg. sequelam. Ex eo enim, quod somnambuli nihil per se efficere possint, non sequitur unice ab alto accersenda esse phænomena mesmerica, quæ illi operantur, quum æque possint ab abysso obtineri, uti paulo post ostendemus. Licet verissimum sit, quod ab angelo tutelari agnosci debeant officia recensita illustrandi homines sibi commissos, eosque ad bonum promovendi atque a malo revocandi, falsum tamen est, hæc omnia effici ab angelo per somnambulos.

584. Ad 3. Tr. Ast ingens intercedit discrimen inter salutares inspirationes, præsensiones, conscientiæ remorsus et effectus mesmericos, qui nihil habent cum illis commune. In-

---

qu'il connaissait les réponses, soit affirmatives, soit négatives, que l'esprit faisait à ses demandes. Op. cit. pag. 260.

[1]) Jac. I. 17.

Digitized by Google

super recensiti effectus non indigent medio aliquo operatore et excitatore, prout poscunt effectus mesmerici; adeoque illos cum istis permiscere, est prorsus abuti bona legentium fide, illosque in errorem inducere.

585. Ad 4. Dato toto argumento, ex eo inferri logice nequit, debere phænomena magnetica angelo tribui, si alia causa præternaturalis sit, cui adscribi ea possint ac debeant.

586. Ad 5. Tr. Ex hoc enim sequeretur, quod et nos contendimus, effectus mesmerismi et somnambulismi haud posse causæ materiali seu fluidicæ, ut plerique magnetologi sentiunt, adscribi. Ceterum si potest principale agens, seu spiritus, per alium spiritum agere in materiam, quare non poterit immediate ac per se agere in materiam?

587. Ad 6. Resp., et nos respuere utpote contradictoriam et absurdam mixtam actionem spiritus ac materiæ per modum unius, perinde ac si inter se identificarentur. [1])

588. II. Obi. 1. Nonnisi angelico agenti tribui possunt effectus illi, qui in somnambulis passim cernuntur; cuiusmodi sunt præter spirituales, etiam optimi physiologici effectus, qui corporali hominis prosunt incolumitati ac saluti: quæ profecto a spiritu malo, hominis hoste, expectandæ non sunt. 2. Multo vero magis, quæ conferant ad pietatem excitandam fovendamque per salutares admonitiones, exhortationes et sancta consilia, quibus referta est historia somnambulismi. 3. Quodsi identidem ex somnambulorum ore excidunt prava aut inhonesta aliqua dicta, ac, si placet, ea etiam, quæ ad malum morale inducunt, tamquam exceptiones hæc habenda sunt a regula generali; cum fieri possit ut angelus tenebrarum functiones sibi usurpet angeli lucis. 4. Hinc non pauci adstipulatores facti sunt huius doctrinæ: ex qua id lucri habemus, quod sic a non paucis prius incredulis iam admittatur existentia et tutela angelorum, a quibus non ita pridem abhorrebant. Ergo.

---

[1]) Ut intelligantur, quæ tum in obiectione tum in responsione dicta sunt, sciendum est, Dr. Billot hoc argumento urgere Deleuze fluidistam, qui ad reddendam rationem nonnullorum magneticorum effectuum recurrit ad absurdam quamdam quasi consubstantialem unionem, seu potius mixturam substantiæ spiritualis cum substantia materiali fluidi; quin adverterit ad absurditatem eiusmodi permixtionis spiritus ac materiæ, quæ agat seu producat effectus per modum unius, et quod dentur particulæ spiritus, quæ commisceantur cum particulis materiæ seu fluidi!

Digitized by Google

589. Resp. ad 1. D. Expectandæ non sunt a spiritu malo, hominis hoste, operationes spirituales et physiologicæ in bonum finem, C.; ad faciliorem per eas deceptionem N. Hæc autem malorum spirituum perpetua ars fuit et est, ut, dum hominibus moliuntur fraudes, exiguum aliquod bonum verum vel apparens eis exhibeant, ut his decepti facilius et incautius in hostis vaferrimi retia incidant, et sic mala incurrant. Hoc enim discrimen inter bonos et malos spiritus intercedit, ut boni numquam malum in perniciem animarum operentur, contra vero pravi spiritus tum bonum tum malum agere possint et præstent, ut sic incautos illaqueent et ad malum tandem pertrahant.

590. Ad 2. D. Si excitarent ad pietatem veram, Tr. vel C.; si nonnisi ad apparentem et vanam, N. Numquam pravi spiritus ad veram solidamque pietatem ac virtutem excitant, cuius ipsi incapaces sunt. Quandoque ad sæva pœnitentiæ opera homines permovent, ut patet ex Sinarum, Japoniæ, Indorum Bonziis, Brachmanis, qui horribili interdum se abstinentiæ cruciatu macerant,[1]) quod et in nonnullis etiam ætatis nostræ hæreticis et schismaticis contingere consuevit. Quandoque tanto tamque miro affectu ac dulcedine afficiuntur, ut liquefieri videantur; interim vanitatem ac superbiam pariter miram fovent, humilitatem ignorant, in veritatem et ecclesiam insurgunt, seque illi subiicere detrectant. Hos vere diaboli martyres appellaveris, qui dure vivunt ut durius puniantur. Tales porro sunt somnambuli eiusmodi pietistæ, ut prætereamsilentio modum quo ipsi ad mesmericum statum inducuntur, angelo indignum.

591. Ad 3. Tr. vel N. Utique, fatentibus adversariis ipsis, obrepere potest spiritus pravus in mesmerica phænomena, ast hoc ipso inficiari debemus, angelos bonos se illis admiscere; alioquin ipsi paterentur se a spiritibus malis supplantari, quod absonum est. Præterea neque dici possent exceptiones a regula generali illi spirituum malorum intercursus, cum, si sup-

---

[1]) Cf. Bartoli in Historia Soc. Jesu, Asia, Indie. part. prima lib. III. ediz. Rom. 1667. pag. 134 seq., et part. II. Il Giappone lib. III. pag. 589 seq., ac demum part. III. La Cina. lib. I. pag. 130 seq. et alibi sæpe; nec non Bertrand in op. La mission du Maduré. Paris 1847. tom. I. chap. IV. Religion des peuples de l'Inde. art. IV. Culte Bramanique pag. 140 seq. Porro incredibilia videntur, quæ de istorum austeritatibus, pœnitentiis, etc. leguntur, dum vitam solitariam in insulis, in silvis, in rupibus et antris ducebant, vere a dæmone illusi.

Digitized by Google

putatio fieret casuum, in quibus piæ exhortationes, honesta verba ad bonum inducentia in somnambulis se produnt, et conferantur cum iis quæ prorsus contraria sunt, scilicet scurrilia, inhonesta, blasphema etc., a somnambulis prolata, proportio staret unius ad centum. Proinde si exceptio agnoscenda est, ea potius esset dicenda in bonis quam in malis. Demum, hoc prætermisso, in his phænomenorum omnium complexus spectandus est, et identitas causæ est assignanda: si igitur talia dentur, quæ nullatenus cum angelis bonis componi possint, componantur vero omnia cum spiritibus malis, his tantum tamquam unicæ causæ adscribenda sunt.

592. Ad 4. Tr. Hæc enim omnia extrinseca sunt, ac per accidens. Si hypothesis est falsa ac veritati adversatur, fieri nequit vera ex quibuscumque bonis effectibus.

Propositio VII.

Nulla alia causa magneticorum phænomenorum admitti potest præter spiritus pravos seu dæmones.

593. Si nullus est effectus sine causa, quum phænomena magnetica totidem effectus sint, causa iis producendis idonea necessario assignari debet et admitti. Jam vero in præmissarum propositionum serie hypotheses omnes seu causas expendimus, quæ a multiplici magnetologorum classe excogitatæ sunt. Has porro omnes exclusimus uti ineptas effectibus mesmericis producendis, scilicet exclusimus causam fluidicam, causam psychologicam, voluntatem humanam physice agentem, ostendimus, causam eiusmodi intelligentem ac liberam esse oportere ab anima humana distinctam, imo et vidimus, hanc causam esse anima humana natura sua præstantiorem ac præternaturalem. Quodsi causa hæc præternaturalis est, alia esse nequit nisi aut angelica aut diabolica; atqui ex præcedente propositione nequit esse angelica: restat igitur ut debeat esse diabolica. Hinc per exclusionem, ut loquuntur dialectici, indirecte iam ostenditur veritas theseos nostræ, nullam aliam videlicet causam magneticorum phænomenorum admitti posse præter spiritus pravos seu dæmones.

594. Sed iam præstat, hanc ipsam propositionem adstruere directe. Quod quidem ita ostendimus: Illi uni causæ phænomena magnetica tribuenda sunt, quæ non solum sit intelligens,

Digitized by Google

libera ac præternaturalis, sed præterea prava ac perversa: atqui talis non est, nec esse potest præter dæmonem. Ergo.

595. Maior propositi argumenti patet 1° ex natura phænomenorum; 2° ex effectibus; 3° ex modo; 4° ex pravitate et perversitate manifesta principalis agentis; 5° denique ex aperta aut tacita confessione haud paucorum magnetistarum. Hæc singillatim evolvamus oportet:

596. Ac primo quidem ex natura phænomenorum: Siquidem incipiendo a phænomenis magnetismi simplicis, ac progrediendo ad phænomena superioris ordinis, nempe usque ad somnambulismum magneticum ac lucidum in omnibus suis phasibus claræ intuitionis, prævisionis, retrovisionis, translationis sensuum ac extasis, se prodit causa intelligens ac libera, eaque præstantior, quæ operatur. Nam contra voluntatem utriusque passim agit, eamque plene dominatur et necessario inducit, seu cogit ita, ut nec possit agere quod vellet, et faciat quod nollet in corpore arrepto. Rursum, hoc agens amplificat et extendit intellectualem naturalem facultatem, viresque præbet, quæ naturalem virtutem excedunt, ut patet ex surdo-muto, qui in statu somnambulismi magnetici distincte et intelligit et loquitur, responsaque sapientissima ultro dat; [1]) patet ex idiotis rudibusque viris ac mulieribus immo et infantibus, qui linguis ignotis loquuntur, ac ita scientifice disserunt, ut confundant vel doctos ipsos magnetistas; [2]) tali interdum elegantia ac eloquentia fantur, ut admirationem in audientibus excitent, ut alia eiusmodi plura prætercam. [3]) Quæ licet adhuc per se non evincant causam intelligentem ac præternaturalem pravam, cum absolute etiam a causa bona provenire possint, tamen, si ratio simul habeatur et dependentiæ somnambulorum a suis magnetistis, et affectionis saltem suspectæ in eosdem, et errorum, in

---

[1]) Hunc siquidem surdo-mutum magnetizavit Dupotet; qui, dum in somnambulismo diserte sapienterque responsa quæstionibus sibi propositis præberet, ad normalem suum statum revocatus non amplius valuit vel verbum proferre, omnium quæ protulerat oblitus. Ita ipsemet Dupotet id refert in suo Essai sur l'enseignement philol. du magnét. pag. 195.

[2]) Haud pauca exempla huius agendi rationis collegit d'Orient in op. Accomplissement des prophéties etc. Paris 1849—1850. tom. III. pag. 30 seq.

[3]) Cf. Deleuze chap. III. pag. 80 seq. vol. I. In his somnambulorum phænomenis referendis unanimes magnetologi sunt.

Digitized by Google

quos non semel impingunt, et ineptiarum, in quas dilabuntur, gravissima, sin minus certitudo, saltem præsumptio de principio malo, ex quo talia efficiuntur, existit. [1])

597. II. Ex effectibus: Inter quos enumeramus primum illam pessimam propensionem, quam, vel ipsis fatentibus magnetologis, sæpe magnetismus animalis instillat in patientes ad suicidium, quod interdum executioni mandatur: [2]) ingerit enim tædium molestissimum vitæ suæ seu propriæ existentiæ; [3]) deinde obscœnam affectionem, quam agens magneticum patefacit erga epigastrium ventrisque regiones; [4]) tum deceptiones, in quas frequenter inducit per fallacias in suis responsionibus, quæ, licet essentialia mesmerismo non sint, cum tamen non semel ab illo ceu causa exitiales eiusmodi effectus dimanent, argumentum de eius pravitate aperte ostendunt: [5]) siquidem ex pravitate effectuum pravitas causæ desumitur.

598. III. Ex modo, quo mesmerismus operatur: Siquidem exploratum est, mirabiliores saltem effectus mesmericos ut plurimum non se manifestare nisi in infirmitatibus, ac in statu morboso, atque cessare cessante huiusmodi statu. [6]) Præterea exploratum est, ex iterato somnambulismo eum statum temporis lapsu interdum resolvi in statum morbi habitualis. [7]) Item constat, ad effectus ciendos magnetismi requiri assensum ac relationem patientium, quin etiam fiduciam, quoad eius fieri potest, religiosam in magnetismum, qui tamen consensus satis est ut sit aut actualis aut anterior, formalis aut implicitus, serius aut lusorius. [8]) Tunc enim agens magneticum invadit patientem, ita tamen, ut, si eiusmodi consensus sit plenus, agens functiones exerat suas absque ullo obice, ac status magneticus

---

[1]) Cf. Caroli op. cit. vol. II. pag. 22.

[2]) Uti præter d'Orient l. c. testantur Gauthier Essai prat. p. 512., Charpignon Psycholog. pag. 306., Billot Recherches tom. II. pag. 259, aliique passim.

[3]) Dupotet, qui in suo Essai non veretur scribere: *Tout ce qu'il y a de généreux ou se tue, ou envie de se tuer. Heureux ceux, qui meurent d'une mort prompte, d'une mort que l'Eglise reprouve!!* — tamen ipse gaudet ac bene valet.

[4]) Cf. d'Orient tom. III. pag. 29, 30 scribentem *de l'affection qui a cet agent pour l'épigastre et les regions du ventre,* nempe ad libidinem.

[5]) Ibid. in op. d'Orient.

[6]) Ibid. pag. 260 seq.

[7]) Ibid. pag. 267.

[8]) Ibid. pag. 285 seq.

Digitized by Google

perfectus sit et pacificus, luciditas evolvatur et oblivio magis completa appareat post excitationem somnambuli, quia hoc in casu anima nullam partem habet activam, sed prorsus passiva efficitur quoad ea, quæ in subiecto contingunt.[1]) Quodsi consensum anima aut plene non præbuit, aut etiam obsistit actioni usurpatrici, tunc oriuntur convulsiones, tremitus, contorsiones, luciditas non adeo perfecta evadit, neque oblivio completa ut in primo casu: actio enim essentialiter duplex effecta est ob animæ oppositionem.[2]) Ex eiusmodi porro agentis invasione exponuntur sæpe recensita phænomena somnambulismi lucidi ope phantasmatum, quæ in patientibus excitantur, tum etiam amplificationis cognitionum imperviarum, et ita porro.[3]) Hic autem agendi modus magis semper ac magis arguit causam ab humana anima distinctam, quæ pravæ naturæ sit et ad fallendum composita.

599. IV. Verum, quod omne dubium removet de huius agentis seu causæ phænomenorum magneticorum indole ac natura, est pravitas ipsa ac perversitas quæ in iis elucent, idque multiplici ex capite. Etenim elucent in fascinatione magica, qua magnetistæ interdum oculos mentemque arripiunt, illigant atque in furorem agunt ex inspectione cuiusdam appositæ chartæ crassioris cui arcana verba inscripta sunt.[4]) Hæc quippe diabolicam plane operationem malevolam redolent. Elucent in mentali evocatione spiritus, qui plene invadit et dominatur evocantem, eumque præbere vel scribere cogit responsa propositis quæstionibus, terroreque afficit non minus agentem quam circumstantes.[5]) Elucent in blasphema et sacrilega, quæ interdum in somnambulis cernitur, imitatione seu parodia ac oppositione charismatum divinorum per raptus, extases, stigmata quibus præditi apparent.[6]) Elucent demum potissime in impudenti et atroci impugnatione, quam plerique magnetologi et

---

[1]) Ibib. pag. 365—66. [2]) Ibid. pag. 364.

[3]) Ibid. pag. 387 seq., item pag. 390.

[4]) Huc refertur celebre speculum magicum D. Dupotet, quod propriis huius hierophantæ verbis describit De-Mirville in op. cit. Des esprits 3. edit. pag. 302 seq. in nota, quæ utpote nimis prolixa heic afferri nequit. Satis sit adnotare conspicientem eiusmodi speculum commoveri, in furorem agi, extra se rapi ita, ut sui compos amplius non sit, donec amoveatur.

[5]) Ibid. pag. 305 seq. Cf. etiam Bizouard op. cit. tom. V. liv. XXIV. chap. II.

[6]) Cf. Billot in op. cit. pag. 216 et 227.

Digitized by Google

somnambuli movent adversus Deum, adversus Christum eius et adversus catholicam Ecclesiam. Siquidem ex magnetologis alii profitentur, se tandem invenisse in suis operationibus emancipationem hominum a luto Christianismi;[1]) imo ab imperio divinitatis;[2]) alii plenis buccis proclamant magnetismum non modo uti novam philosophiam, qua renovetur societas, verum etiam uti plenam rerum conversionem, quæ faciem immutét mundi christiani, uti conversionem in rebus spiritualibus,[3]) uti opus plane divinum, cuius finis et exitus sit fruitio divinitatis, quo dii interpellantur, dii scilicet, qui vulgo dii falsi nuncupari solent, reædificabuntur altaria, quorum maceriæ seu rudera in pulvere iacent, et oracula renovabuntur; ut alia non minus impia prætteream. Quod vero attinet ad somnambulorum doctrinam, satis sit animadvertere, eam universim revocari ad putidum pantheismum in omnibus suis formis, qualis excogitatus est a schola eclectica Alexandrina, et ab Indis hierophantis, a Schellingio autem atque ab Hegelio ætate hac nostra instauratus. Aliorum doctrina in puro materialismo sistit aut in puro spiritualismo, aut in metempsychosi, et ita porro cum perpetuo inter se conflictu. Aliorum denique doctrina in eversione omnium christianæ religionis dogmatum, aut in eorum transformatione tota consistit.

600. Longum esset, vel specimen eiusmodi impietatum præbere, quæ vere christianas aures percellunt et horrore afficiunt: uti cum hominem Deum proclamant,[4]) seu verbum

---

[1]) Ut patet ex Dupotet, Essai etc. pag. 207, nec non apud d'Orient op. cit. tom. III. pag. 6, 7.

[2]) Ibid. ubi scribit: *Templiers, et vous (Franc-Maçons)... si vous possédies la clef des mystères anciens, après avoir placé ses pontifes sur le trône des rois, vous auriez disputé l'empire à la divinité.*

[3]) Hæc aliaque eiusmodi legi possunt apud Mirville, apud d'Orient, aliosque passim, potissime vero apud Bizouard toto volumine V. et VI. Nam hic auctor præ ceteris copiosius de his scripsit, ac pæne innumera documenta profert verbis ipsis magnetistarum celebriorum; nostri tractatus moles nimis excresceret, si vel aliquot excerpta eorum quæ recensuimus exhibere vellemus, adeoque cogimur ad auctores remittere eos, qui ea percurrere vellent. Interim nobis satis sit allegare ex magnetistis Delange, Le monde occulte pag. 101 seq., ubi mira haud pauca referuntur.

[4]) Uti legitur in Olivier Traité du magnétisme. Toulouse 1849. pag. 103 seq.

Digitized by Google

caro factum;[1]) Christum esse hominem perinde ac Socratem, qui præsensit divinum opus Haydni, quod transfudit in sensationes Georgii Sand (impudicissimæ fœminarum omnium); item Lamenaisium, Georgium Sand ac Berangerium trinitatem constituere suffectam Trinitati christianæ, verum totum in tribus personis existens;[2]) Satanam esse medietatem Christi, deum hactenus incognitum, sed cuius regnum adveniet,[3]) cuius insigne seu vexillum erunt libertas, æqualitas, fraternitas.[4]) Sed præstat velum obducere super tot impietatibus somnambulorum mesmericorum, adeoque cetera non persequar, ne tædio et horrore afficiam eos, qui hæc percurrent. Quæ attulimus satis superque ostendunt, a quo iniquo, scelesto, perversoque principio, agente seu causa promanent mesmerismus eiusque phænomena.

601. V. Reliquum est coronidis gratia, ut demus apertas aut tacitas huius rei confessiones præcipuorum magnetologorum. Inter hos eminet Dupotet, utpote omnium antesignanus; iam vero ipse aperte scribit ex occasione nonnullorum phænomenorum: *Heic aliquid habetur, quod excedit rationem nostram: Supernaturale se manifestat, dum eius vellem inficiari existentiam;*[5]) et iterum: *nullum dubium superesse potest, nulla incertitudo: magia inventa est.*[6]) Rursum tremens se ipsum interrogat: *utrum sapientis sit excitare spiritum Pythonis ac ceteros homines docere ubi is quiescat?... Secretus instinctus, conscientia mea clamat, male me gerere hæc attingendo.*[7]) Et alibi

---

[1]) Ibid.: *Et le verbe c'est fait chair. Voilà le grand tout, voilà le grand mot* etc.

[2]) Ibid. pag. 255. *Véritable tout en trois personnes.*

[3]) Ibid. pag. 340. *Satan est la moitié du Christ* etc.

[4]) Ibid. Quæ quidem totidem sunt responsa exhibita a somnambulis diversorum magnetistarum, quæque collecta exhibet Caroli op. cit. pag. 190 seq. Novissime vero maiori numero collegit Bizouard in op. suo Des rapports de l'homme avec le démon in sex voluminibus in 8., quæ edita sunt sub finem anni 1864. et sub initium anni 1865.

[5]) *Non, non,* scribit ipse tom. VIII. pag. 263, *il y a ici quelque chose qui dépasse notre raison: Le surnaturel se montre, lorsque je voudrais en nier l'existence:* apud Mirville op. cit. pag. 306.

[6]) *Plus de doute, plus d'incertitude, la magie est retrouvée.* Ibid. pag. 305.

[7]) *Il se demande en tremblant, s'il est sage de reveiller l'esprit*

Digitized by Google

fatetur, *se persensisse a formidabili ea potentia impetum.*[1]) Demum, ne prolixior in his sim, hic ipse dynasta refert, quod, cum quadam die sua faceret experimenta, *vis isthæc, alius diceret dæmon iste, evocata excussit me totum, ac mihi videbatur, quod circa me vacuum fieret, et ego circumdatus essem a quodam vapore leviter colorato. Omnes sensus mei visi sunt duplicata activitate præditi ... Corpus meum velut a turbine raptum, ac, reluctante licet voluntate mea, coactum ad parendum et cedendum. Alia individua robore prædita, quæ ad centrum magicarum mearum operationum accesserant, rigidius adhuc impetita sunt: opus fuit ea e solo arripere, ubi collidebantur, perinde ac si essent animam exhalatura. Vinculum perfectum erat, pactum consummatum, occulta potentia veniebat ut suum mihi concursum præberet, eratque veluti agglutinata vi meæ propriæ, mihique concedebat lucem videre: Et hac ratione iter reperi veræ magiæ.*[2]) Fassus denique est sibi videri, quod in omni vel in minimo facto magnetico magia reperiatur; quid vero magiæ nomine ipse intelligeret, declaravit dicens: eam esse occultarum causarum assistentiam.[3]) Omitto reliquos plus minus in easdem confessiones concedentes.

602. De maiori itaque propositi argumenti propositione luculenter constat. Quod vero spectat ad minorem, scilicet eiusmodi causam non esse nec esse posse præter dæmonem, non minus perspicue ostenditur. Satis est enim revocare in mentem eiusdem causæ notas, ut illico deprehendamus, eas nonnisi diabolo competere posse: siquidem ipse est intelligens ac liber, vi ac robore humana natura præstantior, adeoque præternaturalis, et, quod caput est, pravus atque perversus, cuiusmodi vidimus per partes singulas esse causam mesmericam phænomenorum magneticorum. Huc accedit, ut pariter ostendimus, aperta eiusdem causæ declaratio seu manifestatio, nec non confessio antesignani magnetologorum.[4])

---

de Python et d'apprendre aux hommes où il repose ... Un instinct secret, ma conscience, crie que je fais mal de toucher à ces choses. Apud Mirville op. cit. pag. 304.

[1]) *J'ai senti les attentes de cette redoutable puissance.* Ibid.

[2]) Cette force: un autre dirait ce démon, evoquée, agita tout mon être etc. Ibid. pag. 305. 308. 309.

[3]) Ibid. Ubi plures aliæ eiusmodi magnetologorum confessiones inveniuntur, diversisque verbis eadem exprimuntur.

[4]) Ut patet præter dicta ex iis, quæ habentur in Journal du mag-

Digitized by Google

603. Ut autem quæ hactenus allata sunt in unum perstringamus, atque veluti ob oculos in tabula synoptica colligamus ut maius adhuc robur nanciscantur, ex dictis constat, quod:

604. 1. In phænomenis mesmericis interveniat vis extranea subiecto magnetizato, quæ illud invadit, ac subiicit etiamsi reluctetur effectibus magneticis.

605. 2. Hæc ipsa vis extranea pariter est ac independens a magnetizante, ut patet ex phænomenis, quæ eodem invito et obluctante accidere consueverunt.

606. 3. Vis mesmerica independens præterea est a quavis lege, quæ mundum physicum ac substantias materiales sive solidas sive fluidas regat, prout liquet ex varietate effectuum, qui nullam constantiam servant temporis, modi, personarum, adiunctorum, mutantque, prout libet, intensitatem, extensionem, qualitatem.

607. 4. Non est pariter ullis notis legibus physiologicis et psychologicis obnoxia, quæ regunt spiritum humanum in duplici ordine sensitivo et intellectuali, prout elucet ex eo, quod hæc vis mesmerica operationes exequitur sensiles et intellectivas modis omnino oppositis his, quos iuxta suas leges sequitur anima humana.

608. 5. Vis mesmerica nulla ratione pendet natura sua a libero hominis arbitrio, ut constat ex inordinato agendi modo, instabilitate, irrisione tum creduli subiecti, tum magnetizantis; tum etiam ex perfecta ignorantia, quam circa eius naturam profitentur ipsi magnetologi.

609. 6. Vis mesmerica, utpote distincta et extranea tum magnetizanti tum magnetizato, atque independens ac absoluta ab utriusque arbitrio, est substantia per se existens, ac ea energia prædita, quæ ad effectus omnes producendos, qui ab ipsa dependent, est necessaria, ut patet ex nuper dictis.

610. 7. Causa mesmerica est spiritualis et intelligens, ut patet ex effectibus præcipue intellectivis, quos producit, atque ex obedientia, quam præbet voluntati magnetistæ, quam propterea cognoscit ut exequatur, atque etiam ex inobedientia et reluctantia, quam identidem eius iussis ostendit, quæque pariter interdum eludit contrarie agendo.

---

nétisme 29. Novemb. 1852. et ex iis, quæ testantur vel ipsimet Reichenbach, Gregory, Ellictson, aliique non pauci.

Digitized by Google

611. 8. Eadem causa non solum est intelligens ac libera, verum etiam natura sua superior seu præstantior humana natura, adeoque præternaturalis; quod patefit ineluctabiliter ex phænomenis omnibus, in quibus humana intelligentia redacta est ad omnimodam et absolutam inertiam ac impotentiam iuxta inviolabiles perpetuasque præsentis suæ conditionis leges. Hæ siquidem impossibiles omnino, imo et absurdas efficiunt intuitiones sine oculis, visiones medicas, visiones in distans, penetrationes alienæ cogitationis, multo vero magis prævisiones ac retrovisiones somnambuli et extatici magnetici una cum cognitionibus scientificis novis ac excedentibus culturam intellectualem tum magnetizati tum magnetizantis, ac interdum etiam contrariis.

612. 9. Demum causa mesmerica est prava ac perversa, prout ostensum est; atque ut talem ostendunt facta indecora ac inhonesta, quæ causa mesmerica utpote libera ac intelligens spontaneo motu suo producit, aut saltem ea suadet, aut ad ea inducit tum in ordine presse physiologico, tum in ordine psychologico. Ostendunt præterea impiæ doctrinæ ac blasphemiæ, quæ ipsa docente ac impellente a somnambulis mesmericis effutiuntur. [1])

613. Cum in his includantur veluti in summa probationes, quibus patefit indoles essentiaque ipsa causæ magneticæ, rite concludimus, prout in enunciatione propositionis nostræ constituimus, nullam aliam causam magneticorum phænomenorum admitti posse præter spiritus pravos seu dæmones.

Difficultates.

614. Obi. 1. Etiamsi non valeamus rationem reddere phænomenorum omnium mesmericorum, non exinde sequitur, ea spiritui malo seu dæmoni esse tribuenda; possunt enim produci a causis nobis ignotis. 2. Ecquis enim sibi adblandiri potest, se effectuum omnium causas perspectas habere? 3. Eo vel magis, quod, cum phænomena magnetica in duas classes apprime distinguantur, in physiologica nempe et psychologica seu in minora ac maiora, fit ut, quemadmodum physiologica ac

[1]) Hæc omnia ac singillatim evolvit doctus Monticelli in op. cit. Sulla causa dei fenomeni mesmerici capp. citt. suisque appositis documentis communit, præsertim cap. II. et III. partis secundæ, quæ illic recoli possunt.

Digitized by Google

minora a causis naturalibus pendent, sic etiam a naturalibus causis psychologica ac maiora pendere possint. 4. Ad summum pro duplici phænomenorum classe duplex erit assignanda causa, in quo nihil est quod repugnet. 5. Alioquin regredi deberemus ad philtra, incantationes, maleficia, artem magicam tenebricosi mediiævi, a quibus sæculum nostrum a luminibus scientificis nuncupatum maxime abhorret. Ergo.

615. Resp. ad 1. D. Si coniecturis innixi eiusmodi phænomena tribueremus dæmoni, Tr. vel C.; si innixi ineluctabilibus probationibus tum negativis tum positivis, N. Jam vero a nobis allatæ probationes tales sunt, ut quodvis effugium præcludant; nec causis occultis sed manifestis phænomena magnetica adscripsimus, enti scilicet spirituali ac libero, præternaturali ac pravo, quod non aliud nisi dæmon est ac esse potest.

616. Ad 2. D. Et ad assignandam causam effectuum, de quibus agimus, necesse est nobis, perspectas esse effectuum omnium causas, N.; nobis satis est ex effectibus notis eorum veram causam arguere, C. De hoc argumento, quo se adversarii perpetuo contegere adnituntur, satis superius diximus.[1]) In eo porro ipsi falluntur quod assumant, agi de re theoretica et abstracta, dum contra agitur de effectibus practicis et eius naturæ, quæ necessario postulat causam determinatam et intelligentem, uti ostendimus.

617. Ad 3. D. Si ageretur de phænomenis mere physiologicis in se spectatis, Tr.; si spectentur in omnibus suis adiunctis in concreto et cum apparatu magnetico, N. Et negamus præterea consequentiam quoad phænomena psychologica. Itaque profecto nihil repugnat, quod nonnulla phænomena physiologica, pathologica ac therapeutica possint a causa naturali obtineri; si enim mere naturales effectus sunt, nonnisi naturalem causam exposcunt. Verum si phænomena etiam physiologica, prout a magnetologis efferuntur, suis omnibus adiunctis stipata spectentur, profecto a sola causa naturali repeti nullatenus possunt. Talia adiuncta sunt inductio somni ope ineptorum signaculorum,

---

[1]) Sane vidimus, adversarios toties et constanter nobis obiicere eiusmodi causas ignotas, quoties non valent se extricare a difficultatibus, quibus premuntur. Istud perfugium causarum ignotarum est ipsis ad instar pallii, quo se contegant; sed perperam ita eos se gerere, patet ex ineluctabilibus argumentis, quibus hoc ipsum pallium iisdem eripitur.

Digitized by Google

inductio status insensibilitatis plenæ seu cataleptici, dependentia absoluta ab alterius voluntate, subita ab hoc statu cessatio ad eiusdem nutum, somnambulismus etiam simplex qui succedit, aliaque eiusmodi permulta paulo ante commemorata, quæ necessario supponunt et postulant causam intelligentem ac dominantem, quæ mere naturalis esse nullatenus potest, ratione habita legum physicarum.

618. Negavimus præterea consequentiam quoad phænomena psychologica, quia hæc prætergrediuntur sub omni respectu causam naturalem quamcumque. Etenim nulla causa naturalis potest penetrare alterius cogitationem, præbere facultatem intuitionis sine organis ad eam constitutis, res perimmenso tractu distantes et longissime constitutas cernere, absque scientiæ apparatu novisse altiora eiusdem scientiæ ac recondita mysteria, et alia eiusmodi non pauca exhibere.

619. Ad 4. Neg. Etsi enim duæ inter se phænomenorum classes distinguantur, nonnisi tamen utriusque classis unica causa admitti potest ac debet: tum quia unanimi consensu magnetologi omnes fatentur, imo contendunt, unicam esse tum inferiorum, tum superiorum phænomenorum causam;[1]) tum quia alia aliis coordinata sunt, cum minora ad maiora obtinenda phænomena præmittantur; tum quia minora non secus ac maiora causam intelligentem, liberam ac præternaturalem iis producendis exposcunt, uti ex dictis patet; tum denique, quia identitatem causæ ad duplicis classis effectus ciendos identitas mediorum saltem apparentium exigit: eadem enim media adhibentur a magnetizantibus sive ad productionem, sive ad cessationem tam physiologicorum quam psychologicorum phænomenorum, ad somnambulismum simplicem, ad lucidum deinde atque ad extaticum demum producendum.[2])

620. Ad 5. D. Si illa eadem non efficerent magnetistæ seu mesmeristæ, quæ anteactis ætatibus fiebant, C.; si illa eadem mutatis nominibus efficiunt, N. Parum enim refert nomina rerum immutare, si res eædem aut permaneant aut innoventur. Jam vero illa ipsa, quæ tum sub paganismo, tum medio ævo a nebulonibus superstitiosis peragebantur sub diverso apparatu, ac nonnullis interdum mutatis adiunctis, eadem sunt, quæ ætate

[1]) Cf. citatum auctorem, qui magno numero affert magnetologos, qui id affirmant atque tamquam principium assumunt.

[2]) Cf. ibidem.

Digitized by Google

hac nostra sub magnetismi animalis obtentu peraguntur. Cum igitur magnetistæ hodierni eadem a cineribus suis exsuscitent quæ iam obtinuerunt, non est ratio quare ipsi conquerantur, si ipsis adscribimus probrosam notam, qua superstitiones antiquæ adspersæ sunt. Constat siquidem ex dictis luculentissime, eumdem cacodæmonem fuisse et esse impulsorem, immovero actorem tum antiquiorum tum recentiorum phænomenorum, quæ obtinuerunt olim, et nunc, sæculo nempe a luminibus nuncupato, obtinent. [1]) Verum de hoc ipso argumento in insequentibus capitibus copiose agemus, ex quo magis ac magis confirmabitur veritas propositionis nostræ.

Propositio VIII.

Merito ab apostolica sede magnetismi animalis abusus vetitus atque proscriptus est.

621. Ideo abusus vocem adhibuimus, ne antevertere videremur Sedis Apostolicæ iudicium circa magnetismum animalem. Licet enim haud pauci catholici censuerint ac porro censeant, in universum fuisse ab Ecclesia usum ipsum magnetismi proscriptum ac eliminatum, non desunt tamen, iique docti ac pii, qui id inficientur. [2]) Persuasum nihilominus nobis est, sin minus theoretice, practice tamen ab eadem sede apostolica fuisse et esse eiusmodi magnetismum improbatum.

---

[1]) Huc spectat integrum opus Des Mousseaux inscriptum La Magie au XIX. siècle, in quo argumentis omnigenis ostendit identitatem eiusmodi operationum, quæ viguerunt sub paganismo ac medio ævo cum iis, quæ in præsentiarum obtinent; quod et nos suo loco pariter ostendemus.

[2]) Card. Gousset in sua Théologie morale, tom. I. cum consuluisset S. Pœnitentiariam, respondissetque Card. Castracane Maior Pœnitentiarius, non posse se ei præbere definitivam responsionem eo quod quæstio hæc nondum fuerit ab Apostolica Sede examinata, censuit, non esse praxim magnetismi absolute a confessariis prohibendam, positis tamen tribus conditionibus: 1° quod magnetizans ac magnetizatus bona fide censeant, magnetismum esse remedium naturale ac utile; 2° quod in eius usu nihil interveniat adversans modestiæ ac bonis moribus; 3° quod renuntietur cuivis interventioni dæmonis. Quibus positis, declarat eiusdem usum debere tolerari. Sed præstat eiusdem Em. Auctoris verba referre, quæ ita se habent: *En 1842, nous avons consulté le Souverain Pontife sur la question de savoir si, sepositis abusibus rei et reiecto omni cum dæmone fœdere, il était per-*

Digitized by Google

622. Ut ea, qua par est, perspicuitate in hoc sententiarum conflictu, incedamus, prius responsiones et decreta hac de re emissa a Congregationibus Romanis et a S. Pœnitentiaria exhibebimus, deinde ea expendemus, ac quid nobis verismilius videatur colligi ex iis posse aperiemus, demum ea ipsa vindicabimus.

623. Itaque iam ab anno 1840 die 25. Junii, Sancti Officii Congregatione circa magnetismum animalem consulta, hoc emanavit decretum: *In Congregatione generali S. R. universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Em. ac Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus etc. iidem Em. ac Rev. Domini dixerunt: Consulat probatos auctores, cum hac advertentia, quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis.* Cumque eidem Congregationi die 21. Aprilis

---

mis d'exercer le magnétisme animal, et d'y recourir comme à un remède, que plusieurs regardent comme naturel et utile à la santé. Son Éminence le cardinal Grand-Pénitencier a bien voulu nous écrire que la solution que nous avions sollicitée se ferait attendre, parce que la question n'avait pas encore été sérieusement examinée par le Saint-Siége. N'ayant pas reçu d'autre réponse, nous pensons qu'on doit tolérer l'usage du magnétisme, jusqu'à ce que Rome ait prononcé. Quand nous examinons de près les effets du magnétisme, il n'est pas évident pour nous qu'on doive les attribuer à l'intervention du démon. Mais la réponse du Vicaire de Jésus Christ, quelle que'lle soit, lèvera toutes nos difficultés. — En disant qu'un confesseur doit tolérer l'usage du magnétisme, nous supposons premièrement, que le magnétiseur et le magnétisé sont de bonne foi, qu'ils regardent le magnétisme animal comme un remède naturel et utile; secondement, qu'ils ne se permettent rien, ni l'un ni l'autre, qui puisse blesser la modestie chrétienne, la vertu; troisièmement, qu'ils renoncent à toute intervention de la part du démon. S'il en était autrement, on ne pourrait absoudre ceux qui ont recours au magnétisme. Nous ajouterons qu'un confesseur ne doit ni conseiller ni approuver le magnétisme, surtout entre personnes de différent sexe, à raison de la sympathie trop grande, et vraiment dangereuse, qui se forme le plus souvent entre le magnétiseur et la personne magnetisée.

Digitized by Google

an. 1841. propositus fuisset magnetismi casus nonnullis adiunctis stipatus, respondit: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.*

624. Eadem ratione respondit Sacra Pœnitentiaria quæstioni propositæ ab episcopo Lausanensi his verbis: *Persona magnetizata, quæ plerumque sexus est fœminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum somnambulismum magneticum, tam alte, ut nec maximus fragor ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud extasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusque, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat. Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, hæc persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat; eorumque progressus, variationes et complicationes evolvit, idque propriis terminis; sæpe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte prænuntiat remediaque simplicissima et efficacissima præcipit. Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utramque per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex eius cæsarie eam supplet et sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatæ admoto, confestim hæc declarare potest quid sit (quin adspiciat oculis) cuius sint capilli, ubinam versetur nunc persona, ad quam pertinent, quid rerum agat, circaque eius morbum omnia supradicta documenta ministrare, haud aliter, atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret. — Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit, illud leget legendi nescia, seu librum seu manuscriptum, vel apertum vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione eius verba egredi videntur. Hoc autem statu educta, vel ad iussum etiam internum magnetizantis, vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se prænunciato, nihil omnino de rebus in proximo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit. Quænam ab ipsa petita fuerint, quæ vero responderit, quæ pertulerit, hæc omnia nullam in eius intellectu ideam, nec minimum in memoria vestigium reliquerunt.* Quibus expositis, quærit: *An confessarius vel parochus possit pœnitentibus permittere aut parochianis:* 1° *ut magnetismum animalem, illis characteribus, aliisque similibus præditum exerceant, tamquam*

Digitized by Google

artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam; 2° *ut sese illum in statum somnambulismi magnetici dimittendos consentiant;* 3° *ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas;* 4° *ut unum de tribus prædictis suscipiant habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicæ interventioni; quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo huiusmodi vel iidem aliquot effectus obtenti iam fuerunt.* Resp. *S. Pœnitentiaria, mature expensis expositis, respondendum censet, prout respondet: Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.* Die 1. Julii 1841.

625. Postremum documentum circa magnetismum suppeditat encyclica quæ de mandato Supremæ Inquisitionis data est ad omnes episcopos sub hoc titulo: Supremæ Sacræ Romanæ Universalis Inquisitionis encyclica ad omnes Episcopos adversus magnetismi abusus, sequenti tenore: *Feria IV. die 30. Julii 1856. In Congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam Em. ad Rev. DD. Cardinales in tota republica christiana adversus hæreticam pravitatem generales inquisitores, mature perpensis iis, quæ circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi præsentes litteras encyclicas ad omnes episcopos ad magnetismi abusus compescendos. Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent. Nonnullæ iam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad particulares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est feria IV. 21. Aprilis 1841: Usum magnetismi, prout exponitur, non licere. Similiter quosdam libros, eiusmodi errores pervicaciter disseminantes, prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit feria IV. 28. Julii 1847: Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat*

Digitized by Google

ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis. Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum animarum iactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi, ac dominis suis divinando certo consecuturæ. [1]) *In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas, et religioni et civili societati infensissimum, efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia et zelus episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum ordinarii, qua paternæ caritatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et evellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur. — Datum Romæ in cancellaria S. Officii, apud Vaticanum, die 4. Augusti 1856. — V. Card. Macchi.*

626. Talia sunt, quæ circa mesmerismum ex Apostolica Sede nobis suppetunt documenta. Ex quibus I. deprehendimus,

---

[1]) Et reipsa constat, magnetizatores non sine magno quæstu ad suas operationes adventantes admittere. Guidi pro unaquaque sessione ad somnambulam suam consulendam exigit decem libellas, prout exigunt magnetistæ Parisienses; nonnulli etiam viginti libellas exigunt, eoque amplius. Alii magnanimitati adventantium se remittunt, et ita porro. Exinde patet, non frustra in hoc decreto mentionem fieri magni quæstus, quem a suis operationibus magnetistæ consectantur.

Digitized by Google

magnetismum in se spectatum et in abstracto, quatenus est physicum medium, ex. gr. fluidum aliquod sive magneticum ex humano corpore dimanans, sive electricum, sive æthereum, sive nerveum, sive alio quovis nomine designetur in ordine ad effectus mere physicos producendos adhibitum, secluso omni superstitionis periculo, et si nihil præ se ferat quod morum honestatem offendat, non esse prohibitum.

627. II. Deprehendimus, magnetismum practicum seu prout usurpari consuevit, cum apparatu somnambulismi sive simplicis sive magnetici aut lucidi, tamquam medium physicum ad effectus præternaturales obtinendos, esse omnino vetitum.

628. III. Deprehendimus, magnetismum posse involvere in sua praxi aliquem errorem hæreticalem, quatenus scilicet aut circa negationem dæmonum existentiæ, aut circa eorumdem cum hominibus relationem, aut circa hominum naturales potentias, aut circa superstitiosum modum, quo adhiberi contingat, errores contineantur.

629. IV. Deprehendimus, magnetismum, prout efferri solet seu vulgo exercetur in concreto, multo vero magis somnambulismum cuiuscumque speciei arte inductum, esse prorsus illum magnetismi abusum, quem Sacra Inquisitionis Congregatio reprobat ac damnat.

630. V. Deprehendimus quoad magnetizatorem et magnetizatum, eos culpa vacare aut ea coinquinari pro ratione bonæ vel malæ fidei, seu ignorantiæ vincibilis aut invincibilis, qua ipsi laborant, ac generatim nemini ab animarum moderatoribus suadendum esse magnetismi usum, utpote periculi plenum. Ceterum quoad casus particulares consuli poterunt institutores theologiæ moralis. [1])

631. Post hæc operosum non est evincere veritatem enunciatæ theseos, quod nempe merito ab Apostolica Sede magne-

---

[1]) Cf. Gury in Compendio theol. moral. in tract. de præcept. decalogi. cap. II. in append. de magnetismo animali. tom. I. ed. 1853. pag. 183, Scavini Theol. moral. universa. Novaræ 1850. vol. II. tract. V. cap. III. art. III. corollarium de magnetismo, ut vocant, animali. pag. 15 seq. Verum quum postea data fuerit epistola encyclica S. Inquisitionis, ad eam istorum doctrina exigi debet, perinde ac sententia Cardinalis Gousset, a nobis superius relata.

Digitized by Google

tismi animalis abusus vetitus atque proscriptus fuerit. Etenim per allata documenta illud iure meritoque vetitum atque proscriptum dicendum est, quod sive implicat superstitionem, sive inducit ad immoralem ac inhonestam actionem conversationemque, sive evidens saltem involvit proximum peccandi periculum. Atqui eiusmodi est, quod abusus magnetismi nomine in adductis documentis designatur. Ergo etc.

632. De propositi argumenti maiori propositione nemo ambigere potest, qui christianam seu catholicam teneat professionem. Ecquis enim inficiari christianus poterit, merito vetitum proscriptumque illud fuisse et esse, quod implicat superstitionem, seu contra virtutem religionis vitium, aut illud, quod inducit in morum pravitatem, aut saltem hominem in proximo peccandi periculo constituit? Itaque, si qua difficultas superest, ea tota est in minori.

633. Porro minor constat ex iis omnibus, quæ in continenti propositionum serie hactenus vindicavimus, quod scilicet magnetismi animalis phænomena, in suo complexu spectata, nulli physicæ causæ aut psychologicæ tribui queant, sed unice causæ præternaturali, eique malæ, scilicet spiritibus malis, seu dæmonibus in acceptis referri debeant. Ne igitur eadem iteremus, satis ex ipsis nobis est in præsentiarum inferre tamquam corollarium, iure merito magnetismi abusum, seu potius usum, prout nunc obtinet, fuisse ab Apostolica Sede proscriptum, ac propterea, quod consequens est, a nullo christiano homine absque gravi piaculo posse in usum deduci ad phænomena, quæ prætergrediuntur ordinem physicum, obtinenda, prout tum ex responsis S. Pœnitentiariæ, tum ex responsis et encyclica Congregationis S. Inquisitionis patet. [1])

---

[1]) Animadvertendum hic sedulo est, auctores catholicos a nobis allegatos, qui mitius visi sunt de magnetismi usu scripsisse, ea ætate, seu annis illis sua edidisse commentaria, quando nondum detecta plene erat magnetismi vafrities. Tunc temporis adhuc putabatur existere reipsa fluidum magneticum animale, quod nunc a physicis omnibus exploditur; adhuc in usu erat quidam apparatus externus ad ciendos magnetismi effectus, qui nunc penitus exulavit, nec experimenta fiebant magnetismi nonnisi per inductionem somnambulismi artificialis, qui nunc proscriptus est. Et hoc adeo verum est, ut propter datam encyclicam magnetologi ac magnetophili omnes excanduerint, uti ex mox dicendis patebit.

Digitized by Google

Difficultates.

634. I. Obi. 1. Tantum abest, ut a S. Pœnitentiaria, aut a Sac. Inquisitione improbatus fuerit usus magnetismi animalis, ut potius licitus ac innocuus declaratus fuerit. 2. Etenim ex datis responsionibus licitus est usus mediorum physicorum ad physicum effectum obtinendum, exclusa expressa aut tacita dæmonis invocatione ac intentione ad pravum finem. Jam vero media a magnetizantibus adhibita: manus gesticulatio, insufflatio, conductores, substituta magnetica, fluidum nerveum magnetizantis, totidem media physica sunt; de invocatione autem sive explicita sive implicita dæmonis magnetistæ ne cogitant quidem. Licitus igitur eiusmodi usus est ad obtinendam infirmorum valetudinem. 3. Reipsa episcopus Lausanensis non merum magnetismi usum, sed pluribus eisque superstitiosis adiunctis stipatum proposuit: hinc rite Sac. Pœnitentiaria respondit, usum illum prout exponitur illicitum esse; ast talis non est magnetismus, qui a magnetologis excolitur. 4. Exinde factum est, ut a docto æque ac pio Card. Gousset, archiepiscopo Rhemensi, mesmerismi usum a confessariis ac parochis tolerari debere, dicatur. [1]) Ergo.

635. Resp. ad 1. D. Non fuit improbatus usus magnetismi animalis præcise ut causa physica effectuum physicorum, Tr. vel C.; in toto phænomenorum complexu, N. Scilicet prudentissime Apostolica Sedes in hypothesi mere possibili de existentia et usu fluidi magnetici naturalis, per quod naturales effectus producantur, abstinuit a proscribendo generatim ac indiscriminatim mesmerismi usu. Siquidem cum novæ semper detegantur ope physices et chimicæ proprietates salutares et utiles, ne scientiæ noceret progressui, noluit mesmerismum in se damnare. [2]) Verum in casu nostro seu in concreto et in realitate, non ita se res habet. Satis enim est percurrere multiplicia phænomena a nobis recensita, et modum ea obtinendi in omnibus suis adiunctis, ut quisque intelligat, agi de re superstitiosa, et quandoque, imo plerumque, immorali. Quo sensu numquam profecto sive Pœnitentiaria sive Congregatio S. Officii probarunt, sed potius improbarunt magnetismum.

---

[1]) Ita Loubert, Nani, aliique magnetologi apud Monticelli op. et l. c.

[2]) Ex his patet quam calumniosa sit incredulorum et hæreticorum accusatio, quod Ecclesia adversetur scientiarum progressui, cum contra constet, eam constanter eiusmodi progressum promovere.

Digitized by Google

636. Ad 2. D. Prout magnetistæ ad se suamque artem tegendam affirmant, C.; reipsa N. Nam ex eorum libris contrarium evincitur. Ceterum, cum nulla intercedat proportio inter recensita media et extraordinaria magnetismi phænomena, hoc ipso patet, illorum usum superstitiosum esse, ut omnes theologi unanimi consensu docent. [1]) Parum vero refert quod magnetizatores et magnetizati de dæmone non cogitent. In his enim casibus tacita saltem eiusdem invocatio inest.

637. Ad 3. Esto. Saltem ut plerumque et passim usurpatur, magnetismus expositus est ab episcopo Lausanensi. Quodsi talis non est qui a magnetizatoribus excolitur, eo melius; responsio S. Pœnitentiariæ eos non attingit. Sed si ita est, quare adeo eiusmodi responsum eos commovit ac perturbavit?

638. Ad 4. D. Doctus Cardinalis tolerari indulsit a suis sacerdotibus usum mesmerismi physici ad effectus physicos ciendos, nondum ab Apostolica Sede damnatum, C.; in suo complexu, prout expositum est, N. Responsio patet ex modo dictis.

639. II. Obi. 1. Nemo negaverit, existere in nobis fluidum magneticum quod multiplices denominationes a physiologis sortitum est, nempe fluidi vitalis, electro-nervei, spiritus

---

[1]) Nempe Theologi omnes veteres qui de dæmonologia ac superstitione tractarunt, veluti ineluctabile principium statuerunt, tunc agnoscendam esse superstitionem ac tacitam saltem dæmonis invocationem, cum media ad propositum finem obtinendum inepta sunt. Satis heic sit verba describere theologorum Principis, scilicet S. Thomæ, qui II. 2. q. 96. art. 2. hanc regulam generalem constituit: *In his, quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, utrum naturaliter videantur posse tales effectus causare .... Unde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tamquam causæ, sed solum quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita.* Et q. 95. art. 3. *Omnis divinatio,* inquit, *utitur ad præcognitionem futuri eventus aliquo dæmoniorum consilio vel auxilio: quod quidem vel expresse imploratur, vel præter intentionem hominis se occulte dæmon ingerit ad prænuntiandum futura quædam, quæ hominibus sunt ignorata, eis autem cognita per modos, de quibus supra dictum est.* Cf. etiam Suarez lib. 2. de superstitione cap. XV. n. 11. et seq., ubi apertissime hæc ipsa exponit.

Digitized by Google

vitalis, spiritus animalis, vis sensitivæ, animæ sensitivæ. Porro eiusmodi fluidum ab animæ influxu quamdam vere vitalem modificationem nanciscitur, ac miros mesmericos effectus producit.[1]) 2. Quod vel ipse S. Thomas admisit, docens animam non movere corpus nisi mediante hoc fluido quod cum ipso identificatur. 3. Refellens siquidem veterum quorumdam errorem, qui fluidum nerveum autumabant esse vitæ principium et formam substantialem corporis, ac veluti plasticum mediatorem neotericorum, scribit: *Patet esse falsas opiniones eorum qui posuerunt, aliqua corpora esse media inter animam et corpus hominis .... dicendum quod subtracto spiritu deficit unio animæ ad corpus, non quia sit medium, sed quia tollitur dispositio, per quam corpus sit dispositum ad talem unionem. Est tamen spiritus medium in movendo, sicut primum instrumentum motus.*[2]) Insuper idem Angelicus Doctor quæstioni: an detur fascinatio naturalis, respondet, affirmative, scribens: *Dicendum est, quod ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corpori coniuncti: quæ quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perveniunt; oculi autem inficiunt aërem continuum usque ad determinatum spatium.*[3]) 4. Ex quibus principiis inferunt magnetistæ: 1. posse hominem mediante actu voluntatis elicere extra se exhalationem magneticam ac super alios dirigere vitales irradiationes, eadem ratione qua dirigit fluidum vitale ad movenda brachia, digitos, prout libet. 2. Medici magnetizantes inferunt, principium, quod in nobis conservat sanitatem et vitam, transmissum in systema nerveum alterius reparare idem principium, quod in altero languescit aut deficit. 3. Magnetismum uti fluidum, haud posse dici moralem aut immoralem, sed suam determinationem et specificationem moralem desumere ab influxu suo habituali et actuali præcipue animæ, tum ex parte eius qui dat, tum ex parte eius qui recipit.[4]) Nihil igitur est in mesmerismo quod reprehendi debeat.

---

[1]) Ita magnetologi causam suam tuentur.

[2]) I. P. q. 76. art. 7. ad 2.

[3]) I. P. q. 117. art. 3. ad 2.

[4]) Ita Loubert in op. Magnétisme et somnambulisme, præsertim vero in posteriori opere Défense théol. du magnétisme pag. 67 seq. Hic auctor prius fuit medicus, deinde vero statum ecclesiasticum amplexus est, ac magnetismi acerrimus propugnator effectus est.

Digitized by Google

640. Pleraque ex his iam fuerunt obiecta et soluta in superioribus thesibus; at expedit ea iterum breviter perpendere, quum proponuntur ad hunc finem, ut responsiones Ss. Inquisitionis et Pœnitentiariæ eludantur. Contendunt enim magnetologi, omnia explicari naturaliter posse, adeoque ad rem non pertinere Congregationis responsa, quæ improbant solum mesmerismi abusum ad effectus præternaturales per media naturalia. Ad singula itaque ut satisfaciamus,

641. Resp. ad 1. D. Nemo negaverit existere in nobis fluidum magneticum physicum, Tr.; animale in sensu adversariorum, Subd.: quod tamen nonnisi ad effectus physicos producendos aptum sit, Tr.; quod ciere possit effectus præternaturales, quales in usu magnetismi consueverunt produci, N. In primis permisceri inter se non debent fluidum magneticum physicum, de quo hic non quærimus et de quo physicarum disciplinarum cultores tractant, cum fluido magnetico animali, cuius existentia valde incerta est, et a plerisque negatur, prout sæpius adnotavimus. Verum et hoc dato, si eiusmodi fluidum pertrahatur seu protendatur ad effectus, qui naturæ vires excedant, seu ad effectus non naturales, id præcise est, quod ab Apostolica Sede improbatum est.

642. Ad 2. D. Id est S. Thomas docet, animam movere corpus mediante facultate motrice, quæ subest imperio voluntatis, seu facultati appetendi, C.; mediante fluido magnetico in sensu adversariorum, N. Siquidem eiusmodi fluidum ætate S. Thomæ erat prorsus ignotum. Ceterum de eiusmodi animæ facultate motrice suo loco disseruimus, cum ageremus de morali seu mediata voluntatis operatione ad exclusionem physicæ seu immediatæ actionis tum circa ea quæ extra nos sunt, tum circa ea quæ sunt in nobismetipsis.

643. Ad 3. Resp., nihil aliud sibi voluisse Angelicum Doctorem, quam adstruere potentiam seu facultatem motricem, quæ subest humanæ voluntati. Hac vero facultate utitur anima ad agendum in corpore. Ideo vero affirmat quod subtracto spiritu deficeret unio animæ ad corpus, quatenus cessante hoc instrumento quo anima utitur ad ciendos motus, et cessante habilitate corporis ad ipsi obsequendum, cessaret dispositio per quam, ut ipse loquitur, corpus sit dispositum ad talem unionem, nec constitueret anima formam substantialem per quam homo est. Talem esse mentem S. Doctoris, patet ex universa eius disputatione, qua nititur ostendere, nullum intervenire medium inter animam informantem et corpus ab ea informatum.

Digitized by Google

Velle propterea adstruere fluidum magneticum animale perinde esset ac universam eius doctrinam evertere. [1])

644. In altero autem obiecto textu de fascinatione refellit S. Thomas illorum opinionem, qui adstruebant materiam corporalem ex se obedire substantiæ spirituali, ita ut ad huius nutum substantia corporalis immutetur. Quod ipse negat, cum materia corporalis non obediat substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli Creatori. Qua reiecta sententia, ipse exponit quomodo fieri possit per oculos fascinatio, nempe infectione aëris. Quod profecto nihil habet commune cum magnetismo animali.

645. Nunc vero ad illationes magneticorum. Negamus primam, cum eadem non sit ratio virtutis motivæ, qua mediante, anima agit in corpore, et qua ageret extra corpus; nam extra proprium corpus quod anima informat nihil agere potest, cum tota eius actio in proprio corpore terminetur. [2]) Negamus pariter alteram medicorum magnetizantium illationem, quæ non est nisi somnium ab ipsis excogitatum absque ullo prorsus fundamento. Quoad tertiam, et nos concedimus, magnetismum uti

---

[1]) Et sane ex ipsis obiectis verbis, quibus Angelicus Doctor aperte declarat, esse *spiritum medium in movendo, sicut primum instrumentum,* nempe ipsius animæ. Cumque sibi obiecisset verba S. Augustini ex lib. VII. super genes. ad litt. c. 15.: *Anima per lucem, id est ignem, et aërem quæ sunt similiora spiritui, corpus administrat,* respondet: *Dicendum quod Augustinus loquitur de anima in quantum movet corpus: unde utitur verbo administrationis. Et verum est quod partes grossiores per subtiliores movet; et primum instrumentum virtutis motivæ est spiritus* — nempe vitalis; deinde prosequitur clarius adhuc aperiens mentem suam: *Anima non movet corpus per esse suum, sed per potentiam motivam .... Ut sic anima secundum vim motivam sit pars animæ, et corpus animatum pars mota.* (q. 76. art. 6 et 7.) Quæ omnia confirmant, quæ nos superius statuimus de vi seu facultate motrice, cuius origo est anima, obiectum est materia seu corpus.

[1]) Eo ipso quod anima sit forma substantialis illius corporis quod unice informat, et a qua spiritualis vis motrix virtutem suam exserit in membra corporis a se informati. Hinc S. Thomas I. Part. q. 78. art. 8. affirmat, *multo falsius, quod dicunt etiam actus potentiarum remanere in anima separata; quia talium potentiarum nulla est actu nisi per organum corporeum,* corporis scilicet quod anima informat: multo igitur minus possunt esse eiusmodi potentiæ actu in corpore extraneo, quod ipsa non informat.

Digitized by Google

fluidum physicum per se nec moralem nec immoralem esse, sed denominationem sumere ex dispositione morali agentis aut patientis, aut etiam utriusque, in quo nulla controversia esse potest.

646. III. Obi. Vel ipsa magnetici somnambulismi phænomena commode ad effectus naturales revocari possunt, si ratio habeatur in magnetizato maioris tendentiæ ad affectiones morbosas, ad affectiones nerveas, et ad morbos naturales hysterismi, catalepsis, aliosque eiusmodi, qui eadem phænomena insensibilitatis producunt ac somnambulismus. Posita autem fluidi magnetici communicatione tum inter præsentes tum inter absentes per aliquot obiecta iam spectantia ad personas de quibus agitur, omnia optime explicantur, tum scilicet cognitio morbi, tum remediorum quæ ad medendum apta sint. Posse autem legi sine oculis, seu oculis perfecte velatis scriptum aliquod, mediante occipite aut epigastrio, quisque intelligit, qui noverit relationem nervorum cerebri et epigastrii. Quodsi interdum somnambulus utitur terminis medicæ artis technicis, id pendet ex transmissione mentali magnetistæ in personam magnetizatam. [1]) Nihil igitur est, quod in somnambulismo magnetico offendere possit.

647. Resp. Neg. Quia rationes omnes, quæ ipsis explicandis adductæ sunt, partim ineptæ sunt, partim gratuitæ, partim demum absurdæ. Ex sola tendentia ad affectiones sive morbosas sive nerveas nihil explicatur; alioquin quotquot his detinentur, totidem essent magnetistæ egregii, quod nemo dicet. Præterea aliud est per hysterismum et epilepsim, prout sunt morbi physici, haberi eosdem effectus, quos producit somnambulismus, aliud vero arte eos excitare per magnetismi apparatum, gesticulationibus ex. gr. tactu, aut etiam solo magnetizantis nutu, et eadem ratione ad morborum indolem, naturam, aptas medelas cognoscendas, quempiam idoneum per somnambulismum reddere, seu efficere. Quod vero subditur de lectione sine

---

[1]) Circa modum exponendi hos magneticos effectus, nominatim vero circa intelligentiam linguarum ignotarum, duæ potissimum vigent magnetologorum sententiæ. Alii enim, ut Ségouin Mystères de la magie p. 178 seq., eum exponunt per quandam recordationem verborum quæ somnambulus cognoscebat; alii, ut Bertrand Du somnambulisme, explicant per communicationem cogitationis magnetizantis magnetizato. Cf. Bizouard Des rapports de l' homme avec le démon. Paris 1864. tom. V. ch. II. pag. 74 seq.

Digitized by Google

oculis, seu oculis velatis, per occiput et epigastrium, ad effectus naturales referri nequit, cum organa recensita ad conspiciendum ordinata a natura non sint. Non mediocriter absurdum est, imo et ridiculum, quod subditur de mentali magnetistæ transmissione terminorum technicorum in personam magnetizatam. Cui enim sanæ mentis hæc persuadere poterunt magnetologi? Præsertim cum interdum id accidat etiam respectu absentium ad plurium leucarum distantiam? Hæc porro constituimus compendiose afferre et dissolvere, ne tempus in hisce nugis convellendis frustra insumeremus. [1])

648. IV. Obi. 1. Si ex postremo Ss. Inquisitionis decreto mesmerismus potest esse moralis ac licitus, non est igitur timendum de dæmonis interventu in phænomenis magneticis. 2. Præsertim cum magnetistæ plerique nec dæmonis existentiæ credant, et qui illi credunt eius actionem nec quærunt nec flagitant, utpote qui optime norunt, agi in mesmerismo de effectibus pure naturalibus. 3. Alioquin perinde esset dubium movere de interventione diaboli in mesmerismo, ac dubitare an diabolus interveniat in phænomenis aquæ evaporatæ applicatæ curribus ac navibus. 4. Quid porro sibi velint DD. Inquisitores dum in sua Encyclica præscribunt, in exercitio magnetismi cavendum ab omni errore, et a quovis malo et illicito fine, non intelligitur; prout non intelligitur alia clausula de deceptione illicita et hæreticali, cum exploratum sit ad promovendum bonum physicum ac morale suorum similium magnetismi usum adoptatum fuisse, in quo nec error, nec malus finis, multo vero minus deceptio mala aut hæreticalis locum invenire possunt. 5. Hoc est vere progressui scientiarum physicarum sese opponere, prout quovis tempore ab eadem Congregatione factum est. [2])

649. Resp. Si iuxta adversarios Encyclica ab Inquisitione data non ferit mesmerismum, quem uti moralem et licitum declaravit, cur igitur ad eius publicationem adeo contra illam exarserunt, totque conviciis exceperunt, totque declamationibus eam diris devoverunt? [3]) Facto igitur suo magneturgi patefe-

---

[1]) Cf. Monticelli op. cit. part. IV. cap. II. pag. 327 seq., ubi hæc omnia expenduntur ac solide refelluntur.

[2]) Ita Morin apud Caroli op. et loc. cit. pag. 268 seq.

[3]) Prout cit. Morin et ex ipso Guidi aliique magnetologi se gerunt. Siquidem Guidi non obstante summa indulgentia, qua erga ipsum S. Indicis Congregatio usa est, refert Morini declamationes adver-

Digitized by Google

cerunt, in ea proprie agi de mesmerismi damnatione, saltem prout in praxim deduci consuevit. Itaque

650. Ad 1. D. Mesmerismus in se spectatus velut medium naturale ad effectus naturales producendos moralis ac licitus declaratus est, Tr. vel C.; prout adhibetur ad effectus non naturales obtinendos, N. Sic omnia apprime componuntur, quæ de mesmerismi innocua natura prædicantur, et quæ de eiusdem damnatione efferuntur. Mentem suam hac super re Ss. Inquisitio in sua Encyclica aperuit, et hac ratione summam prudentiam suam ostendit, dum ex una parte scientiæ progressui non se opposuit, ex altera vero abusui viam omnem interclusit.

651. Ad 2. Esto, quod plerique magnetistæ dæmonum existentiæ non credant, aut, si qui credunt, eius opem non efflagitent; eiusmodi enim subiectiva magnetistarum dispositio non immutat rei naturam. Porro exploratum est quod, si aliquis effectus a causa naturali produci nequit, necessario a causa præternaturali sit accersendus, etiamsi qui talia agunt de ea ne cogitent quidem. Ad sortilegium et superstitionem non semper requiritur expressa dæmonis invocatio, sed sufficit tacita et interpretativa. Quod vero magneturgi contendunt, se nosse agi in mesmerismo de effectibus pure naturalibus, mirifice falluntur, cum omnia evincant, in eo agi de effectibus qui ordinem naturalem excedunt, et quidem per media superstitiosa et indebita, uti ex dictis constat.

652. Ad 3. Neg. paritatem inter effectus mesmericos et effectus aquæ evaporatæ; etenim quoad effectus aquæ evaporatæ optime novimus eos provenire ex legibus physicis ac necessariis, ex instrumentis idoneis, et toto apparatu mechanico.

---

sus Ss. Inquisitionem, de qua scribit: ... *Siccome da lungo tempo non udiva. Si può parlare della Inquisizione: la si poteva credere soppressa: senza dubbio i progressi della ragione esercitando una salutare influenza sull' opinione pubblica, avrebbe arrecata (si diceva) la caduta di quell' abbominevole istituzione: e la chiesa, nel suo bene inteso interesse, nulla di meglio avrebbe potuto fare, che tentar di distruggere le funeste traccie che richiamano alla memoria quel nome abborrito ec. ec.* Nec enim præstat longius persequi furiosorum istorum ac amentium hominum sæpius repetitam crambem, quæ recurrit perpetuo in scriptis impiorum, licet tum a Maistre, tum a Balmes aliisque magno numero gravissimis viris fuerit repulsa et ad nihilum redacta.

Digitized by Google

Contra vero incerta sunt omnia ac latentia in effectibus mesmericis; nulla hactenus vel a magnetologis ipsis causa naturalis omnium effectuum assignari potuit, adeo ut mire inter se dissentiant in eius exponenda natura; effectus ipsi tam varii ac multiplices sunt, ut nulli causæ naturali tribui possint, illi præsertim, qui agentis intelligentis ac liberi actionem omnino postulant.

653. Ad 4. D. Non intelligitur, quid sibi voluerint DD. Inquisitores in appositis clausulis ab illis, qui intelligere nolunt, C.; ab illis, qui sincera mente et voluntate procedunt, N. Ecquis enim non videat in mesmerismi exercitio plures eosque graves gliscere errores posse, dum aut dæmonum existentia non creditur, aut effectus non naturalis per inepta media arcescitur, aut præscientia futurorum liberorum prætenditur, aut ignotarum linguarum peritia, et ita porro? Idem dic de malo et illicito fine, qui pariter multiplex esse potest, ut patet ex se, cum tam magnetizans quam magnetizatus possint sibi proponere in magnetismi exercitio fines minus honestos ad fovendas cupiditates, ad curiosa sectanda, aliaque eiusmodi, prout experientia ostendit, nec omnino diffitentur vel ipsi magnetismi propugnatores. [1]) Quod vero spectat ad alteram causam de

---

[1]) Sane vel ipse Deleuze in sua Instruction pag. 279, fatetur quod quædam somnambulorum metaphysica *ne repose pas sur des bases solides; elle conduit assez généralement à des systèmes analogues à ceux de l'école d'Alexandrie, ou des éclectiques au troisième siècle, dans lesquels des vérités sublimes etaient associées à des croyances insensées.* Nempe, ut tradit Olivier in Traité du magnétisme etc. Toulouse 1819., doctrina pantheistica a nonnullis somnambulis docetur, negatio providentiæ, angelorum etc. En verba eiusdem auctoris: *Que serions-nous sans cette fiction de la providence, de la nature, de l' ange gardien, sans cette réalité de l'esprit (universel)? Nous serions rien. Il n'y aurait pas de Dieu .... car Dieu,* exponit ipse ibid. pag. 165 seq. *qui dit esprit, dit intelligence, et qui dit intelligence, dit action: l'action intelligente, c'est l' invention, et par conséquent le travail. Or je vous ai dit, que Dieu travaillait.* En pantheismum apertum! — Plura alia vid. apud d'Orient tom. III. pag. 210, ubi et hæc inveniuntur quæ ostendunt impiam somnambulorum quorumdam doctrinam: *Et le Verbe c'est fait chair. Voilà le grand mot ... la matière est un tout réel ... l'âme est une chose demi-materielle est demi-spirituelle: c'est une émanation directe de chacun de ces deux. Tout est la réunion de ces émanations, l'esprit est une chose simple, l'âme medium, la matière une chose simple aussi. Tout comme l'esprit etc.*

Digitized by Google

deceptione illicita et hæreticali nulla potest haberi difficultas ab eo qui animadverterit, præcipua mesmerismi phænomena talia esse, quæ in suo conceptu involvunt cum dæmone commercium, aut saltem vehementem suspicionem de hoc iniiciunt. Eiusmodi sunt magnetica insensibilitas, attractio, catalepsis, extasis, præ-intuitio, retro-intuitio, visio anatomica et pathologica interioris organismi, visio de rebus distantibus ad plures leucas in aliena domo, ita ut somnambulus referat, quid hic et nunc peculiaris persona agat, quid tractet, libri seu epistolæ sigillo firmatæ atque in pera absconditæ lectio, aliaque id genus permulta, quæ vel ipsi magnetologi extollunt atque magnificant. Quidni igitur in eiusmodi phænomenis possit latere deceptio illicita et hæreticalis, seu error qui attingat catholicam veritatem? Si ratio præsertim habeatur doctrinarum impiarum, quas identidem eiusmodi somnambuli effutiunt, ut suo loco vidimus. Bonum vero physicum potest esse medium aptius ad decipiendum. Demum non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

654. Ad 5. Neg. Quamvis enim adversarii cum protestantibus ac incredulis omnibus conspiratione facta accusaverint ac porro accusent catholicam Ecclesiam et Apostolicam Sedem de impedimento seu obstaculo, quod opposuerit aut opponat vero scientiarum progressui, numquam id evincere potuerunt. Declamationes, dicteria, gratuitæ assertiones omni destitutæ probatione rem profecto non conficient. Unicum, quod in tota ecclesiastica historia in longo sæculorum tractu obiectum fuerit, factum est illud, quod nunc repetit et refricat adversarius, nempe Galilæi: verum et hoc millies contritum est, adeo ut nos pudeat adhuc in ipso immorari. [1]) Ceterum scientiæ non minus progrediuntur sub quovis respectu apud catholicos quam penes quasvis sectas. Ecclesia igitur sapientissimis suis constitutionibus soli obsistit errori, qui veræ scientiæ adversatur.

---

[1]) Cf. quæ de hoc Galilæi facto et processu scripsi in op. Il Protestantesimo e la regola di fede part. II. cap. V. art. 11. De quo argumento novissime etiam præter cl. Zinelli in peculiari opusculo, egregie scripsit Dr. Murray in vol. III. tractatus sui de Ecclesia, Dublinii 1864.

Digitized by Google

Caput V.

De pneumatismo seu spiritismo. Notiones præviæ.

655. Arcto adeo inter se nexu magnetismus animalis ac spiritismus colligantur, ut nonnisi duæ veluti species eiusdem generis spectari possint. Non enim solum plura phænomena utrique communia sunt, verum etiam genealogia quadam spiritismus a mesmerismo, veluti proles a suo parente procreata dependere videtur. Atque hæc ratio est, quare totum hoc argumentum sub unica sectione complexi simus spectantes mesmerismum, somnambulismum artificialem ac spiritismum veluti tres phases aut gradus unius eiusdemque rei, quæ pedetentim evoluta est, et ad plenam sui manifestationem pervenit.

656. Cum itaque pro instituti nostri ratione de duobus prioribus gradibus satis egerimus, reliquum est, ut quæ ad tertium gradum spectant evolvamus eadem ferme methodo, prout substrata materia patietur, quam hactenus consectati sumus.

Articulus I.

De spiritismi origine, evolutione, gradibus, ac phænomenis variis generatim.

657. Prima spiritismi presse sumpti origo seu potius manifestatio, omnium consensu historicorum qui hoc de argumento egerunt, ex America septentrionali arcessenda est. Prout contigit quoad magnetismum animalem, sic etiam quoad spiritismum initia tenuia fuerunt, et vix excedere videbantur naturalium phænomenorum conditionem ac indolem. Postea vero pedetentim sub quovis respectu res adeo progressa est, ut ulteriores in dies singulos gradus nacta sit, donec pervenerit ad præsentem statum, in quo aggeribus, ut ita loquar, omnibus superatis aut disruptis, longe lateque omnia pervasit ingenti religionis societatisque pernicie.

658. Ac primo quidem mensarum motus rotatorius casu deprehensus traditur in statibus fœderatis Americæ ex occasione, qua tres pueri ludentes manu superposita cuidam mensæ, eam rotare, ac movere pro libito quaqua versum faciebant, licet onustam. Additis deinceps repetitis experimentis, sagaces exploratores deprehenderunt, id ipsum contingere in discis metal-

Digitized by Google

licis aut vitreis, æneis plenisque cacabis, aliisque obiectis ad solum manuum ac digitorum contactum. Illico longe lateque eiusmodi experimenti fama per Americam diffusa est, nec multo post universam pæne Europam pervasit, atque ubique gentium viri, fœminæ, adolescentes, docti indoctique in hisce lusibus occupabantur iam ab an. 1832.

659. Verum hic negotium istud haud stetit, sed cœperunt mensæ se sponte movere, se attollere uno aut duobus pedibus, se evertere. Quinimo nonnullis ictibus conventionalibus affirmative aut negative responsa interrogantibus de aliquo obiecto præbere consueverunt. Transitus deinceps factus est ad alicuius cubiculi aut aulæ instrumenta mobilia, quæ licet onerosissima, ad alterius nutum se movere per motum translatorium visa sunt; multo vero magis id obtinuit in tripode, canistro, aliisve eiusmodi instrumentis, quæ iussu cuiusdam agentis, aut sponte etiam vagantur, ascendunt, circumeunt aulam aut cubiculum, fragorem ingentem excitant, ictus aut percussiones in parietes, aut alia instrumenta iterant, instrumenta etiam musica pulsant, harmonicos edunt sonos mirabili plane concentu, ut in admirationem et extasim adstantes rapiantur. [1])

660. Verum hæc iam connectuntur cum altera spiritismi phasi, quin etiam et cum ipsa identificantur, cum nempe perventum est ad mira recensita patranda phænomena, adeo ut communi iam spiritismi nomine possimus utrumque complecti. Est autem altera phasis ea, quæ an. 1848. in quodam vico status Neo-Eboracensis Americæ septentrionalis habuit originem in domo seu cubiculo cuiusdam familiæ methodisticæ Fox nuncupatæ, quæ quatuor constabat personis, utroque scilicet parente, ac duabus filiabus nubilibus. Dum vespere duæ sorores cubitum irent, harum altera casu crepitare digitos suos fecit, et illico alium sibi vicinum sensit eumdem crepitum iterare. Stupefactæ quidem, ast non perterrefactæ adolescentulæ, eidem iniunxerunt, ut distinctos ictus sex daret, quod accurate præstitum est. Cum ex iteratis experimentis compererint mater ac filia, quod ad nutum suum subiectum spiritum haberent, evaserunt ambæ medium seu mediatrices inter spiritus et personas, quæ cum illis communicare vellent ad habendos responsiones quas optabant. Exinde furor quidam incessit Americæ

---

[1]) Vid. Civiltà Catt. Seconda Serie, tom. IV. pag. 580 seq. Item Pailloux Le magnétisme, le spiritisme etc. Entret. I.

Digitized by Google

incolas, mediorum numerus auctus in immensum est. [1]) Ex America brevi in partes Europæ septentrionalis, in Angliam potissimum, ac Germaniam, Sveciam, Daniam. idem furor propagatus est anno 1852. ac tandem Gallias, Italiam aliasque finitimas regiones penetravit; Helvetiam præsertim, in eaque Genevam potissimum occupavit, uti ex dicendis planum fiet.

661. Exinde, alio gradu facto, perventum est ad directam spirituum evocationem, et ad commercium quoddam instituendum inter mundum visibilem, ut aiunt, et invisibilem, quo hauriuntur instructiones, documenta, revelationes præcipue circa religionem, conditionem status alterius vitæ, aliaque eiusmodi non pauca, quæ maxime hominum sollicitant investigationem et curiositatem. [2])

662. Ex perlevi ac generali eiusmodi adumbratione, quam exhibuimus de spiritismi origine, incessu, progressu, instrumentis, effectibus, seu phænomenis variis pro ratione uniuscuiusque gradus aut periodi, pronum est inferre, quam perniciosæ indolis sit, et quodnam instet cervicibus nostris malum pertimescendum, si latius dominari pergat. Verum præstat ex generico hoc obtutu ad particularia expendenda accedere, ut intimius spiritismi indolem ac naturam deprehendamus.

---

[1]) Cf. Civiltà Catt. II. Serie vol. II. pag. 600 seq. Rem paulo aliter refert Bizouard in op. cit. Des rapports etc. tom. VI. liv. XXX. chap. VI., qui scribit, quemdam Weekman habitasse in parvo oppido status Neo-Eboracensis, Hydesville nuncupato, in domo infecta, in qua rumores auditi sunt; postea vero hanc ipsam domum occupatam fuisse a familia Fox methodistica, in qua post tres menses iidem rumores auditi sunt.

[2]) Cf. ibid., nec non Bizouard loc. cit., item: La table parlante 1854. pag. 52 seq. et Le mystère de la danse des tables pag. 6—8. De veritate sive existentia factorum quæ exhibuimus nullum dubium moveri potest. Etenim præter innumeros testes cuiusvis conditionis ac fide dignos, prodierunt hoc super argumento opera pæne innumera. In uno catalogo recensentur quadraginta vulgata opera, in quodam istorum operum 800. paginarum recensentur revelationes J. Davis an. 1852. et hæ iam pertigerunt ad XI. editionem. Jam duodecim collectiones periodicæ vulgabantur an. 1853. Cf. Bizouard ibid.

Digitized by Google

Articulus II.

De spiritismo cum somnambulismo magnetico comparato, deque eiusdem spiritismi phænomenis in specie.

663. Quamvis, prout innuimus, plura communia habeantur in pneumatismo seu spiritismo et in somnambulismo magnetico in ordine ad phænomena utriusque, attamen in non paucis discriminantur.

Ac primo quædam intercedit inter utrumque genealogica, ut ita loquar, cognatio ac dependentia, quatenus somnambulismus magneticus lucidus nuncupatus viam quadamtenus stravit ad pneumatismum. Siquidem in experimentis magneticis susceptis a Doctore Billot reperitur primum exemplum motuum seu signorum corporeorum, uti medii communicationis cum causis invisibilibus ac intelligentibus, prout postea obtinuit in spiritismo.[1]) Præterea in illo, quem vocant, statu semi-magnetico, qui eo affecti sunt, dum functiones vitales servant perinde ac si reperirentur in plena vigilia, nihilominus subiiciuntur omnibus aut pæne omnibus phænomenis psychologicis somni mesmerici; idipsum porro est, quod in mediis seu mediatoribus spiritismi locum habet, qui propterea somnambuli vigilantes interdum audiunt.[2])

664. Secundo quædam intercedit similitudo inter utriusque phænomena. Idque patet præcipue in claræ intuitionis, in præintuitionis, ac retro-intuitionis somnambulismi magnetici phænomenis, atque in phænomenis spiritismi, in quibus pariter medii sub dominatione spirituum denunciant vel præterita vel præsentia et absentia, vel futura sive signis sive scri-

---

[1]) Ut patet ex commercio epistolari Billot cum Deleuze, quod iam memoravimus, in quo origo aperitur illius systematis, quod invexit Billot de communicatione angeli custodis, ut ipse bona fide censuit, cum quadam ægra quam ipse utpote medicus curabat.

[2]) Isti vocabantur semi-magnetici, qui nempe in plena aut semiplena vigilia ea peragebant, quæ nonnisi somnambuli præstabant. Non pauca exempla eorum, qui in eiusmodi statu reperti sunt, ipsemet Billot refert in suo epistolarum commercio, quibus deinde alia adiecta sunt, et annulum constituunt somnambulorum mesmericorum cum mediis seu mediatoribus mensarum ceterorumque phænomenorum spiritismi, qui iugiter in plena vigilia reperiuntur.

Digitized by Google

ptura, sive alia quavis ratione, ut postea dicemus.[1]) Ex quibus perspicuus fit transitus unius ad alterum, ac propterea, quod consequens est, inter utrumque necessitudo.

665. Differunt vero ab invicem somnambulismus magneticus a spiritismo in suis phænomenis: quod scilicet phænomena magnetici somnambulismi sint in homine, pneumatismi vero seu spiritismi sint extra hominem. Differunt præterea ac discriminantur plerumque ratione formæ seu modi et gradus operationis.

666. Ceterum, seposita eiusmodi extrinseca et accidentali differentia, patet, magnetismum animalem seu mesmerismum ac spiritismum quoad substantiam plane inter se convenire, imo et identificari, prout vel ipsi magnetologi et pneumatologi aperte fatentur, immo vero contendunt et proclamant. Siquidem gloriæ vertunt mesmerismo in tota sua extensione spectato, quod sit semen, embryo, germen, spiritismus vero sit planta, fructus, partus evolutus et amplificatus, ita ut spectari debeant uti duæ formæ seu phases, quarum altera præ altera magis aperta ac evoluta est unius eiusdemque rei, eiusdemque substantialis factorum ordinis.[2]) De hac ipsa identitate magis etiam constabit ex doctrina utrique communi, quam suo loco expendemus.

667. Nunc vero quod attinet ad alteram propositi thematis partem seu ad specifica spiritismi phænomena, dividi commode hæc possunt in duo summa capita, quorum unumquodque sub se complectitur varias item classes. Alia sunt mere mechanica, alia vero sunt præterea significativa, seu ad aliquid significandum directa. De utroque singillatim aliquid attingere præstat.

668. Ad primum caput revoco quatuor illas phænomenorum classes quas recensuerunt nonnulli cives Americani in documento, quod ab ipsis hac de re oblatum est congressui

---

[1]) Interim cf. Pailloux op. cit. sixième entretien.

[2]) Ita Dupotet, antesignanus magnetistarum, qui in suo periodico annunciavit tendentiam spiritualisticam magnetismi iam ab an. 1855, ac suos articulos inscribebat: Tendence au spiritualisme — Spiritualisme en France — Spiritualisme en Amérique — Conférence spiritualiste de New-York, et ita porro.

Digitized by Google

Statuum fœderatorum de spiritismi phænomenis an. 1853.[1]) Hi igitur ponunt primo loco phænomena mechanica ita presse dicta. Vis nempe occulta quæ ea producit, dimovet, attollit, sustinet, suspendit, aut variis modis immutat naturalem plurium gravium corporum positionem contra cognitas naturæ leges, quin hactenus detegi potuerit causa eiusmodi motuum coram frequentissimis sagacibusque spectatoribus. Ponunt deinde phænomena luminosa, seu coruscationes fulgoresve diversarum formarum, atque colorum, qui apparent in locis obscuris, et ubi nulla reperitur substantia idonea ad lucem eiusmodi producendam, aut aliquod instrumentum, aut apparatus aliquis aptus ad electricitatem aut combustionem excitandam. Tertio loco recensent phænomena acustica, cuiusmodi sunt soni sæpissime iterati variarum specierum, percussiones ac ictus arcani, strepitus illis similes, qui sentiuntur in officinis artium mechanicarum, voces, quæ sibilum ventorum imitantur, aut aquarum inundantium mugitum, arborum, aut navium strepitum cum a procella agitantur et franguntur, violenti fragores uti tonitrui aut tormenti bellici, cum agitatione et tremitu obiectorum circumstantium, ac interdum vehementibus subsultibus totius ædificii, in quo hæc eveniunt. Contra vero sæpe audiuntur soni harmonici imitantes humanas voces, quos passim concomitantur varia instrumenta musica ut fistulæ, tympani ac tubæ, citharæ, harpæ, cymbali interdum coniuncti, interdum soli; quandoque etiam prædictorum instrumentorum musicorum soni absque ullo instrumento eduntur, aliquando vero ab eiusmodi instrumentis excitantur absque ullo manu aut agente visibili, qui illa pulset aut tangat.[2]) Quarto denique ordine recensent phænomena physiologica, arcanam scilicet illam potentiam, quæ se manifestat recensitis iam modis, suspendit etiam, turbatque passim diversimode regulares functiones vitales hominis, intercipit sensationes, aufert motum membris, circulationemque fluidorum animalium, deprimit corporis aut aliquot eius partium temperaturam usque ad gelu et cadaveris rigiditatem. Interdum respirationem impedit per integras horas ac dies, post quas organicæ facultates, perinde ac mentales, ad suum cursum redeunt

---

[1]) Hoc documentum communicatum Europæ est a periodico gallico Ami de la religion die 24. Jan. 1854. Deinde vero ab aliis passim reproductum. Civ. Catt. III. Ser. vol. IV. pag. 143.

[2]) Cf. Pailloux op. cit. Le magnétisme etc. Entret. V., ubi ex Mirville et des Mousseaux La magie au XIX. siécle plura experimenta refert.

Digitized by Google

regularem ac normalem. Sæpissime tamen eiusmodi phænomenis succedunt perturbationes constantes mentales aut morbi incurabiles, dum aliis casibus subitaneæ succedunt in melius mutationes, aut etiam sanationes perfectæ a defectibus organicis ac morbis inveteratis. [1])

669. Et hæc de phænomenis mere mechanicis. Ad phænomena porro, quæ significativa vocavimus, ea referuntur, quæ ad aliquid significandum directa sunt, etsi per motus mechanicos exerantur. Eiusmodi phænomena per illos quos medium, seu mediatores aut mediatrices vocant, produci consueverunt, ac in diversos pariter gradus seu classes distribuuntur. Quatuor hæ potissime recensentur: 1. Spiritus tot ictus edens, seu percutiens, quot litteræ efformandæ sunt; 2. spiritus ducens figensque manum medii super qualibet littera; 3. spiritus impellens manum eiusdem medii, et per ipsam scribens; 4. spiritus per se solum scribens, ac movens hæmatitam in aëre pendulum. [2])

670. Nimis longa ac tædio plena res foret universam hanc spiritualisticam telegraphiam persequi per capita singula. Satis proinde nobis erit ad scopum nostrum nonnulla maioris momenti attingere. Ac primo quidem animadvertere iuverit, constare ex publicis certisque documentis, per medium in chartulis districte exaratis nomina alicuius individui iam defuncti, ætatem, locum, causam morbi ictibus iam pactis, spiritum edidisse, ac plene ad veritatis normam respondisse. Scribunt interdum mediatores a potentia occulta compulsi, quæ eos dominatur regitque, ac manum ipsam movendo ad scribendum cogit; neque solum scribunt, quod prius ignorabant, verum etiam contra proprias ideas, subiectivasque persuasiones ac voluntatem, et scribunt vertendo ex ignota lingua. Quin etiam constat, spiritus ipsos scribere ex se solis ope hæmatitæ ipsis suppeditati ac in loco secreto et abscondito repositi. Collecta vero in unum exarata folia constituunt interdum non modicæ molis volumen. [3])

---

[1]) Civ. Catt. tom. IV. ser. III. pag. 145. Exempla in articulo ipso non pauca exhibentur vere mirabilia eiusmodi diversorum phænomenorum in unaquaque classe.

[2]) Cf. Mirville. Quest. sur les esprits. pag. 410 in nota.

[3]) Cf. Caroli pag. 316, ubi plura documenta inveniuntur.

Digitized by Google

671. Ad hæc accedit psychographia proprie dicta, quæ Monachii in Bavaria an. 1854. originem habuit, dum spiritus declararunt adstantibus cuidam mensæ ad habenda optata responsa, se deinceps responsuros per quamdam puellam Mariam Kahlhammer annis natam 25 illic stantem. Cum hæc ab ipsis aliquid sciscitaretur, illico responsa accipiebat; cumque sedens ad mensam manum spiritibus dimitteret, hî eam invisibili quadam vi movebant dirigebantque, ut hæmatita scriberet, quæ ipsi vellent, summa rapiditate. Dum scriberet, puellæ brachium nunc tranquillum perstabat, nunc vero convulsionibus agitabatur, ostendens in violentis vibrationibus musculorum suorum veluti visibile occultum agens, a quo agebatur.[1]) Verum de his hactenus; siquidem iterum opportunius paulo post argumentum istud evolvemus. Interim ad historicam istorum spiritismi phænomenorum notionem quæ attulimus sufficiunt. Qui plura cupit, poterit pleniores haustus penes probatos auctores sibi comparare. Nec enim nobis propositum est plenam de ipsis historiam exarare. [2])

Articulus III.

De directa spirituum evocatione.

672. Quod ultro se spiritus obtruserint sive in magnetismi animalis aut somnambulismi, sive in spiritismi presse sumpti, sub quovis gradu aut phasi, experimentis, ex dictis compertum est. Verum dociles præterea obsequentesque se passim præbent mediorum aut invitationibus aut iussis, atque ad istorum nutum se præsentes sistunt, eorumque ac adstantium quæstionibus satisfaciunt. Atque hæc illa est communicatio, quæ vulgo mundi visibilis cum invisibili seu spirituum audit. Multiplex porro ratio istius communicationis expendi debet tum ex parte spirituum eorumdemque qualitatum, tum ex parte modi, quo spiritus se communicare consueverunt, tum denique ex parte muneris quod obeunt. Hæc singillatim percurramus oportet ad plenam perspicuamque huius argumenti cognitionem exhibendam in ordine ad scopum, quem nobis proposuimus.

---

[1]) Civ. Catt. III. serie vol. V. pag. 41 seq.

[2]) Præter cit. auctorem de his copiose agunt Mirville Des esprits — Questions des esprits. — Des Mousseaux Les médiateurs et les moyens de la magie, ceterique passim; præcipue vero Bizouard op. et loc. cit.

Digitized by Google

673. I. Igitur ex parte spirituum, qui a mediis evocantur, considerari debet inprimis persona, quam aut sustinent aut induunt. Interdum enim se exhibent ut simplices spiritus, quin ullam peculiarem sibi vindicent prærogativam. [1]) Interdum se manifestant uti angelos et archangelos; quandoque etiam uti sanctos, ipsamque Deiparam Virginem, immo et Christum ipsum.[2]) Interdum se produnt uti animas defunctorum, sive quæ brevi tempore ex hac vita migraverint, sive quæ anterioribus sæculis iam obierint. [3]) Demum aliquando aperte uti malignos, seu malæ indolis ac naturæ spiritus se sistunt, planeque quid sint fatentur. [4]) Juxta vero diversitatem personarum, quas sustinent eiusmodi spiritus, aut leves et facetos, aut graves et modestos, aut benevolos et liberales, aut aversos et maleficos se exhibent. Cuius rei paulo infra exempla præbebimus.

674. II. Ex parte modi pariter diversam rationem tenent spiritus in suis manifestationibus. Siquidem interdum exigunt silentium ab adstantibus, priusquam signum emittant præsentiæ suæ. Signum vero istud ut plurimum consistit in nonnullis ictibus levibus aut pulsationibus in supellectilibus aut in parietibus. Hoc signo tum medium tum adstantes admonentur, spiritum adesse, ac præsto esse ad respondendum quæstionibus, quas pro libito quisque ei proponere malit.[5]) Interdum per pressionem manus aut digiti super mensam aut tripodem medium evocat spiritum, qui illico invadit instrumentum, quodcumque demum sit, ac per illud edit responsa sua aut affirmativa aut negativa pro substrata materia tum numero determinato ictuum, tum pulsatione pedis tripodis aut mensæ, tum alphabeti litteris ita dispositis, ut integram phrasim, imo et longum interdum sermonem efficiant; [6]) aut etiam sola inclinatione aut ictu mensæ aut tripodis, cum agitur de simplici affirmatione aut negatione ad propositas quæstiones. [7]) Interdum mensæ ipsæ designant medium, per quod spiritus sit libenter daturus oracula sua, ac reipsa aut scriptione, manum ducente spiritu ac veluti cogente, aut locutione, spiritu linguam medii per se ipsum movente, et ita porro. [8])

---

[1]) Des Mousseaux La magie au XIX. siècle ch. I.
[2]) Ibid. ch. II. pag. 33 seq. [3]) Ibid. ch. IV.
[4]) Cf. Pailloux op. cit. VIII. entretien.
[5]) Civ. Catt. II. ser. vol. II. pag. 608.
[6]) Ibid. III. ser. vol. V. pag. 35 seq.
[7]) Ibid. [8]) Ibid. pag. 42. 43.

Digitized by Google

675. III. Quod denique ad munus spectat, quo spiritus funguntur in suis manifestationibus, ipsum variat pro diversitate personarum quas induunt. Etenim si uti spiritus generatim se ac simpliciter offerunt ac manifestant, ut plurimum non præbent nisi responsa ad curiositatem explendam interrogantium in rebus indifferentibus aut spectantibus ad singularia negotia illius qui a spiritibus aliquid sciscitatur. Quandoque etiam ludunt, decipiunt, mentiuntur, prout ipsis libet. [1])

676. Cum vero se spiritus exhibent sub nomine angelorum aut archangelorum, sanctorum, aut etiam ipsius Christi Salvatoris nostri, tunc concionatorum, exhortatorum ac magistrorum officium sibi assumunt, et pro ratione locorum et temporis ac personarum, diversa, contraria et contradictoria effutiunt circa religionem et ethicen. Quod ut exemplis conficiamus, iidem spiritus qui Genevæ per Bortismum, seu mensam cuius Bort auctor extitit et medium, in suis manifestationibus toti in eo sunt, ut efferant protestantismum, calvinismum præcipue, religionem ac civitatem Genevensem, quam ceu primam ac reginam civitatum omnium extollunt, a Deo electam ad homines in vera religione informandos, contra vero execrantur Romam Ecclesiamque Romanam; [2]) iidem spiritus in Bavaria agnoscunt et prædicant tamquam unice veram religionem catholicam, admittunt infallibilitatem Apostolicæ Sedis in dogmatibus decernendis, damnant protestantismum, et ita porro. [3])

---

[1]) Cf. De Roys La vérité sur le spiritisme. 2. édit. Paris 1863, ubi refert, quomodo Allan Kardec in suo libro Des mediums scribat: *La rouerie des esprits mystificateurs dépasse tout ce qu'il est possible de l'imaginer.*

[2]) Cf. Annal. cathol. de Genève Mai 1855, ubi historia Bortismi exhibetur, item eius origo, instrumenta, libri: quæ omnia ex dictatu spiritismi habentur. Bort vulgavit volumen die 15. Octob. 1854. ac 15. Novemb. sub hoc titulo: Révélations divines et mystérieuses, ou communications entre le ciel et la terre par le moyen d'une table. In ipso inter ceteras nugas et absurditates hæc dicta perhibentur a spiritu mediante mensa: *Cette table n'est point à Bethléem ... mais elle est à Genève, dans la petite ville qui me prépara mon serviteur Calvin: oui, c'est la fille de ce digne missionaire, qui reçoit aujourd' hui les hommes des cieux ... Oui, Genève ville bénie qui fut dès son enfance couchée sur les bras du bon Dieu etc. etc. Genève, o mon amie! tes cloches ne mêleront point leur voix aux abominations de Rome.* Et ita deinceps ex nomine Christi Jesu!!! Cf. pag. 43 seq.

[3]) Cf. Civ. Cattol. serie terza vol. V. pag. 41 seq.

Digitized by Google

677. Quodsi eiusmodi manifestationes contingant in regionibus liberioribus, aut coram cœtibus irreligiosis, tum deposita larva damnant religionem quamcumque positivam, omnesque purum sectarianismum vocant, et uti æque ac indiscriminatim falsas traducunt. Christianismo substituunt religionem naturalem, eliminant omnem cultum externum, neque alias virtutes commendant præter illam, quæ in beneficentia consistit erga similes.

678. Collatis revelationibus istis omnibus diversi temporis ac loci, ex America et Europa, in quibus spiritus disseruerunt de religione ac morali, nullum aliud systema extunditur, quam quod pluribus annis ab incredulis, deistis, pantheistis, communistis ac socialistis in innumeris pæne operibus seu libellis evulgatum novimus. Sane reiectis dogmatibus omnibus, spiritus eliminant omnes prorsus institutiones religiosas, politicas ac sociales, quibus substituunt cultum veritatis et rationis, quem solum edicunt cultum divinitate dignum; hic porro novus cultus nil demum aliud est, quam aut deismus, aut pantheismus, cui tamen christianismi denominationem servant. Christus iuxta ipsos non fuit nisi præstantissimus ac sapientissimus omnium hominum, eique denegant divinitatem. Inficiantur propagationem peccati originalis, adeoque et redemptionem ac dæmonum existentiam. Talis est medulla, ut ita loquar, illius moralis, ac illius religionis, quæ in manifestationibus spiritualibus nobis exhibetur. [1])

679. Hoc vero systema religiosum spiritus perficiunt et complent, quum in suis manifestationibus se dant uti animas defunctorum. Siquidem interrogatæ animæ de statu vitæ futuræ negant pœnarum reprobis inflictarum æternitatem. Nullum agnoscunt discrimen inter probos et improbos, videnturque inficiari differentiam boni ac mali, virtutis ac vitii, honesti inhonestique. Omnes prorsus homines effutiunt ad cœlum destinatos, ita tamen, ut prius quam illuc perveniant transire debeant per sex sphæras spirituales, in quibus perficiuntur in cognitione præcipue naturæ sensilis. In hac vero conditione transitoria ipsi beati dicuntur, at beatitudine quadam sensibili, quatenus habent aliquod corpus, si illud velint, et vix excitato

---

[1]) Ibid. sesta serie vol. II. pag. 603, nec non apud Des Mousseaux La magie au XIX. siècle chap. III. pag. 158 seq. Pailloux op. cit. Le magnétisme, le spiritisme etc. VIII. entret. pag. 209—218.

Digitized by Google

desiderio cuiusvis sensibilis obiecti, státim illud obtineant, ut eo fruantur. Illecebrosas prorsus eiusmodi conditionis seu status descriptiones iidem spiritus facere consueverunt, ut persuadeant suis asseclis, illos habituros delectationes omnes corporeas, quin earum sentiant incommoda et molestias, et gaudent conversari cum quondam caris suis cum adhuc in hac terra viverent. Obtenta porro in America facultate initiandi eiusmodi commercium ope mediorum, quam primum in toto orbe terrarum res optime succedet, ita ut, commixto hac ratione mundo visibili cum invisibili, demum ex ambobus non habeatur nisi unus populus unaque familia. [1])

680. Dum denique spiritus aut sponte aut coacte se ut cacodæmones manifestant, aperte fatentur, se esse mentitos, hominesque turpiter decepisse; et veritates, quas illis in adiunctis inficiati erant, palam profitentur. Mala præterea inferre satagunt sive per obsessiones personarum ac domorum, sive per ingentes quas creant molestias, sive per eversionem suppellectilium, quæ domi servantur et custodiuntur, sive quovis alio modo. Huius rei documenta et facta publica innumera prope suppetunt omni exceptione maiora, quæ a viris doctis de hoc tractantibus argumento in medium afferuntur, quæque in dubium revocari nulla ratione possunt. [2])

Articulus IV.

De spirituum divinatione.

681. Præter recensita sub finem præcedentis articuli spirituum munia et illud sibi vindicant, futurorum scilicet eventuum prænuntiationem. Eiusmodi autem prævisionis ac prænunciationis obiecta sunt aut res quidem præsentes sed quæ in regionibus valde dissitis eveniunt, quæque naturali medio co-

---

[1]) Cf. Civ. Catt. loc. cit. pag. 694.

[2]) Cf. Mirville Les esprits. — Questions sur les esprits. Des Mousseaux La magie au XIX. siècle. — Les médiateurs etc. Pailloux Le magnétisme et le spiritisme etc. — Hæc ratio est quare propositionem non constituerimus ad historicam spiritismi factorum veritatem vindicandum, prout præstitimus agentes de magnetismo; quia nempe adhuc firmiora sunt ac notiora quæ ad spiritismum spectant, quam quæ ad magnetismum, nec ullus est qui eam in dubium revocet.

Digitized by Google

gnosci hic et nunc nequeunt, aut res individualis subiecti, quæque afficiunt personam ipsam sciscitantem, aut res quidem futuræ contingentes sive liberæ sive necessariæ, aut tandem politicæ, interdum publicæ rerum conversiones, aut rerum occultarum manifestationes.

De singulis aliquid saltem delibabimus, ut compertum sit, artem divinatoriam seu divinationem a spiritismo non esse prorsus extraneam aut alienam, prout non aberat a vetustis oraculis, ut suo loco expendemus. Imo vidimus has ipsas prævisiones ac prædictiones nec non rerum occultarum manifestationes sub quovis respectu esse communes magnetismo animali, præcipue vero in somnambulismo artificiali, mystico ac lucido locum habere.

682. Jam verò quod res præsentes sed in longinqua regione evenientes passim mensæ edicant, testes sunt locupletissimi auctores, qui de hoc argumento libros edidere, iique gravissimi, quique facta publica referunt omnis certitudinis signis communita.[1]) Quoad ea vero, quæ attingunt personam ipsam sciscitantem, non pauca habentur in responsionibus mensæ Genevensis, de qua paulo ante mentionem iniecimus: ipsa siquidem, teste novæ institutionis Bort, prophetat et emittit oracula ad libitum adstantium, qui magna cum reverentia ab eius nutu pendent, ut prænoscant, quæ sibi eventura sunt.[2]) Idipsum contingit ubilibet in Germania, in Anglia, in Italia, potissime vero in America.[3]) Sic etiam sibi arrogant spiritus facultatem prænoscendi ac prænunciandi res liberas contingenter futuras, etsi magna cautela se gerere soleant. Non desunt tamen exempla eiusmodi prædictionum, quæ plenum exitum habuerint una cum singulis adiunctis, prout prænuntiatæ longo antea tempore fuerunt.[4]) Sic nonnisi caute se gerunt in prænunciandis quæ ad politicam spectant, quum non semel vel ipsi ministri rei politicæ depositarii ignorent quid futurum sit, ac sæpe in suis supputationibus ac mysteriis decipiantur. Libentius immorantur in occultarum rerum manifestationibus, quia ipsos non latent, quamvis communi hominum sagacitati imperviæ sint. Atque istud est frequentius argumentum suarum manifestationum, qui-

---

[1]) Cf. Mirville Questions des esprits chap. II. pag. 25 seq. Des Mousseaux Mœurs et pratiques des démons chap. XIX.

[2]) Cf. Annales catholiques de Genève. Avril 1856.

[3]) Civ. Catt. terza serie vol. V. pag. 36 seq.

[4]) Cf. Pailloux Le magnétisme etc. pag. 250 seq.

Digitized by Google

bus alliciunt homines, ut se conferant curiositatis gratia ad mensas interrogandas. [1])

683. Quod demum spectat ad longos quos miscent sermones per mediatores, aut scriptione per hæmatitam, aut per alienam linguam, qua veluti organo ac instrumento utuntur, planum fit ex prolixis dialogis, qui ab auctoribus fide dignis referuntur, inter spiritum et interlocutorem. In his porro dialogis passim deceptiones ex parte spirituum locum habent, nec nisi coacte, ut postea videbimus, veritatem tandem aperiunt. Quod non diffitentur vel ipsi spiritismi patrocinatores, adeo ut valde difficile sit distinguere in eiusmodi conversationibus quando ludicre, quando vero serio atque ad veritatis normam sermones promant. [2])

Lubenti animo nonnullos ex his dialogis huc referrem; verum, præterquam quod hi notissimi sunt, inverterem ordinem mihi propositum, si eos in medium adducerem. Hactenus enim has notiones præmittere constitui, ut viam quodammodo mihi sternerem ad investigandam naturam et causam spiritismi, obiectum præcipuum huiusce tractationis. Hinc ne præoccuparem quæ hoc de argumento dicturus sum, nonnisi leviter, seu quantum satis erat ad rei qua de agitur notionem præbendam, hæc exaravi. Nec enim mihi proposui plenam spiritismi tractationem præbere, alioquin plura debuissem exarare volumina, prout ab iis, qui ex professo, ut aiunt, de hoc argumento disseruerunt, factum est. Ceterum quæ heic vix attigi ad finem mihi propositum, lumen mutuabuntur ex iis, quæ tractanda erunt.

Caput VI.

De spiritismi natura et causis.

684. Ex germana spiritismi notione tota pendet solutio problematis hactenus agitati circa bonam aut malam indolem ac naturam eiusdem. Non desunt, qui ipsius patrocinium suscipiant, eiusque utilitatem extollant, illumque traducant

---

[1]) Cf. ibid.

[2]) Cf. op. de Roys pag. 18, item apud Matignon La question sur le surnaturel. Troisième part. chap. IX. L'intervention des esprits et la magie contemporaine. pag. 552 et in op. Les morts et les vivants. entret. 1.

Digitized by Google

veluti novum divinitatis erga homines beneficium novissimis hisce temporibus indultum. Sunt, qui ipsum spectent tamquam novum progressum, quo homo in morali, philosophica, imo et religiosa scientia proficiat. Sane pseudonymus Allan Kardec, spiritismi præcipuum columen ac propugnator, ita ipsum definit: *Est doctrina moralis et philosophica, fundata super existentia, manifestationibus et magisterio spirituum.* [1]) Huic consonat Zoe Piérart in revisione menstrua, quam de manifestationibus spirituum Lutetiæ Parisiorum ab aliquot annis redigit, [2]) nec non quidam Grand, [3]) aliique non pauci. Hi omnes, quamvis non diffiteantur deceptiones spirituum, eorumdem fallaciam, atque in non paucis eorum doctrinam reperiri immoralem, attamen non verentur spiritismi utilitatem commendare.

685. Quomodo hæc componantur, ex ipsorum systemate facile dignoscitur. Etenim inter cetera docent, animas a corpore separatas donec perveniant ad reincarnationem, quam vocant, esse plus minusve in via purificationis, progressus, pluresque ex ipsis impuras adhuc esse, atque ad nos decipiendos intentas esse, alias vero puriores effectas nobis utiles esse: adeoque has ad bonum nos impellere suis doctrinis, admonitionibus, documentisque. [4])

686. Contra vero experimento compertum est, totam hanc spiritismi congeriem malam omnino esse sub quovis respectu spectetur, novumque laqueum ab inferis iniectum ad homines decipiendos ac irretiendos, ut sic facilius ad æternum secum exitium pertrahant; ac dum angelorum sanctorumque, immo et ipsius Christi Domini nomen assumunt, aperte mentiri malos

---

[1]) In op., cui titulum fecit: Le livre des mediums. Paris 1863. Hic ipse auctor alia vulgavit opera de hoc ipso argumento: Le livre des esprits, cuius 3. editio iam prodiit. Paris 1863. — Revue spirite, journal d'études psychologiques publié sous la diréction de M. Allan Kardec. Paris 1853. Item: Le spiritisme à sa plus simple expression. Paris 1862.

[2]) Revue spiritualiste rédigée par une société de spiritualistes et publiée par Z. J. Piérart. Paris 1861. Quæ omnia opera proscripta sunt ex decreto S. Officii feria IV. die 20. Aprilis 1864. una cum alio op. Emmanuel de Swedenborg: sa vie, ses écrits et sa doctrine par M. Matter. in 8° pag. 483. Paris 1863.

[3]) M. Grand Lettre d'un catholique sur le spiritisme etc.

[4]) Ita Allan Kardec in op. cit.

Digitized by Google

dæmones, qui pariter simulant, se esse defunctorum animas, quum sint spiritus mali. Sic etiam, dum videntur pietatem fovere eximiasque præbere ad virtutem exhortationes, reipsa hæc omnia in eum finem dirigunt, ut facilius se tegant, donec postea, larva deposita, quid revera sint aperte se produnt.

687. Nequit igitur non esse mala, immo vero pessima spiritismi natura, quam paucis sic definire poterimus: Spiritismus, prout obtinet, est fraus ad hominum perniciem, et ad christianæ religionis eversionem a diabolo invecta. Ex qua definitione perspectam habemus tum spiritismi naturam malam, tum eius causam finalem, tum causam efficientem.

688. Etenim mala spiritismi natura exprimitur illis verbis: est fraus, seu deceptio sub quovis respectu spiritismus, et sub quavis forma, prout passim in usu est, in concreto spectetur; nec enim heic rem sub ideali, vago et abstracto conceptu spectamus, sed in sua realitate et quatenus in usu est et in praxim deducitur: ideo ad quamvis eliminandam æquivocationem, sub qua aliquis se tegere vellet, adiecimus verba illa: prout obtinet. Quod si est fraus, fictio, deceptio, profecto non potest esse spiritismus nisi res mala et quidem natura sua.

689. Causa vero finalis illis verbis exprimitur, quæ immediate sequuntur: ad hominum perniciem et ad christianæ religionis eversionem. Siquidem iste et non alius est scopus, ad quem spiritismus tendit, et ad quem ordinatus est. Hic autem scopus latissime patet tum immediate, tum mediate. Immediate quidem hominum perniciem intendit, nempe sive quoad individua singula, quæ se ei dedunt, sive quoad societatem, in qua spiritismus grassatur, sive quoad corpus, sive, et quidem potissimum, quoad animam, quæ ad æternum exitium ducitur. Mediate porro ad christianæ, seu catholicæ religionis eversionem spiritismus per immoralitatem, incredulitatem, fœdamque morum corruptionem tendit. Omnia eius molimina eo diriguntur, ut Christi regno, quod in his terris Ecclesia catholica est, everso, instauretur diaboli regnum.

690. Ex his iam innotescit spiritismi causa efficiens, quæ his verbis effertur: a diabolo invecta. Nam non alius quam perpetuus hic Dei et Christi sui hostis auctor extitit ac porro est huius machinationis, ad odium quo æstuat in Deum eiusque Christum explendum. Homines autem mali atque per-

Digitized by Google

versi eius adiutores sunt, utpote eiusdem odii ac spiritus participes in hoc perficiendo negotio; mensæ vero, tripodes aliaque materialia obiecta, totidem instrumenta sunt ad effectus sibi propositos producendos.

691. Ne quis autem in animum inducat suum quæ de spiritismi natura et causa asseruimus exaggerata ac gratuita esse, singulas datæ et enucleatæ definitionis spiritismi partes vindicare constituimus continenti propositionum serie. Sit igitur:

Propositio I.

Efficiens phænomenorum spiritismi causa non est nec esse potest naturalis, sed præternaturalis omnino est.

692. Sic porro enunciatæ theseos veritatem evincimus: Nec est neque esse potest causa naturalis efficiens illorum effectuum, qui vim omnem naturæ excedunt ac superant, quique causam moralem seu intelligentem humana quavis facultate superiorem requirunt. Atqui talia sunt phænomena spiritismi. Ergo horum causa efficiens nec est, neque esse potest naturalis, sed præternaturalis prorsus esse dicenda est.

693. Circa maiorem propositi syllogismi propositionem nulla potest esse contentio, cum exploratum sit, non posse effectum excedere causam, quæ eum producit; absurdum siquidem est ac repugnat, effectum maiorem esse causa sua, quæ includit effectum. Itaque tota difficultas est in minori. Jam vero instituta analysi phænomenorum spiritismi, eius veritas facile percipitur.

694. Ex phænomenis spiritismi, ut vidimus, alia sunt mechanica, alia significativa, quorum unaquæque classis suas subordinatas habet series inter se distinctas. Jam vero neutra classis in suo complexu seu generalitate accepta potest repeti a causa naturali.

695. Ac primo quidem nequeunt a causa naturali provenire phænomena mechanica spiritismi. Si enim sermo sit de phænomenis mere mechanicis, hæc plerumque consistunt in spontanea mensarum aut tripodum motione, elevatione, translatione, violentissima rotatione, per parietes ascensu, instrumentorum mobilium confractione, aliisque eiusmodi pæne innumeris motibus, absque ullo visibili motore, qui impulsum dederit

Digitized by Google

primum, aut ulla vi extrinseca atque sensibili. Horum autem phænomenorum cum suis omnibus adiunctis loci, temporis, testium adstantium historiam nobis exhibent in scriptis suis publice editis viri gravissimi in America fœderali, in Germania, in Helvetia, in Anglia, in Galliis, in Italia, adeo ut veritas ipsorum historica nullo pacto in dubium revocari possit. Nec solum auctores ea referunt et testantur, sed publicæ pagellæ, collectiones periodicæ, atque ipsi spiritismi sectatores vulgant ac prædicant extolluntque. [1])

696. Nos speciminis gratia ex prope innumeris eiusmodi factis contenti erimus unius alteriusve, saltem in compendium redacti, mentionem facere. Sit igitur primum illud, quod refert tamquam testis de visu D. Bénézet, vir præstantissimus inter Tolosanos, prius mensarum se moventium irrisor, postea vero de rei veritate proprio experimento convictus. Testatur porro, se vidisse mensam ponderosissimam ex se rotare levitate ac docilitate inconciliabili cum naturali ingentis eiusmodi molis inertia. Insuper rotationem eiusmodi subsecutos deinde esse mensularum ac tripodum ludos, scilicet erectionis et pedum pulsationis, scriptionis ad respondendum ac divinandum. Neque hic finis; sed additos præterea motus alios adhuc mirabiliores, ita ut supellex universa absque ullo contactu ad medii nutum agitaretur, everteretur, in altum elevaretur atque decideret, perinde ac si corpora viventia atque animata essent. [2])

697. Alterum sit, quod pariter testis oculatus et incredulus prodigiis mensarum ac tripodum retulit, D. De Saulcy membrum Instituti gallici. Hic cœpit experimenta tentare, nec solum a suis mensis obtinuit consuetos motus et undulationes et ictus per modum dialogi atque scriptiones hæmatitæ, sed præterea varietatem ac violentiam horribilem manifestationum inopinatarum: densa et ponderosa quercea mensa, quam tres validi fabri lignarii simul comprimebant omni qua poterant vi, vix nutu accepit a D. De Saulcy iussionem se attollendi, statim tali impetu prosiliit, ut in terram tres fabros deiecerit, ipsaque fracta sit. [3])

---

[1]) Innumeræ prope sunt ephemerides Americanæ, Gallicæ, Germanicæ, Italæ, quæ de spiritismi portentis disserunt, præter scriptores, qui data opera de his egerunt.

[2]) Bénézet Des tables tournantes et du panthéisme. Paris 1854. pag. 77 seq.

[3]) Cf. Mirville Questions des esprits. Paris 1855. pag. 68—91.

Digitized by Google

Cetera non persequor tum ne nimium prolixus sim, tum quia prostant de eiusmodi factis volumina non pauca, quæ exscribenda essent, si omnia quæ huc referuntur exponi deberent. Omitto propterea phænomena, quæ ad acusticam pertinent, seu concentus, voces, instrumentorum musicorum cuiusvis speciei sonum, ad numerum accuratissimum exactos vel absque ullo instrumento, aut per instrumentum quidem, sed nullo interveniente visibili actore. [1]) Sic omitto gymnasticas agitationes, vires, saltus, choreas aliaque eiusmodi, quæ ope mensarum ac tripodum sine ullo prorsus visibili movente, peraguntur. Hæc enim penes probatos auctores recoli possunt. [2])

698. Quoad phænomena vero significantia, quæ nempe intelligentiam patefaciunt: hæc consistunt ut plurimum in prolixis dialogis, qui intercedunt inter medium et mensam, quæ respondet apprime quæstionibus sibi propositis aut signis, ex. gr. tali percussionum numero, aut scriptione ope hæmatitæ, aut vocibus articulatis, aut aliis modis imperviis. Licet porro et hæ vulgatissimæ sint, unum tamen aut alterum pariter speciminis gratia exemplum horum phænomenorum libet subiicere. Sit primum illud, quod contigit in Galliis coram pluribus spectatoribus et agentibus tum clericis tum laicis spectatissimis, retulitque D. Des Mousseaux. Prius mensa seu tripos renuit respondere quæstionibus sibi factis, postea ad iussum alicuius adstantis velocissime se vertit, et adstantes impetu facto ad cubiculi ianuas compulit. Deinde post aliquod intervallum subita percussio adstantes admonuit, spiritum esse præsentem. Interrogatus utrum esset spiritus, respondit affirmative; utrum malus esset, iterum affirmat; utrum amaret Christum, respondit negative; quo nuncuparetur nomine, noluit præbere responsum. A capellano adstante interrogatus, utrum ipse haberet fratres, resp. duos, quod verum erat; utrum esset spiritus sub actione fluidi, resp. affirmative; utrum esset adstantium voluntati obnoxius, resp. negative .... ubi resideret, resp. in aëre; et ita porro. [3]) Aliud sit, quod contigit Lutetiæ Parisiorum, ac refert

---

[1]) Cf. Pailloux pag. 34 seq.

[2]) Cf. Mirville Livre des esprits. — Des Mousseaux La magie au XIX. siècle. — Les médiateurs et les moyens de la magie. Qui se exhibent testes oculatos una cum aliis testibus magno numero. M. De Resier. — La Civ. Catt. terza serie vol. VII., item tom. IV. pag. 129., tom. V. pag. 34 etc.

[3]) Cetera omitto; siquidem longus nimis hic dialogus est. Vid. auct. cit. in op. Mœurs et pratiques du démon. Cf. item Pailloux

Digitized by Google

laudatus Mirville, de quodam dynasta, qui sciscitatus est a spiritu latente, quid sentiret de divina bonitate, de tormentis, quibus spiritus affligebatur, de eorumdem æternitate, de odio, quo erga Deum afficiebatur, utrum annihilationem, si ei offerretur, acceptaret. Ad quæ omnia ad amussim spiritus respondit.[1]) Et hæc ex innumeris prope, quæ afferri possent, sufficiant ad scopum nobis propositum.

699. Nunc vero sic instauramus argumentum nostrum, atque concludimus: Naturam profecto superat corporum inertium motus sine motore, immo eidem naturæ adversatur; repugnat eidem naturæ obiecta, per se inertia ac materialia posse vitam, actionem, intelligentiam, voluntatem eamque liberam exercere et manifestare; repugnat denique naturæ, ut obiectum inanime ac materiale possit alterius imperio se subdere, mandata percipere et exequi. Jam vero ex hactenus allatis phænomenis aliisque eiusmodi pæne innumeris, quæ afferri possent, certum est, mensas, tripodes, aliaque materialia instrumenta seu obiecta tum nullo extrinseco ac visibili motore agente aut impellente se movere, subsilire, alio se transferre, rotare, infringi; tum sonos emittere, harmonicos concentus ad musicales notas exactissime comparatos ciere, humanas voces imitari, choreas ducere aut cum instrumentis idoneis aut sine illis, nemine prorsus interveniente visibili vivente; tum propositis sibi quæstionibus satisfacere, et quidem ut plurimum de rebus obstrusis, ignotis, aut saltem difficillimis, alterius iussibus parere interdum prompte et ad nutum, interdum vero ægre, interdum denique penitus obedientiam renuere. Cum itaque hæc omnia non solum naturæ leges transiliant ac superent, verum etiam omnibus naturæ legibus nobis cognitis prorsus adversentur, necessario sequitur, aut admittendos effectus sine causa, aut admittendos effectus, qui causam superent, aut, si qua causa recensitis effectibus seu phænomenis producendis idonea sit assignanda, hanc extra naturæ sensibilis ambitum esse quærendam. Cum vero duæ priores hypotheses metaphysice repugnent, reliquum est, ut eam extra mundanum hoc systema nostrum esse

---

Le magnétisme, le spiritisme et la possession. Paris 1863. pag. 9 seq.

[1]) Op. cit. pag. 89, ubi plures alios eiusmodi dialogos refert. Idem præstitit Dr. Bautain Vic. Generalis Parisien., testis oculatus, in op. cui titulum præfecit: Avis aux Chrétiens sur les tables tournantes et parlantes par un ecclésiastique. Paris 1853.

Digitized by Google

affirmemus, nempe ut dicamus esse omnino præternaturalem; seu quod idem est: Causa efficiens phænomenorum spiritismi nec est, nec esse potest naturalis, sed præternaturalis omnino est, prout constituimus.

Difficultates.

700. I. Obi. 1. Nemo apprime perspectas habet naturæ leges: fieri proinde potest, ut spiritismi phænomena ab aliqua lege incognita proveniant. 2. Nihil vetat, quominus imaginationis, aut manuum aut digitorum vibratoria vi eadem phænomena explicentur. 3. Aut etiam per fluidum magneticum, quod ex medio in mensas diffunditur easque mobiles efficit ac rotatorias. 4. Dici etiam potest, vocem, quam emittit mensa, non esse nisi echo vocis interrogantis aut iubentis, vitam vero et cogitationem, quæ videntur inhærere mensæ, non esse nisi repercussionem cogitationis et vitæ, quæ redit ad medium ex quo processit. 5. Seposita hallucinatione, quæ in eiusmodi phænomenis non parvam partem sibi vindicat, mensa quæ videtur per aliquod instans transformata in unum membrorum nostrorum, est prolongatio quædam individui nostri ac nostræ cogitationis, quæ ceu resoluta in fluidum nostrum se insinuat in mensam statim ac hoc ipsum fluidum eam penetrat. Cum vero id accidat nobis insciis, exinde oritur admiratio nostra: immo vero et deceptio, dum putamus ab alio pendere, quod nostrum est.[1]) 6. Ceterum absurditas fidei in interventione spirituum est scientifice demonstrata.[2]) Ergo.

701. Resp. ad 1. D. Nemo apprime perspectas habet naturæ leges positive, Tr.; negative, N. Jam enim hanc ipsam difficultatem dissolvimus, cum ageremus de phænomenis magneticis. Hanc siquidem perpetuo aggerunt adversarii, quum ad incitas rediguntur, ac nesciunt quo se vertant. Hanc eamdem

---

[1]) Ita Faraday, Bonjean, De Gasparin, aliique spectatores de visu phænomenorum mensarum, adnitentes ea exponere scientifice, apud Mirville Questions des esprits. Avant-propos, et chap. I. §. 2.

[2]) Sic enim ex tripode pronunciat De Gasparin in suo op. Des Tables: *L'absurdité de la croyance à l'intervention des esprits est scientifiquement démontrée,* quin vereatur se ridiculum præbere. Hic auctor calvinianus rigidus iugiter in suis assertionibus paradoxum se præbet.

Digitized by Google

perpetuo crambem repetunt. Nam est ultimum ipsorum perfugium, ac veluti palladium, ad quod se recipiunt prout iterum iterumque adnotavimus. Attamen quam vanum istiusmodi perfugium sit, patet luculenter ex eo, quod nos minime disseramus de phænomenis seu de effectibus, qui ex ignota lege aut causa proveniant, sed de iis, qui legibus et causis apprime cognitis adversantur. Et sic dissolvitur eiusmodi sophisma, dato etiam, quod eiusmodi leges incognitæ, saltem sub omni respectu, reipsa existant, quod merito viri docti inficiantur.

702. Ad 2. Neg. Quæcumque enim imaginationis vis supponatur, fieri nequit, per eam solida corpora moveri de loco in locum, subsilire, rotare, in aërem tolli, suspensa seu pendula in aëre permanere, prout passim contingere per spiritismum novimus. Idem dic de manuum aut digitorum vibratoria vi, quæ impar omnino est recensitis phænomenis explicandis, aliisque quamplurimis, ut sonos musicos edere, voces humanas elicere, prout vidimus in spiritismo contingere. Hæc omnia communi sensui repugnant.

703. Ad 3. Neg. Nam, dato etiam, quod tamen plerique uti dubium saltem habent, existere eiusmodi fluidum magneticum animale, multiplici ex capite repugnat, posse per istud fluidum dimanans e medii seu mediatoris corpore produci mira illa, quæ in spiritismo contingunt. Repugnat siquidem in se, ut fluidum vim tantam exerat usque ad movenda corpora solida ac ponderosissima; repugnat, ut ad voluntatis nutum agat extra corpus ex quo emanat; repugnat, ut eiusmodi effluvium motum rotatorium producat, aut in diversas directiones ac tali cum impetu transferat adstantes, quæcumque ab ipsis renitentia opponatur, ut alia prætеream. [1])

704. Ad 4. N. Etenim et hæc hypothesis gratuita est nulloque fulta vel apparenti fundamento; eo vel magis, quod

---

[1]) Cf. Pailloux Le magnétisme etc. pag. 30 seq., ubi pluribus ineluctabilibusque argumentis ex physica depromptis refellitur eiusmodi hypothesis: tum quia hæc vis est insufficiens; tum quia vis, quæ ex supposito fluido dimanaret, quodque egrederetur de membris nostris, esset potius vis repulsiva, quam attractiva; tum etiam, quia fluidum istiusmodi non minus ageret in mensas, quam in obiecta circumstantia, quæ tamen immobilia remanent; tum denique, quia motus volatorius, subsultus etc. esset impossibilis, si proveniret ex eiusmodi causa. Cetera non persequar, ne longior sim.

Digitized by Google

plerumque vox ea promat, quæ a sciscitante ignorantur; quod vita, quæ per se non valeret aliquid efficere, id operetur quando ex vivente transfusa est in corpus inanimatum ac mortuum, seu in lignum, tabulam, capsam etc.; quod repetat ad instar echo id, quod numquam interrogans scivit; quod effluvium emanans a corpore vivente communicatum in obiectum in distanti positum ac mortuum valeat producere effectum, quem non possit producere subiectum, ex quo ipsum effluvium dimanat: hæc et alia eiusmodi, quæ in tali systemate effutiuntur, adeo ridicula et absurda sunt, ut ea vel retulisse, refellisse sit. In his diutius immorari foret iacturam temporis facere. [1])

705. Ad 5. Neg. 1° Siquidem et hæc ex eadem officina promanant, nempe ab eo, qui, cum facta inficiari nequeat et ex altera parte pertinax sit in omni præternaturali interventu reiiciendo, implicat se in absurditatum cumulo, quæ risum movent ac indolem impugnatoris patefaciunt. Itaque hic primum adnititur per hallucinationis effugium extenuare, quæ vulgatissima sunt, et quotidie sub oculis innumerorum testium cuiusvis conditionis accidunt. 2° Quæri potest, in quonam consistat excogitata mensæ aut tripodis transformatio in aliquod membrum nostrorum corporum. 3° Quidnam veniat sub nomine prolongationis individui nostri, quasi nempe nos viveremus aut saltem vivere pergeremus in ligno, in lapide etc. Quid absurdius? 4° Verum quid dicendum de cogitatione resoluta in fluidum, ac penetrante mensam aut tripodem cum consectariis exinde deductis? Nonne phrenetici ac delirantis somnia viderentur? Attamen hæc effutiit vir, qui inter suos, nempe protestantes furiosiores huius ætatis, magno nomine fruitur, scilicet celebris De Gasparin. [2])

---

[1]) Cf. ibid. pag. 86 seq., ubi paradoxa De Gasparin refelluntur.

[2]) Mirville op. et loc. cit. Ex verbis ipsis De Gasparin patet, quod ipse se determinaverit ad impugnandum spiritismum cum suis consectariis, ut se opponeret Ecclesiæ doctrinæ circa dæmonum operationes, obsessiones, artem magicam, superstitiones omnium sæculorum, ac virtutem quam in exorcismis suis Ecclesia iugiter agnovit. Sic enim scribit in op. cit. Les Tables etc. tom. II. pag. 524.: *J'étais tenu de relever le gant: et comme je n'ai pas l'habitude de mettre mon drapeau dans ma poche, j'ai été naturellement conduit à déployer ce drapeau protestant en face de la bannière ultramontaine* nempe Catholicismi. Ast quo exitu id ipse assecutus sit, docti omnes sciunt, a quibus uno consensu vapulat uti vir communi sensu destitutus. Talis valoris sunt ac præstantiæ Ecclesiæ impugnatores!

Digitized by Google

706. Ad 6. D. Absurditas fidei in interventione spirituum est scientifice demonstrata, scientia fictitia, C.; scientia proprie dicta, seu veri nominis scientia, N. Etenim vera scientia præscindere nequit ab eo, sine quo nequit reddi ratio phænomenorum, quæ quotidie in oculos nostros incurrunt. Talia porro sunt phænomena spiritismi, uti ex hactenus disputatis certissime constat. Sane vel ipse Thury, pariter protestans ac professor in academia Genevensi, reiecit nomine scientiæ absurditatem, quam De Gasparin obtendit in interventione spirituum circa phænomena spiritismi. [1]) Plures præterea viri docti et graves eiusmodi absurditatem non viderunt. [2]) Nec attendi ullo modo debent ii, qui scientiam iactant, ut præternaturali causæ sese opponant, et scientiæ nomine loquuntur absque ullo mandato, quasi ipsi soli essent authentici scientiæ interpretes, [3]) nec verentur, dum hæc obtrudunt, absurda quæque devorare.

707. Cumque plus minus difficultates, quæ ab adversariis urgeri consueverunt adversus causam præternaturalem phænomenorum spiritismi, revocentur ad eas, quas, agentes de mesmerismo, exposuimus et dissolvimus, eas missas facimus. Omnes porro revocantur ex parte medicorum ad hallucinationes seu

---

[1]) Qui inter cetera scribit: *Je soutiens que ceci (le spiritisme) est tout aussi scientifique qu'autre chose.* Apud Pailloux op. cit. pag. 88.

[2]) Cf. apud Mirville op. et loc. cit., qui plures recenset, quibus alii addi debent, quos postea recensuit Des Mousseaux op. cit. La magie au XIX. siècle.

[3]) Apposite R. P. Felix de prætensa eiusmodi scientia anti-religiosa, quæ nobis opponitur, hæc habet: *Un mot célèbre est prononcé contre nous, pour confondre le progrès par le christanisme: La science. Telle est la formidable évocation, dont on essaye de nous faire peur. A tout ce que nous pouvons dire — des hommes ont une réponse toujours prête: cela n'est pas scientifique. Nous disons: la révélation — la révélation n'est pas scientifique. Nous disons: le miracle — le miracle n'est pas scientifique. — Ainsi l'antichristianisme fidèle à ces traditions, aujourd'hui plus que jamais prétend nous tuer par la science. — Et pourquoi avons-nous contre nous la science? Pourquoi nous annonce-t-on la fin du christianisme par la science? Ecoutez, Messieurs, voici le point central de l'objection scientifique, nous devons périr par la science, parce que nous enseignons des mystères, et que les mystères sont l'antagonisme radical de la science moderne.* Prem. Confér. à Notre-Dame, 1863.

Digitized by Google

deceptiones sensuum, ex parte physicorum vel ad fluidum magneticum aut electricum, ex parte vero nonnullorum ad vim muscularem, ad prolongationem vitæ, sensuum aut animæ ad agendum per mensas aliaque instrumenta. Quum vero hæc aliaque eiusmodi partim inepta, partim absurda, partim inepta pariter atque absurda sint, et a sana philosophia prorsus abhorrentia, exinde fit, ut hinc quidem solum appareat scientiæ absoluta impotentia ad reddendam rationem effectuum, qui nullo modo naturali ratione explicari queunt, inde vero, cum natura abhorreat a vacuo, ne silere videantur, ac propriam deponere tenacitatem in reiiciendo præternaturali ordine, ne vulgares audiant superstitiosi et indocti, recurrere adversarii debeant ad verba sensu vacua, quæ nihil significant, ne impares se ostendant ad causam naturalem assignandam. [1])

Propositio II.

Efficiens huiusmodi causa natura sua mala est, et finaliter ad nocendum hominibus, ac præsertim in perniciem christianæ religionis ordinatur.

708. Si causa efficiens phænomenorum spiritismi est præternaturalis, ut ex demonstratis constat, hæc alia esse nequit præter Deum, aut spiritus bonos seu angelos, aut animas defunctorum, aut spiritus malos seu dæmones. Atqui talis causa esse non potest Deus, nequeunt esse angeli, aut animæ defunctorum: igitur alia causa non est aut esse potest præter spiritus malos seu dæmones. Cum partitio sit adæquata, reliquum est, ut veritatem ostendamus minoris propositionis per singulas partes.

709. Itaque hæc causa nequit esse Deus: quod vel ipsi spiritismi patroni fatentur; nemo enim hactenus, quod sciam, Deum auctorem, saltem immediatum, phænomenorum, de quibus est sermo, fecit aut somniavit. Et sane ecquis unquam in animum inducat suum, quod Deus velit se demittere ad edenda oracula sua per tripodem aut mensam, tot indigna divina maiestate peragere, saltationibus, convulsionibus, motibus inde-

[1]) Cf. Des Mousseaux Mœurs et pratiques des démons. chap. XXV. Explications des incrédules de cette nouvelle école — aburdités — et chap. XXVI. Conclusions pratiques.

Digitized by Google

coris, ut cetera omittam, operam dare? Blasphemum foret id proferre, impiumque vel cogitare. Itaque prima hac causa dimissa, ceteræ expendendæ supersunt.

710. Sed neque possunt esse eiusmodi causa efficiens spiritus boni seu angeli. Siquidem angeli Dei visione beatifica fruuntur, divinæ maiestati serviunt, eius iussa complent, natura sua longe præstantiores hominibus sunt, atque ex Dei ordinatione, quamvis cœli principes, auxilio sunt hominibus, ut hi pervenire aliquando valeant ad supremi finis, ad quem conditi sunt assecutionem. Præsto speciali ratione sunt Christianis præsertim iustis. Ut enim dicitur Ps. XC. 11.: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* atque Hebr. I. 11.: *Nonne,* scribit Apostolus de angelis, *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Quodsi talis est angelorum natura, talis ipsorum dignitas, talis destinatio, tale ministerium, profecto censeri nullo modo possunt, quod mensas invadant, quod ludicris vacent spectaculis futilibusque artibus, et, quod caput est, homines indigna doceant, mentiantur, decipiant. Hæc enim omnia in spiritismi phænomenis contingunt. Nec obest, quod interdum per mensas bona, imo quandoque pia habeantur documenta. Neque enim hæc seorsum spectanda sunt, sed conferri debent ad totum eiusmodi phænomenorum complexum, ex quo aperte discimus, inania, falsa, perniciosa, obscœna etiam a spiritibus proferri, [1]) et, quæ innoxia videntur ad fraudem tegendam ordinari, ut perniciosis laqueis incauti irretiantur. Itaque et hæc altera causa seponenda est: hæc enim sunt angelis indigna.

711. Verum quid de animabus defunctorum sentiendum est, quæ est tertia causa a spiritismi fautoribus assignata? Hæ in triplici statu spectari possunt, tum nempe in statu gloriæ, tum in statu expiationis, tum in statu damnationis; iam vero in nullo horum statuum animæ intervenire possunt in spiritismi phænomenis. Nam omnes animæ istæ subsunt Dei potestati, nec ad libitum evocari possunt a mediis, ut per mensas faciant manifestationem sui, ipsas invadant, tollant, moveant,

---

[1]) Reperies apud Pailloux haud pauca exempla eiusmodi deceptionum pag. 113 seq., collecta ex testibus fide dignis, nec non ab auctoribus, qui hoc de argumento scripserunt. Inter hos eminet Thiræus, quem vide in op. cui titulus Loca infesta. Lugduni 1599. part. III. in indice disputationum de terrificationibus nocturnisque tumultibus. cap. V. pag. 513 seq.

Digitized by Google

responsa præbeant, quibus satisfaciant viventium curiositati circa ea, quæ in altera vita eveniunt. De animabus beatorum nullum subesse dubium potest, quæ utpote cum Deo beatæ eiusque gloriam contemplantes, mediorum iussionibus profecto non parent. Idem dic de animabus in purgatorio degentibus, quæ illic a divina iustitia detinentur, nec inde exeunt donec solverint novissimum quadrantem, ut legitur Matth. V. 26. Sic etiam quæ apud inferos detrusæ sunt, sub unius sunt Dei potestate, neque pro alicuius lubitu revocari sursum possunt. Quod si passim animæ apparuisse dicuntur in spiritismo, ac per suum medium vel per semetipsas se exhibuerunt ut animas patris, matris, filiorum etc. imitatæ vocem, scriptionem, agendique rationem domesticam dum adhuc in vivis degerent: hæc aliaque eiusmodi non fuerunt nec sunt nisi fictiones deceptionesque, ut postea detectum est et supposititiæ animæ non semel fassæ sunt. [1])

---

[1]) Cf. Matignon Les morts et les vivants, entret. I. et suivants; nec non Pailloux op. cit. pag. 120 seq. Item Mirville Des esprits. chap. I. Questions des esprits. chap. II. Des Mousseaux La magie. chap. V. pag. 195 seq. Quandoquidem vero nimis longum foret facta, quæ huc referuntur magno numero, describere, neque nostri instituti sit, satis erit speciminis gratia unum aut alterum in medium adducere. Spiritus, qui prius se præbuit uti animam patientem, efflagitantemque suffragia ad sui liberationem a pœnis quas sustinebat, postea se patefecit qualis reipsa erat, dicens: *Se esse dæmonem, qui efflagitabat pactum de tradenda sibi anima, negantem adesse sive purgatorium, sive infernum, bonos ac malos fruituros esse in altera vita eadem beatitudine etc.* Apud Pailloux pag. 120. Alterum sit illius spiritus, qui se fingebat animam cuiusdam sacerdotis, deinde ostendit se esse mentitum. Et ita porro. Heic vero duo animadvertenda sunt: 1° quod aliud sit animas sive beatas sive purgantes interdum se viventibus manifestare, prout non semel factum esse legimus in vitis sanctorum, nec abnuimus; aliud vero, quod ad nutum intramediorum se viventibus sistant respondeantque quæstionibus sibi propositis, quod iure inficiamur. 2° Animas extra propria corpora, seu a corpore separatas in aliena corpora nihil posse, ut cum S. Thoma ostendit Suarez. Sane S. Thomas I. part. q. 117. art. 4. hæc habet: *Anima separata sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus. Manifestum est enim quod cum anima est corpori unita, non movet nisi corpus vivificatum; unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animæ ad motum localem. Manifestum est autem quod ab anima separata nullum corpus vivificatur; unde nullum corpus obedit ei ad motum localem, quantum est de virtute suæ*

Digitized by Google

712. Exclusis igitur tribus prioribus efficientibus causis alia non superest præter dæmones. Hi veri sunt auctores phænomenorum omnium spiritismi. Idque multiplici ex capite facile evincere est. Ac 1° ex natura actuum, quos eiusmodi spiritus eliciunt, qui sunt inanes, leves, nullius frugis vel ad alliciendum vel ad terrendum directi pro opportunitate; [1]) 2° ex mendaciis, quæ non semel spiritus protulerunt, et eà se protulisse fateri coacti sunt ex adiuratione ipsis facta in nomine Dei et Jesu Christi Servatoris nostri; [2]) 3° ex horrore quem patefecerunt obiectorum sacrorum, fac alicuius reliquiæ sacræ, aquæ lustralis, B. Virginis rosarii, aliorumque eiusmodi, ita ut ad istorum conspectum vel respondere renuerint, vel aufugerint, aut etiam post violentissimas convulsiones mensæ aut tripodes confracti fuerint; [3]) 4° ex falsis, contradictoriis ac immoralibus doctrinis, quas non semel effutierunt circa statum præsertim alterius vitæ, quin sibi umquam constiterint; [4]) 5° demum ex aperta ipsorummet spirituum confessione, qua et se malos esse, odio Deo esse, se Deum odisse, necessitate odisse, immo et odium esse et nuncupari, [5]) palam edixerunt.

713. Sic porro tum negative seu per exclusionem, tum positive per luculenta facta, priori propositionis parte vindicata circa causam malam efficientem spiritismi, reliquum est, ut alteram eiusdem partem evincamus, qua adstruximus causam

---

naturæ; et ad 2. cum S. Augustino et Jo. Chrysostomo subdit: *Frequenter dæmones simulant se esse animas mortuorum, ad confirmandum gentilium errorem, qui hoc credebant.*

[1]) Id vidimus ex confessione ipsius Allan Kardec, cuius verba attulimus.

[2]) Cf. Des Mousseaux La magie etc. ch. IV., ubi reperiuntur explicitæ eiusmodi spiritus confessiones, quod fuerit Beelzebub, Lucifer, dæmon, qui se obtegerat sub ementita animarum apparitione.

[3]) Cf. De Roys La vérité sur le spiritisme. 2. édit. Paris 1863. pag. 13., ubi legitur spiritum impulsum ad scribendum: Vivat Jesus! numquam adduci potuisse ad id præstandum. Tandem inventum est scriptum: Vivat Satanas! Ibidem pag. 11. legitur de renitentia, furore, convulsionibus mensarum ob aquam lustralem, rosaria, ceteraque eiusmodi obiecta sacra super illis immissa, donec ea reiecerint ex se. Item cap. XV.

[4]) Id patet ex superius dictis, et ex dicendis.

[5]) Ibid. pag. 67., ubi spiritus fatetur, se esse Luciferum, appellarique Odium, nempe Dei et hominum. Plura his similia cf. apud Mirville. Questions sur les esprits in notis pag. 87 seq.

Digitized by Google

eiusmodi finaliter ad nocendum hominibus, et præsertim in perniciem christianæ religionis ordinatam esse. Utrumque autem ostendimus tum a priori, ut aiunt, tum a posteriori, seu theoretice et practice.

714. A priori quidem, spectatis indole, genio, ac tendentia dæmoniorum. Ipsi enim, utpote spiritus mali, et Dei ac hominum hostes acerrimi, ac immani odio succensi in Deum, a quo ad æternum sunt exitium in pœnam propriæ perduellionis damnati, atque invidia furientes erga homines ad Dei imaginém conditos atque ad sempiternam felicitatem ordinatos, si creatori suo obsecuti fuerint, fidelesque usque ad mortem sese exhibuerint; ipsi, inquam, dæmones nihil non agunt, ut Dei gloriæ, ac hominum felicitati se opponant, nihil non moliuntur, ut homines a cultu et obsequio Deo debito retrahant, ut insidias iis struant, ut eos decipiant. Plena sunt divinorum eloquiorum oracula, quibus eiusmodi dæmonum in Deum ac in homines odium patefit. Christus testatus est, se ideo venisse ut dissolveret opera diaboli,[1]) ut eiiceretur foras princeps huius mundi;[2]) dæmon vocatur fratrum accusator;[3]) a B. Petro describitur uti leo rugiens qui circuit quærens quem devoret,[4]) et ita porro. Nil mirum proinde, si omnia opera eius eo tendant, ut homini noceant, ut eum subvertant perdantque. Hic finis eius supremus est, cetera sunt eius media, ac proinde eo tamquam in finem ultimum spiritismus, cuius ipse auctor et causa est, dirigitur universus.[5])

715. Cum vero Ecclesia christiana, nempe catholica, nam præter hanc unam nulla alia est, sit instrumentum a Deo ele-

---

[1]) I. Jo. III. 8.: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

[2]) Jo. XII. 31.

[3]) Apocal. XII. 10.

[4]) I. Petri V. 8.

[5]) Quod vel ipse diabolus confessus est, dum cuidam ipsum interroganti: num esset anima quæ responderet, prout se finxerat, negavit: *Qui donc es-tu? — Je suis le démon et que me veux-tu? T'avoir. — Va, cesse de peiner, je suis là tout prêt à t' aider, à te soutenir; écoute mes paroles, accepte mes conseils; y es-tu? Que t'en semble? Laisse en paix ta sotte conscience. N'as-tu gagné quelque chose à me croire? Mais, toi que j'aide, il faut me payer à ton tour; je me donne a toi .... Il faut te donner à moi ... Que dis-je? Tu viens d'accepter mon secours ... et je te le déclare, tu m'appartiens.* Apud Pailloux op. cit. pag. 120 seq.

Digitized by Google

ctum ad animas salvandas, nil mirum, si dæmones eidem quoquo modo possunt bellum atrox, pertinax, perpetuum indixerint ad eum, si fieri posset, penitus evertendam. Huc omnes suos conatus dirigunt, huic Ecclesiæ iugiter hostes ac impugnatores suscitant, infideles scilicet, hæreticos, pessimos catholicos, pseudo-politicam, debilitare adnituntur fidelium fidem tum circa unice veram Ecclesiam, tum circa pœnarum æternitatem, tum circa necessitatem bonorum operum, tum circa dogmata speciatim spectata, præsertim vero practica ex. gr. confessionis, Eucharistiæ, et ita porro. In mensarum locutionibus sive scriptionibus per media seu mediatores, exceptis nonnullis casibus ad facilius catholicos decipiendos, perpetuo insistunt in aliquo ex recensitis capitibus. Paulo ante integrum systema doctrinale eiusmodi spirituum dedimus, quod communiri posset certissimis documentis ac manifestationibus, si opus esset. [1]) Illi etiam se fingunt defunctorum animas esse, immo et angelos, et Christum ipsum. Quid clarius afferri potest ad evincendum, finaliter huiusmodi causam natura sua malam ad nocendum hominibus, ac præsertim in perniciem christianæ religionis, prout statuimus, ordinatam esse? Constat igitur de veritate theseos nostræ.

---

[1]) Cf. opera sæpe citata Mirville, Des Mousseaux, Pailloux, Matignon etc., qui passim referunt eiusmodi spirituum doctrinas circa recensita puncta. Immo notatum est, hos spiritus nusquam ac numquam quemquam exhortatos esse ad amplectendam fidem catholicam, ac ingressum in hanc veram Ecclesiam, uti adnotat cl. Monticelli op. cit. tom. II. pag. 219, cuius verba hæc sunt: *Se infatti nessun magnetista ha mai fatto l'osservazione, che le ectasi magnetiche e le visioni d'angeli, di cui or trattiamo, di preferenza si manifestino presso i sonnamboli Cattolici, che i Luterani, i Calvinisti, i Quaccheri o gl' Israeliti: se niun magnetista ha mai rimarcato (parlo col Charpignon e col Nani cattolici) che tra tante illuminazioni celesti di cotesti crisiaci alcuna ve ne fosse che li conducesse aduniti al grembo della vera chiesa: è forza concludere, che le suddette communicazioni avvengano con esseri assai diversi degli angeli buoni. Il primo lume celeste di cui abbisogna chi è fuori della chiesa è appunto quello della fede. Ma le rivelazioni e le visioni magnetiche in chi le ammetta come divine, tendono al contrario ad insinuare l' errore, che qualunque siasi la fede professata da un individuo, egli può equalmente piacere al creatore; in altri termini mirano a propagare quell' indifferentismo in materia di fede, che è uno degli errori capitali del nostro secolo.*

Digitized by Google

Difficultates.

716. I. Obi. Haud paucæ nec spernendæ rationes vetant, quominus phænomena spiritismi dæmonibus tribuamus. Etenim 1° ipsi, utpote meri spiritus, in materiam agere non possunt; 2° ad summum agere possunt in animam, quæ spiritus est, eamque sibi subiicere, eique dominari. 3° Verum, dato etiam, quod possint dæmones directe agere super materiam, non inde sequitur, ipsos hac facultate uti: nam sic se manifestarent; interest autem ipsorum se occultare, ut incredulos confirment in sua sententia, quod dæmones non existant. 4° Alioquin sæc. XIX. revocarentur homines ad medium ævum, in quo omnia plena erant obsessionibus, magicis artibus, veneficiis, incantationibus, aliisque eiusmodi, a quibus seculum nostrum abhorret. 5° Adde Deum universalem eiusmodi dæmonum deceptionem cum tanta animarum pernicie permittere haud posse, spectata eius providentia ac bonitate. 6° Sane, his artibus opus non est ad homines decipiendos, cum ipsi in tanta qua versantur depravatione ultro se eorum voluntati obsequentes præbeant. Ergo.

717. Resp. Neg. ant. Ad 1. prob. N. Siquidem nihil obstat, quominus spiritus corpora moveant, utpote excellentioris virtutis: hinc anima movet corporis membra per vim motivam qua gaudet, etsi in se spiritus sit; ut omittam Deum, spiritum profecto purissimum, corpora movere. Hinc merito S. Thomas: *Natura corporalis*, scribit, *nata est moveri immediate a natura spirituali secundum locum.*[1]) Quapropter et dæmones agere possunt in materiam, adeoque et in corpora. Præterea in sacris Litteris plura exempla suppetunt istius dæmonum actionis in corpora, præsertim in libro Job.

718. Ad 2. D. Indirecte et mediante corpore, saltem in præsenti ordine, C.; directe et immediate, N. Nam dæmones sibi subiicere nequeunt ulla vi animas nostras eisque immediate dominari, possunt tamen eo usque pervenire, ut eas sibi moraliter subiiciant, adeoque et eis dominentur per oblectationes extrinsecas trium præsertim concupiscentiarum, nempe per illecebras voluptatum ac sensuum, per inanem gloriam, aut per divitiarum amorem; item per suggestiones mediante phantasia ac imaginatione, et ita porro. Numquam vero possunt animabus nostris, utpote liberis, vim inferre, atque eas flectere ipsis invitis.

---

[1]) I. part. q. 110. art. 3.

Digitized by Google

719. Ad 3. Resp., dæmones optime novisse e re sua operari, et quando opportunius sibi sit aut se prodere aut occultare. Mirabilis est plane ars, qua utitur dæmon, ut, dum se manifestat, se simul tegat. Etenim quovis sæculo, et in quavis religione, iudaica, pagana, christiana, operationibus præternaturalibus fecit ostensionem sui, ut patet ex historia dæmonologiæ sub quovis respectu; attamen se tegit iugiter, dum instrumentis utitur ad eiusmodi suas operationes eliciendas, et ita, ut hæ potius tribuantur instrumentis, quam ei qui instrumentis utitur. Sane olim sub vaporis, virgæ, baculi, herbarum etc. nunc vero sub fluidi magnetici et sub mensarum mediorumque larva se abscondit. Exinde fit, ut et intentum obtineat illudendi hominibus et eodem tempore alat in incredulis persuasionem de non existentia diaboli. [1])

720. Ad 4. D. Sæculum nostrum abhorret a nomine magiæ, maleficii, incantationis obsessionisque, C.; a re his vocibus significata, N. Nam, ut suo loco vidimus, furor quidem huius seculi homines incessit, ut tentarent phænomena tum magnetismi animalis, somnambulismi præcipue lucidi, tum spiritismi sub quovis respectu, mensarum, tripodum, responsionum etc. Jam vero, ut paulo infra ostendemus, hæc nil aliud sunt, quam magia, incantationes, maleficia atque obsessiones. Quo fit, ut adversarii ipsi per eiusmodi praxim seu experimenta illi sint, qui medium ævum ad sæculum XIX. transferant, solis vocibus

---

[1]) Atque huc iterum lubet animadversionem subiicere Monticelli, qui tom. II. op. cit. pag. 425 scribit: *Voltaire ha detto: Satana è il cristianesimo: Se non v'è Satana, non v'è cristianismo. È una gran parola questa di Voltaire: è il compendio di tutta la teologia della redenzione e certi teologi farebbero bene a non dimenticarla. Poichè se Satana non è, o non ha azione nel mondo, non è vero neppure ciò che ha detto S. Giovanni, che Cristo è venuto a distruggere le opere di Satana, (ut dissolvat opera diaboli. I. Jo. III.) Così, non Satana, non caduta dell' uomo; non caduta dell' uomo, non redenzione, non redentore; non redentore, non cristianesimo; non cristianesimo, non religione; non religione, non Dio. E di fatto fu cominciando a scherzar sopra Satana, a negar Satana, che i filosofi dell' ultimo secolo e quelli del nostro hanno finito a scherzar sopra Dio e a negar Dio. Si comprende adunque l'interesse che ha Satana e i suoi satelliti perchè si disconosca e si neghi. Negandolo, si è meglio suo servitore e suo figliuolo... I filosofi negando Satana, negano ogni Dio, e questa negazione è l' ultimo fine di tutte le opere di Satana, e il colmo di suoi voti, e di suoi desiderii.*

Digitized by Google

immutatis. Ceterum, ut hoc etiam obiter notetur, mirum esse non debet, si a medio ævo adeo abhorreant protestantes et increduli, si ætatem illam adeo calumnientur, si tetris adeo coloribus ipsam depingant, quandoquidem fuit illa ætas fidei, et vere christiana: dum e converso sæculum nostrum sæculum sit indifferentismi ac incredulitatis. Interim, quamvis ætas illa suis vitiis scateret, magnis tamen virtutibus florebat, dum ætas hæc nostra iisdem, quandoque etiam deterioribus vitiis commaculatur, at illis heroicis virtutibus plane destituta est. Optima generatim ratio iudicandi utrum aliquid bonum vel malum sit, desumi debet ab eo, quod protestantes et increduli vituperant aut laudant. Si enim conspirent in aliquo celebrando, pro certo haberi debet illud malum esse; contra vero, si conspirent in aliquo vituperando, absque dubio illud bonum et optimum esse affirmandum est. Regula hæc aut nullam, aut vix ullam patitur exceptionem. [1])

[1]) Apposite non minus quam vere ac eleganter P. Pailloux op. cit. pag. 328.; ubi, conspiratione protestantium et incredulorum contra medium ævum patefacta, subdit: *Car il est une méthode à peu près infaillible de ne point errer en semblable matière. C'est de prendre diamétralement le contre-pied de ce qu'enseigne l'ennemi de la vérité. Car, si la langue du mensonge affirme quoi que ce soit, l'instinct primitif de l'oreille de la vérité s' en détourne et incline pour le contraire. Prenez, par exemple, l'inquisition: les sarcasmes que depuis tant de siècles lui jette l'impiété sont autant de poids, qui, placés dans la balance, élèvent cette institution à mes yeux; elle est sacrée par l'attaque des méchants. Prenez, au contraire, l'abolition de l'ordre des Templiers par les Pontifes romains, et les rois de la Chrétienté; plus la philosophie incrédule en a montré de rage, plus aussi les crimes, qu'elle célèbre, me paraissent odieux, et mieux je comprends l'urgence des mesures sévères dont ces trop illustres chevaliers devinrent les victimes. Demandez à cette même philosophie, dont le cœur est si tendre pour les causes malheureuses, si elle a versé autant de larmes sur la destruction d'un ordre, que je puis donner pour autrement précieux à l'Église, celui des enfants de Loyola; non, Dieu merci, jamais de semblables larmes n'ont souillé le désastre, qu'a fait subir à l'Église la pression de monarques et de leur ministres!* Quod deinde prosequitur adducens exempla Blasii Pascal, sacerdotii contempti, encomii sacerdotum aut religiosorum apostatarum, qui ad cœlum evecti sunt istorum laudibus. Hac in re iam præiverat illustris Comes De Maistre, qui incredulorum impiorumque sagacitatem in secernendo bono ut illud insectentur, et malo ad illud suis laudibus promovendum vocavit instinctum et quidem infallibilem.

Digitized by Google

721. Ad 5. D. Si eiusmodi deceptio esset involuntaria ex parte hominum, Tr.; si voluntaria sit et culpabilis, N. Divinæ certe providentiæ ac bonitatis est non permittere nos tentari super id quod possumus, nec per nos stat, ne in eiusmodi tentationes incurramus. Ast si nos ipsi eam deceptionem quærimus, si nos ultro in eam iniicimus, si eam provocamus, nil mirum esse debet, quod Deus eam, salva sua bonitate ac providentia, permittat. Ac reipsa sæculis anteactis mundum pæne universum superstitioni, idololatriæ, dæmonum fraudibus ac laqueis deditum esse permisit; cuius immensæ deceptionis culpa ex parte hominum fuit, qui cupiditatibus suis hac ratione adblandiebantur et interiori gratiæ obsistebant.

722. Ad 6. D. Nisi se invicem malæ eiusmodi artes et cordis depravatio foverent, C.; si mutuo se foveant excitentque, N. Profecto quovis tempore morum depravatio, irreligiositas, incredulitas aliæque eiusmodi pessimæ dispositiones viam straverunt dæmonum fraudibus, eorumdemque familiaritati et commercio, uti universa historia testatur. Numquam enim probi ac pii homines his dæmonum artibus se addixerunt, quin potius iustos constanter dæmones insectati sunt aut per se aut per satellites suos, scilicet homines impios. Dum vero scelesti homines dæmonum se artibus irretiunt, in sua pravitate magis magisque firmantur; de malo in peius quotidie ruunt, donec dæmonum socii perpetuo apud inferos efficiantur.

723. II. Obi. 1. Si causa efficiens est materialis, dici nequit mala aut finaliter ad nocendum ordinata; talis autem aut est aut esse potest causa phænomenorum spiritismi: hæc enim per electricitatem efferri possunt saltem quoad mensarum motum, rotationem, subsultus. 2. Eo vel magis, quod iuxta probatos physicos electricitas, lux, caloricum materialia minime censeri debeant. 3. Verum et hoc dimisso mala profecto censeri non debet causa efficiens, neque ad nocendum ordinata, quæ præclara præbet documenta moralia et religiosa, cuiusmodi sunt, quæ Monachii et alibi passim data sunt. 4. Cum præterea exploratum sit, spiritus se exhibuisse uti defunctorum animas, aut uti angelos ad hominum bonum promovendum, inferri merito potest, saltem non omnes malos fuisse eiusmodi spiritus ac esse, sed identidem saltem bonos se manifestare, adeoque haud posse absolute pronunciari malam esse causam efficientem, de qua loquimur, et ad hominum, multo vero minus ad christianæ religionis perniciem ordinatam. Ergo.

Digitized by Google

724. Resp. ad 1. Neg. min. Ad probat. autem pariter negamus, per electricum fluidum posse rationem reddi phænomenorum spiritismi aut per aliud fluidum quodcumque iuxta ea, quæ sæpius dicta sunt. Ad summum dici posset, prout plerique censent, dæmonem ad se tegendum aut electricitate aut fluido magnetico uti ad phænomena producenda: quod non abnuimus fieri posse. [1])

725. Ad 2. D. Sed immerito, C.; secus, N. Quidquid enim nonnulli physici recentiores effutierint contendentes electricitatem, lucem, atque caloricum esse veluti animam seu principium vitale universi, certum tamen est, fluida quæ imponderabilia audiunt obnoxia esse legibus immutabilibus, vi quarum agunt supra materiam ponderabilem, quæ vicissim pariter agit super illa, ac proinde, quod consequens est, eiusmodi fluida reipsa materialia esse. [2])

726. Ad 3. N. Hæc enim difficultas iamdiu præoccupata est. Præclara siquidem eiusmodi documenta moralia ac religiosa nec fuerunt nec sunt nisi artes, quibus diabolus se ad incautos decipiendos introducit. Hos vero cum semel deceperit a rectaque ratione deduxerit, personam deponit ac se qualis est manifestat, angelum scilicet tenebrarum. Nempe eadem ratione, qua in terrestri paradiso sub serpentis larva protoparentes decepit sub ipsorum boni obtentu, atque in deserto, cum ad dominum tentandum accessit, se commiseratione permotum effinxit, atque inducere eum adnisus est ad convertendum lapidem in panem, deinde vero quis esset et quo tenderet manifestavit: sic nunc ita se gerit ad decipiendos eos, qui suis documentis aurem præbent. [3]) Atque, ut sistamus in revelationibus Monachiensibus,

---

[1]) Nihil enim prohibet, quominus dæmones utantur tamquam instrumentis tum fluido magnetico, tum electrico, tum æthereo etc. ad eumdum modum, quo vim exercent in materiam et corpora quæcumque.

[2]) Hi physici potissimum sunt Growe et Faraday. Cf. Secchi in op. L'unità delle forze fisiche loc. cit.

[3]) Cf. Des Mousseaux Les médiateurs et les moyens de la magie ch. XIV., ubi pag. 272. in nota legitur manifestatio, qua per quemdam energumenum fatetur dæmon, se esse mensarum motorem ad homines decipiendos. Sic enim scribit: *Un jour l' idée vint à quelqu'un de demander au démon qui tourmentait une possédée amenée au saint Curé d'Ars pour être guérie de sa possession: Qui est-ce qui fait tourner les tables? c'est moi, reprit-il; le magnétisme, le somnambulisme est mon affaire.*

Digitized by Google

spiritus malus se in illis multiplici ex capite prodidit, nempe ex doctrina de spiritibus induentibus subtilius corpus post obitum, de illorum progressu ac purificatione per ascensionem iugem de sphærâ in sphæram, ex missione duarum prophetidum ad Ecclesiæ reformationem, præcipue vero cleri superioris pro more reformatorum hæreticorum et philosophorum nonnullorum neotericorum, ex missione mulierum suffecta missioni cleri et virorum generatim, ex appellatione ad Rom. Pontificem et ad Concilium Œcumenicum adversus legitimam archiepiscopi condemnationem aliisque eiusmodi, quæ aliena profecto sunt a spiritu humilitatis, quo viri sancti quovis tempore permoti sunt.[1]) Quoad alias manifestationes nihil est, quod adiiciam iis, quæ circa systema morale ac religiosum spirituum in superioribus articulis disseruimus.

727. Ad 4. D. Spiritus mentiendo sese exhibuerunt uti defunctorum animas et angelos ad hominum bonum, C.; vere et proprie, N. Absque dubio passim spiritus se exhibuerunt uti defunctorum animas præsertim carorum propinquorumque ad eorum solamen, ut sic allicerentur homines ad spiritismi experimenta, sed, prout ostendimus, mentiti sunt fingentes, se esse quod non erant, ac non semel postea coacti tandem id fassi sunt.[2]) Idem dic de angelorum larva, quam spiritus nequam induerunt ad eumdem finem. Ex Borthismo novimus, eiusmodi fictitios angelos non solum se esse Michaelem aut Gabrielem professos esse, verum etiam angelum Urielem, angelum Socratem, angelum Lutherum, et ita porro: atque hos ipsos angelos protestantismum cuiusvis speciei evexisse, catholicam vero Ecclesiam diris devovisse eodem furore, quo etiam-

---

[1]) Vid. Civiltà cattolica III. serie vol. V. pag. 41 seq.

[2]) Cf. Pailloux in dialogo paulo ante allegato inter mensam et mediatorem; pag. 121 ita post citata verba prosequitur mediator: *Mais tu n'a point toujours parlé de la sorte, esprit menteur et jaloux! Tu souffrais, tu prétendais souffrir, tu te donnais pour une âme, et tu parlais comme un enfant de l'Eglise. Tu déstrais nos prières, tu sollicitais le saint sacrifice de la messe pour obtenir la paix et le bonheur. — Eh bien, ne fallait point d'abord parler votre langage?.... Si j'ai menti, je veux dire vrai: Le purgatoire n'est pas. — Et l'enfer? — L'enfer est moins encore! etc.* Hæc aliaque similia, quæ confirmant hactenus dicta, cf. apud Mirville, Questions des esprits. pag. 82 seq.

Digitized by Google

num fanatici sectarii diaboli mancipia facere consueverunt. [1]) Inficiamur propterea, in eiusmodi manifestationibus bonos identidem spiritus agnoscendos esse, sed omnes absque exceptione ulla malos dæmones fuisse et esse ad hominum ecclesiæque perniciem ordinatos, merito affirmamus.

Propositio III.

Mensæ aliaque media, quæ spiritismo inserviunt causæ instrumentales sunt per veram invasionem, obsessionem, aut possessionem dæmonum.

728. Dum mensas aliaque media, quæ spiritismo inserviunt, commemoramus, comprehendere intendimus tripodes etiam, mensulas, calathos et cetera eiusmodi, quæ spiritismi experimentis passim usui sunt; imo et quodam sensu etiam viros ac mulieres, quæ sub mediorum seu mediatorum nomine veniunt, ad obtinenda phænomena.

729. Distinximus porro dæmonum invasionem, obsessionem et possessionem, quia, etsi passim latiori sensu promiscue vocabula hæc usurpentur ad unum idemque significandum, attamen si presse loquamur ex theologorum doctrina hæc nomina varios gradus exprimunt, quibus dæmones in obiecta externa sive animata sive inanimata vim suam seu operationem exerunt. Invasio dæmonis tunc intervenire censetur, quum aliquid vel aliquem vi ac impetu exterius dæmon aggreditur ut suum faciat, impellitque ad id quod intendit, uti turbo cum impellit parietem. Obsessio vero tunc habetur, cum dæmon obiectum aliquod aut personam extrinsecus pariter obsedit, occupat, suamque quadamtenus efficit, non ita tamen ut domicilium suum in ea collocet, sed intret et exeat pro lubito, statutis temporum ac rerum adiunctis iuxta fines sibi propositos. Possessio denique dæmonis tunc intervenit, cum alicuius obiecti, loci, aut personæ pacificam obtinet dominationem per intimam præsentiam suam, qua eam exagitat arripitque prout ipsi libet. [2]) Ex quibus notionibus diabolicæ infestationis patet,

---

[1]) Cf. Annales cathol. de Genève. Mai 1855. art. La table parlante. pag. 44.

[2]) De differentia inter obsessionem, quæ externa est, et possessionem, quæ est interna, apprime disserit Card. Bona in op. egregio De discretione spirituum, præsertim cap. III. IV. XI.

Digitized by Google

obsessionem medium quodammodo locum tenere inter invasionem et possessionem, cuius rei exemplum suppetit in illis Christi verbis, quibus designatur spiritus obsidentis et possidentis agendi ratio: *Cum immundus spiritus exierit de homine ambulat per loca inaquosa, quærens requiem et non inveniens; dicit: revertar in domum meam unde exivi, et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* (Luc. XI. 24—28.) Plerumque tamen, uti animadvertimus, obsessionis et possessionis voces promiscue ad energumenos seu arreptitios, aut dæmoniacos significandos usurpantur.[1]) Quod etiam intelligi debet de rebus aut locis infestis pro diversitate obiectæ materiæ.[2])

730. Jam vero uno alterove modo dæmonem recensitis obiectis aut personis tamquam idoneis instrumentis uti ad phænomena spiritismi elicienda, adeoque causas eas esse instrumentales spiritismi ex parte dæmonum, multiplici ex capite ostenditur.

731. Ac primo respectu obiectorum inanimatorum, cuiusmodi sunt mensæ, mensulæ, tripodes, suppellectiles, a dæmonibus ea invadi ac possideri, patet tum ex spontaneis subsultibus, motibus sine impulsione exteriori aut tactu, translationibus, circuitionibus, rotationibus in varias partes ad imperium ac nutum medii, tum ex spontaneis scriptionibus, vocibus seu

---

et XV. Cf. etiam Bizouard op. cit. Des rapports etc. tom. III. liv. XIII. chap. I.

[1]) Cf. Thyræum in libro de dæmoniacis, inquo dæmonum obsidentium conditio, obsessorum hominum status discutiuntur et explicantur. Coloniæ Agripp. 1594. Hic auctor pro uno eodemque sumit obsessionem et possessionem; atque ut exponat in quo id, quod homines obsidere dæmones dicuntur, consistat, part. I. cap. II. n. 22. scribit: *Ego duo ad hanc* (obsessionem) *necessaria esse dixerim: unum est, ut in hominibus ipsis dæmones sint: alterum, ut etiam potestatem quamdam in eosdem acceperint. Horum si alterum desit, non bene homines a dæmonibus obsideri diximus.* Quæ deinde copiose ac docte exponit. Cf. item Del Rio Disquis. magic. lib. III. q. IV. sect. VII., Bergier Diction. art. Possédé — invasion., Calmet Dissert. De obsidentibus et possidentibus corpora dæmonibus, præmissa Comment. in Evang. S. Lucæ, Scaramelli Direttorio mistico tratt. V. cap. VII. n. 76 seq.

[2]) De quibus cf. Thyræum Loca infesta.

Digitized by Google

responsis, in quibus elucet manifeste agens et intelligens, tum ex phænomenis musicis atque pictoriis, [1]) tum denique ex ignotis linguis, quibus mensæ ceteraque instrumenta exhibent oracula sua. [2]) Jam vero ex dictis evidens est, obiecta eiusmodi materialia ac inanima, utpote passiva ac inertia, haud posse ex seipsis recensita phænomena elicere, planeque repugnare quod elicere possint. Activum igitur agens ac intelligens eadem producat necesse est. Tale porro principium pariter ex constitutis esse nequeunt aut Deus aut angeli, aut defunctorum animæ: consequens igitur est, ut nec sint nec esse possint nisi spiritus nequam seu dæmones.

732. Exploratum insuper est tum ex sacris Bibliis tum ex sacra theologia ac philosophia, spiritum agere in corpora, non quidem in distans, ut loqui mos est, sed solum actuali præsentia, seu coniunctione moventis cum mobili, ut loquitur S. Thomas. Igitur fatendum est, dæmonem mediantibus illis instrumentis operari ac omnia peragere, quæ in historia spiritismi referuntur, quacumque demum ratione illos effectus producat, sive per invasionem, sive per obsessionem, sive per possessionem. Siquidem potest dæmon aut exterius impellere, attollere, movere obiecta illa materialia ac corporea; potest interius illa occupare ad instar principii intrinseci aut animæ, non quidem

---

[1]) Ad picturas nominatim quod attinet, per medium a spiritu affabre effectas, cf. Des Mousseaux La magie etc. pag. 94, qui refert imagines Christi patientis ac B. Virginis ad stuporem ictu temporis delineatas, quas ipsemet suis oculis cum socio Mirville conspexit, et contemplatus est. Sic vero Christi imaginem describit: *Voyez comme ses yeux s'élèvent vers le ciel: voyez quelle divine accentuation dans les grosses larmes, qui triomphent de la force d'âme du Christ, et sillonnent ses joues! Élévation, profondeur, mélanconie céleste; que de choses indicibles dans ce regard! Et dans ce visage, où la délicatesse et la pureté des lignes nous paraissent inimitables, l'expression morale et réligieuse, n'a-t-elle point tout l'idéal du paradis! Mais ce qui nous semble non moins admirable que la beauté même de cette bouche, c'est de voir les traits du Christ se répéter en juste variante dans les traits augustes de sa mère, cette mère aussi semblable à son fils que le permet la délicatesse de visage féminin. Quoi de plus sublime et de plus divin?* Attamen velut inconsiderate aliudque agens, medium eiusmodi imagines depinxit ac pæne sine luce.

[2]) Nempe linguis antiquis et modernis, plane ignotis tum medio tum patienti.

Digitized by Google

per substantialem aliquam unionem, aut corpora informantis, aut eorum partes, sed veluti assistens, illis vel istis ut instrumento organico usurus.[1]) Hac ratione commode omnia explanantur, alioquin inextricabilia omnia prorsus evadunt, quin ulla eiusmodi effectuum ratio reddi possit.

733. Ad medium seu mediatores spiritismi quod attinet, ipsos dæmonis cooperatores esse, et hoc sub respectu totidem causas instrumentales seu ministeriales, quorum scilicet dæmones ministerio utantur ad spiritismi phænomena producenda, extra omnem dubitationis aleam affirmari debet. Non eo tamen ego progredior, ut in animum inducam meum, ipsos totidem esse presso sensu obsessos aut possessos a dæmone, ac proinde omnes prorsus esse arreptitios, quod exaggeratum foret, immo et falsum. Illud unice contendimus, eorum plures dum mediatorum officio funguntur, in suis experimentis plerumque a malo dæmone agi, impelli, ac promoveri, ita ut passivi sæpe evadant sub dæmonis dominatione.

734. His limitibus circumscripta huius theseos parte, ad eius veritatem ostendendam iam accedimus. Ac primo passim constat, plures mediatores a dæmone ad facienda experimenta impelli, ab eoque dirigi, ac instrumentorum seu signorum ope præstigia edere, oracula item ac responsa præbere.[2]) Constat insuper, identidem ipsorum manus ad scribendum non modo dirigi, sed etiam impelli ad ea exaranda, quæ nec ipsi intelligunt. Quandoque etiam ipsi vaticinantur, vocem promunt etiam inviti, seu dæmon per ipsos loquitur, quin interdum postea recordentur eorum, quæ ab ipsis gesta aut prolata sunt. Interius sæpe aguntur a spiritu, prout in energumenis seu arrepti-

---

[1]) Hæc omnia apprime ac distincte evolvit et exponit Thyræus in lib. cit. De dæmoniacis. part. I. cap. II. n. 26 seq., ubi n. 29. animadvertit, in hominibus, quos obsident, dæmones ut motores in corporibus esse quæ movent, ita scilicet, ut nullam corpori hominis qualitatem imprimant, nullum ipsi dent novum esse, nec proprie unum quid cum obsesso homine constituant. Cf. etiam Brugnolius, Manuale exorcistarum. Venet. 1734. part. III. cap. IV. art. 2.

[2]) Hæc signa spectari possunt veluti sacramentalia in substrata materia. Sunt enim veluti signa conventa; vix siquidem ponuntur, et confestim subsequitur effectus. Cf. Del Rio Disquis magic. lib. V. sect. XVI. et alibi, nec non Thyræum De apparitionibus spirituum. tract. I. lib. I. cap. XII.

Digitized by Google

tiis contingere consuevit. [1]) Hæc porro omnia manifeste patefacere eiusmodi mediatores sub dæmonis actione esse, ecquis ambigere poterit, eiusque causas ministeriales, immo vero et instrumentales ad spiritismi phænomena producenda, docilesque mandatarios spirituum invisibilium esse?

735. Accedit, non semel hos ipsos mediatores occultas hominum cogitationes divinasse, quas profecto naturalibus animi viribus cognoscere non potuissent aut possent, cum nobis imperviæ sint; posse autem a dæmone, saltem coniecturaliter, percipi per signa sive vestigia, quibus hæ ipsæ cogitationes in cerebro, seu encephalo imprimuntur, prout docent theologi, S. Thoma præeunte;[2]) ac propterea posse istis manifestari, quibuscum dæmones intime communicant.

736. Atque hæc, ut omittam modum, quem interdum eiusmodi mediatores solent spectatoribus præscribere ut communicent cum spiritibus, præcipue vero conditionem, ut se cum iisdem coniungant, et manus collocent super primum obiectum quod sese offert, atque ita, ut contingant ipsorum manus, item signa extraordinaria proximæ seu instantis præsentiæ aut adventus spirituum etc. Quæ omnia aperte evincunt, in spiritismi phænomenis commercium haberi cum dæmonibus, quorum media instrumenta animata sunt. [3])

737. Nunc si addatur, hæc media seu hos mediatores ægre omnino se posse a spirituum infestatione liberare semel ac se ipsis in famulatum tradidere, neque aliter pervenire ad plenam, ut ita dicam, ab iisdem emancipationem nisi per usum remediorum spiritualium orationis, sacramentorum frequentiæ, sacramentalium, ac demum quandoque exorcismorum: res plane confecta est. Sane cum medium, quod nobilis fœmina erat, comperisset, suppellectiles quibus ipsa utebatur ad experimenta sua vere fuisse a dæmone possessas, volens omnino se abdicare

---

[1]) Cf. De Roys op. cit. pag. 16.

[2]) I. part. q. 57., item q. 117. art. 2. ad 2., in quo S. Doctor secutus est S. Augustinum, qui in lib. De divinatione dæmon. cap. V. scribit, quod dæmones *aliquando hominum dispositiones non solum verbo prolatas, verum etiam sola cogitatione conceptas, cum signa quædam in corpore exprimantur ex animo, tota facilitate perdiscunt.* Hoc ipsum postea latius exponetur.

[3]) Cf. Pailloux pag. 72 seq. nec non pag. 205 seq.

Digitized by Google

ab hoc exercitio, longo tempore vexata a dæmone est, donec ope supernaturali tandem liberata fuit. [1]) Idem aliis contigit ope exorcismorum. [2])

738. Hæc omnia mirifice confirmantur ex universa agendi ratione celebris medii americani Home, qui naturalem, ut ita loquar, dispositionem vel ab infantia ipsa præ se tulit ad spiritismi functiones. Qualitates omnes constitutionis suæ physicæ ac moralis, sensibilitatis singularis, institutionis suæ in secta protestante, ceteraque omnia eius vitæ adiuncta eum ad spiritismum induxerunt. Fama suæ hac in re virtutis universam Americam statuum fœderatorum ac Europam pervasit, et phænomena spiritismi sub ipso et per ipsum patrata præ ceteris excelluerunt. Spiritibus arreptus atque irretitus hanc artem diu exercuit, donec Romam veniens, atque inanitatem eiusmodi artis agnoscens, statuit eam prorsus dimittere atque his operationibus suis valedicere, facti pœnitens. Quare protestantismo eiurato catholicam professus est religionem, promittens, se numquam deinceps eiusmodi arti operam daturum: atque ita a spiritibus qui eum obsidebant, liber evasit. Ast refert Des Mousseaux, quod spiritus eum derelinquentes suum ad eum reditum denunciarint ad diem 10. Februarii anni 1857. Et reipsa denunciationis veritatem eventus comprobavit. Siquidem Lutetiam Parisiorum reversus atque sollicitudini et curæ P. Ravignan S. J. commendatus, aliquando se abstinuit a suis experimentis, donec sive vanitate victus, sive tentatione, sive amicorum consilio permotus, canis ad vomitum reversus est, ac spirituum iterum se dominationi subiecit. [3])

---

[1]) Cf. De Roys op. cit. pag. 56 seq.

[2]) Ibid. p. 59.

[3]) Univeram singularis viri huius historiam a suis initiis una cum prædispositionibus naturalibus ad idoneum aptumque medium evadendum, prima item specimina, quæ ipse exhibuit, refert Des Mousseaux in op. cit. La magie au XIX. siècle. ch. I. pag. 20 seq. Épisode préparatoire, qui ex ipsius Homii libro, anecdota, quæ collegit, excerpsit. Jam vero in hoc libello inscripto: Révélations sur ma vie surnaturelle par Daniel Dunglas Home. Paris 1863. scribit de se, quod natus sit Edimburgi in Scotia a parentibus iamdiu secunda intuitione, quam vocant, præditis, atque inter cetera ait: *Cette faculté d'ailleurs était originelle à la mère de M. Home, qui ne connaissait point à fond l'histoire de tous ses ascendants, se rappelait au moins que son grand'oncle Urequart et son oncle Mac-Kensie étaient également des voyants doués de la seconde vue.*

Digitized by Google

739. Ex quibus omnibus aliisque non paucis, quæ afferre possem, luculenter patet, tum mensas atque obiecta reliqua spiritismi phænomenis inservientia totidem esse instrumentales causas spiritismi per veram dæmonum invasionem, obsessionem et possessionem, tum personas agentes uti media seu mediatores esse præterea causas ministeriales malorum spirituum, sub quorum influxu ac dominatione versantur dum experimentis spiriticis dant operam, prout a nobis constitutum est.

Difficultates.

740. I. Obi. 1. Si ita esset, nos revocaremur ad magiam, ad sortilegia, maleficia anteactorum sæculorum, quod vel suspicari sæc. XIX. nefas est. 2. Scientia, quæ in continuo est progressu, non amplius patitur eiusmodi incantationes et sortilegia, atque omnia iuxta sua principia ad phænomena naturalia reducit. 3. Alioquin deberemus inquisitionis tribunalia restituere, ac rogos accendere ad comburendos magos et sagas. 4. Sane si ad medium constituendum prærequiruntur dotes naturales constitutionis delicatæ, valetudinis exiguæ, exquisitæque sensibilitatis, vivacioris imaginationis, quibus accedant ad muliebrem constitutionem, profecto patet, mensarum mysteria haud prætergredi effectus naturales, quin necesse sit ad dæmonum invasionem aut obsessionem dominationemque recurrere, ut illi obtineantur. 6. Tantum abest, ut spiritismus tamquam diaboli obiecta aut homines invadentis operatio haberi debeat, ut potius religioni inserviat; ex quo enim cœpit, materialistæ spirituum existentiæ credere non abnuerunt, et dæmonis ipsius realitati, qui prius uti mythus habebatur; rationalistæ vero admiserunt facta supernaturalia. Hi porro primi sunt ad fidem christianam gressus, ac reipsa non pauci spiritismi apparitione ex incredulis fideles effecti sunt. 7. Demum non parum utilitatis societas ipsa civilis ex spiritismo derivat, cuiusmodi sunt secreti magni momenti revelatio, periculi alicuius imminentis detectio, morbi scientiæ impervii curatio, pravæ interioris dispositionis manifestatio, aliaque non pauca exinde emolumenta provenerunt

---

Idem Des Mousseaux ibid. cap. IX. refert historiam alterius celebris medii, nempe Bagozzoni Bergomensis, qui ex abbate factus est incredulus, ac universam pæne Europam peragravit, ut experimenta spiritismi exhiberet, quique confessus est, se ad id indiguisse invocatione spirituum. Cf. etiam Pailloux op. cit. p. 221 seq.

Digitized by Google

atque proveniunt. Quæ quidem dæmonum infestationi adscribi nullatenus possunt. [1])

741. Resp. ad 1. Ita prorsus. Etsi enim sæculo XIX. nomina magiæ, sortilegii, necromantiæ, maleficii abolita sint, res tamen per voces illas significatæ non minus vigent hoc sæculo, quam viguerint sæculis anteactis. Discrimina si qua notantur, accidentalia sunt, sive nempe circa apparatus diversos ad phænomena spiritismi ac magnetismi mirabilia producenda, sive circa phænomena ipsa; attamen quoad rem ipsam hæc perinde se habet tum ætate pagnanismi inter infideles, tum medio ævo inter christianos, tum ætate hac nostra, prout paulo post seu capite insequenti expendemus. Sane si magiæ voce generatim venit ars producendi effectus mirabiles per causas occultas, [2]) tales cum sint hodiernæ operationes et effectus, qui obtinentur ex spiritismo, nihil vetat, quominus in his veram magiam agnoscamus. Ne quis vero existimet, nos per iniuriam tum magnetismi tum spiritismi cultoribus hæc imponere, minime abnuimus, præcipuorum istorum declarationem et confessionem in medium afferre. Cahaguet, unus ex istis, in suo tractatu de magnetismo: *Parum,* inquit, *mea interest, quod aliquis necromantius indus aut ægyptius potestate fruatur evocandi umbras, fascinandi integram communitatem, medendi alicui morbo aut eum excitandi .... Numquid ego eadem non fruor potestate ope somnambulismi, evocandi mortuos, aliaque omnia peragendi?* [3]) Sic Du-Potet: *Magnetismus,* inquit, *est magia;* qui præterea adiicit: *magia fundata est super existentia mundi mixti extra nos*

---

[1]) Ita apud Matignon op. cit. Les morts et les vivants. pag. 82., 97. seq.

[2]) Cuius species sunt lamiæ, incantationes, necromantia, divinatio, auguria, haruspicia, maleficia, fascinatio, sortilegium, philtra, veneficium etc. Cf. Del Rio Disquis. mag. lib. I. cap. II. De magiæ definitione, divisione, et magorum variis appellationibus.

[3]) *Que m'importe,* scribit, *que tel necromantien indien ou egyptien ait le pouvoir d'évoquer les ombres, de fasciner une assemblée entière, guérir telle maladie, ou la faire naître .... N'ai je pas moi-même le pouvoir, par le somnambulisme, d'évoquer les morts? N'ai-je pas le pouvoir par de simples attouchements magnétiques de guérir les malades, et mille et un moyens de produire des effets bienfaisants et malfaisants? .... Le magnétisme ne rajeunit-il pas nos organes affaiblis? Ne posséde-t-il pas cent remèdes etc.?* Apud Pailloux op. cit. pag. 231 seq.

Digitized by Google

positi, et cum quo nos possumus communicare mediantibus nonnullis determinatis processibus et actibus; [1]) et ita porro. Ast quod olim aperte dicebatur dæmon, nunc temporis fluidum magneticum aut nerveum vocatur; ast dæmon acti temporis est fluidum hodiernum. Ubi igitur idem principium est, eademque sunt instrumenta, iidemque effectus, plena rei identitas agnosci necessario debet, licet nomina immutentur, prout accidit in casu nostro. [2])

742. Ad 2. Neg. Breviter autem nos ab hac difficultate extricabimus, cum quæ de ea paulo ante satis a nobis dicta sunt, huc pariter revocari possint. Siquidem scientia nihil hactenus protulit, quod valeat vel probabilem aut apparentem solutionem præbere eorum omnium, quæ per spiritismum producuntur, vel ipsis fatentibus præclarioribus doctis sive in scientia physica sive medica. [3])

743. Ad 3. Negamus eiusmodi sequelam, cum alia tempora, aliique usus diversam postulent procedendi rationem. Ceterum nonnisi exquisita malitia soli inquisitioni exclusive imputatur, quod ubique gentium præteritis temporibus iuxta codicum civilium leges obtinebat circa processus et pœnas hariolis, magis sagisve inflictas. Notoria res est, longe severiora fuisse penes protestantes et frequentiora supplicia sagarum ac maleficorum, quam apud catholicos. Exemplo sit Anglia post eius schisma: iuxta Barrington, numerus eorum, qui ea de causa morti dati sunt vi statuti XX. Henrici VIII. usque ad eiusdem abolitionem an. 1736., ascendit non minus quam ad triginta millia, quot nempe acriores inquisitionis hostes enumerare non potuerunt in tota Europa et America. Post obitum Caroli I. ab anglicano conventu missus est in Scotiam quidam Opkius ad hoc crimen insectandum; testatur vero Grey spatio unius quinquennii tria hominum millia interfecta fuisse, prout contigit in Svetia, Dania, atque Germania septentrionali, vigente protestantismo, cum

---

[1]) *Le magnétisme est la magie ... La magie est basée sur l' existence d'un monde mixte, placé en dehors de nous et avec lequel nous pouvons entrer en communication par l'emploi de certains procédés et de certaines pratiques.* Ibid. pag. 236.

[2]) Cf. Gœrres La mystique, deuxième édit. Paris 1862. tom. V. La magie diabolique liv. VIII. Magie et sorcellerie §. I seq. Item Des Mousseaux in magie au XIX. siècle. chap. VI. pag. 232 et in op. Les médiateurs chap. I. pag. 5 seq.

[3]) Cf. Des Mousseaux ibid.

Digitized by Google

nonnisi paucissimi eodem tempore in Galliis, Italia, Hispania, et australi Germaniæ parte fuerint mulctati. [1]) Omnium primus contra sagarum et hariolorum processus illius ætatis vocem extulit P. Spee Soc. Jesu, et quidem felici successu: ex eo enim tempore pedetentim ubique locorum rogi extincti sunt, ac processus interrupti. [2])

744. Ad 4. D. Et eiusmodi naturales dotes a dæmone prærequiruntur in medio, tum ut facilius decipiat occultando seipsum, tum quia instrumenta magis idonea sunt, C.; prærequiruntur ut causæ naturales ad effectus naturales producendos, N. Etenim æque posset dæmon se hominibus robustis ac validis communicare, illisque perinde uti ad finem suum, ac exilis constitutionis viris ac fœminis, ut patet ex energumenis cuiusvis conditionis, quos invadit, et arripit; præfert nihilominus debiliores ac descriptis dotibus præditos ob peculiares rationes. Nempe ita facilius se occultat utendo hominibus magis idoneis impressioni, ut aiunt, fluidi, et sic producit effectus, qui videntur naturales, atque ut tales saltem existimari possent. Insuper ægre viri robusti, bellicosi, agricolæ, negotiatores se eiusmodi subiicerent experimentis, quæ ipsorum indoli repugnant; atque idem dic de virginibus solidæ pietati addictis, gravibus matronis, aliisque eiusmodi. [3])

745. Ad 5. D. Nonnulli iique paucissimi sive rationalistæ sive materialistæ sive increduli ex apparitione spiritismi a suis theoriis desciverunt, Tr.; plerique, N. Exiguus sane numerus eorum est, qui se ad meliora sensa, atque ad meliorem frugem

---

[1]) Cf. De Roys op. cit. pag. 42, Gœrres tom. V. chap. 45. op. cit.

[2]) Ibid. Nec non Tartarotti Il congresso notturno delle Lammie. Introduzione pag. XXIX. Heic obiter advertenda est agendi ratio protestantium in accusationibus catholicorum. Ipsi non minus difficiles atque intolerantes fuerunt, immo multo magis quam extiterint catholici seculis anteactis; non minus ipsorum codices, quam codices catholicorum legibus severissimis adversus sagas, maleficos, magos animadverterunt; homines multo maiori numero, fatentibus ipsorum scriptoribus, nominatim vero Sprengel in Hist. medicinæ, hac de causa suppliciis horribilibus affecerunt. Postquam vero ope præsertim catholicorum, hæc ubique cessarunt, ipsi non desinunt incusare catholicos crudelitatis ac intolerantiæ, perinde ac si hi soli exclusive ita se gessissent. Sed quid agas cum hominibus malæ fidei, qui odio in religionem catholicam adeo æstuant ac permoventur?

[3]) Cf. Pailloux op. cit. pag. 71 seq.

Digitized by Google

ob spiritismum se receperint; immo et addo, hos ipsos ut plurimum æquivoce, ut ita dicam, se christianos exhibuisse aut exhibere. Qui ab Ecclesia veram doctrinam non hauriunt, sed a spiritismi nugis revocati sunt, vix aut ne vix quidem se germanos fideles præbent. Neque enim Deus spiritismum, sed Ecclesiam suam in fide ac moribus magistram constituit. [1])

746. Ad 6. vel N. vel D. Societas non parum utilitatis ex spiritismo derivat una cum longe maiori detrimento, Tr.; sine hoc, N. Dato enim, quod aliquot emolumenta, sane nec talia nec tanta quemadmodum obiicitur, ex spiritismo proveniant, ratio tamen etiam habenda est innumerorum prope malorum, quæ ex eodem fonte scaturiunt, quæque spiritismi fautores callide dissimulant. Talia sunt spirituum mendacia, quæ integræ proximi famæ nocent, morbi non iam depulsi, sed deteriores effecti donec ægroti in mortem inciderint, discordiæ, dissidia, mortalia odia exinde parta. [2]) Quapropter si universim admitterentur spiritismi oracula, societas vix non dissolveretur.

---

[1]) Cf. Matignon op. cit. Les morts et les vivants. pag. 89. Similis nempe est eiusmodi hominum conversio conversioni epicurei Horatii, dum libr. III. od. V. canebat: *Cælo tonantem credidimus Jovem regnare.* Bayle de hoc prodigio disserens, quod Horatium convertit, inquit: *Que ce miracle n'en vaut pas la peine puisque d'epicurien il devenait idolâtre.* Satanas nihil in hac conversione amisit.

[2]) Ibid. pag. 97. Placet heic verba exscribere, quibus damna ex spiritismo provenientia præclarus hic auctor commemorat: *Vous parlez*, inquit, *de guérisons obtenues par ce moyen; je veux bien qu'il y en ait eu quelques-unes; mais vous ne parlez pas des cas où, sur la foi des esprits, on prendra peut-être les maladies à rebours jusqu' à ce que la mort s'ensuive. Vous dites qu'il nous met entre les mains un moyen de connaître les sentiments intérieurs des étrangers et de nos proches. Oh! Monsieur, quel instrument dangereux! Quelle arme à deux tranchants! Et qu'il est à craindre, qu'elle ne nous blesse! Voyez comme elle s'en va porter le ravage dans les affections les plus saintes et les plus pures. Un ami, je suppose, conçoit une doute sur la fidélité de son ami; il s'en va consulter des esprits, lesquels à tort ou à raison l'affermissent dans ses craintes; voilà deux cœurs séparés à jamais. Chose plus triste encore! Un soupçon traverse l'imagination d' un époux; il interroge une table, ou un medium, et aussitôt le mystérieux interlocuteur lui jette un oui fatal. Ne frémissez-vous pas à la seule pensée des maux, que va causer cette terrible réponse? Ainsi la division entre ceux qui s'ai-*

Digitized by Google

747. Ad 7. N. Nam quod de his dictum est extendi pariter debet ad emolumenta, quæ ad honestatem morum ex spirituum revelationibus provenire deprædicant spiritismi patroni, quin diutius in his immoremur. Nam et hæc coniungi debent cum longe pluribus inhonestis plane atque obscœnis doctrinis, quæ ex mensis seu mediis effutiuntur, ut prætereamus impietates evertentes totam revelatam religionem, atque Ecclesiam catholicam præcipue, de quibus superius verba fecimus.

Propositio IV.

Nemo prudens ac sciens potest absque piaculo frequentare, probare ac fovere spiritismi experimenta, vel etiam præsentia sua cohonestare.

748. Hæc propositio non est nisi eorum, quæ hactenus præmissa sunt, legitimum ac logicum consectarium. Etenim si ex iis quæ ostendimus constat, efficientem phænomenorum spiritismi causam esse præternaturalem, eamque intelligentem ac malam, atque ad nocendum hominibus, præsertim vero in christianæ religionis perniciem tamquam in finem illi propositum ordinatam; si insuper constat, mensas aliaque media, quæ spiritismo inserviunt, causas esse instrumentales ac ministeriales per veram dæmonum invasionem, obsessionem possessionemque: profecto alveo prono fluit, neminem christianorum qui sciens ac prudens sit, posse absque piaculo frequentare, probare, fovereque spiritismi experimenta, vel etiam præsentia sua cohonestare.

---

maient, la désunion dans les familles, des calomnies odieuses, des haines implacables. Voilà quels pourront être et quels ont été trop souvent les fruits de ces conversations avec un autre monde. Je ne crains pas d'avancer que si le spiritisme obtenait universellement créance, il serait un des dangers les plus sérieux qui puissent menacer l'ordre social. Sane paucis abhinc annis quidam Americanus exhæredavit septem, quos a defuncta uxore genuerat, liberos ob revelationem cuiusdam spiritus qui eos ex adulterio natos affirmavit; vere autem aut falso id spiritum asseruisse, Deus solus novit. Interim disce, quot damna exinde proveniant in societatem. Cf. Bizouard op. cit. tom. VI. liv. XXX. chap. IV. §. Danger de ses opérations. pag. 156, ubi plura affert eiusmodi exempla de damnis per spiritismum illatis.

Digitized by Google

749. Ne quis vero in animum inducat suum, nos velle omnes indiscriminatim eiusdem noxæ reos facere, seu in eodem reitatis gradu culpabiles affirmare, quotquot spiritismi experimentis dant operam vel iisdem assistunt. Talis profecto mens nostra non est. Operæ idcirco pretium ducimus, antequam assertæ propositionis veritatem adstruamus, nonnulla maioris claritatis gratia præmittere, quæ dicendis facem præbeant, illas voces prudens ac sciens explanando, quibus thesim nostram enunciavimus.

750. Itaque diximus 1°: Nemo prudens ac sciens, ut indicaremus, a censu eorum, qui gravis culpæ se reos constituunt, eos excipi, qui vel ex ignorantia, vel ex quadam animi levitate aut curiositate iocandique causa mensis manus suas apponunt, ut in gyrum moveant, aut eiusmodi experimento assistunt. Patefacimus, nos eos pariter excipere, qui ex animi simplicitate, atque, ut aiunt, bona fide nihil mali suspicantes his ipsis experimentis dant operam. Multo vero magis illos a quavis reitate immunes dicimus, qui iusta de causa ex præsulum iussu ad ea se conferunt, ut quæ in ipsis geruntur et eveniunt possint cognoscere et sic certiores facere ecclesiasticam præcipue auctoritatem, ut fideles ab illis amoveant.

751. Quapropter 2° formula prudens ac sciens illos significamus, qui in mysteria spiritismi intendunt eo fine, ut aut per se immediate, aut per medium, seu mediatorem mensas interrogent, seu potius spiritus, atque ab iis sciscitentur res occultas, futuras, impervias; item quæ ad religionem et ad statum futuræ vitæ spectant. Eos præterea significamus, qui sermones cum spiritibus miscent, dialogos instituunt, cum iis iocantur ac ludunt, nullo honesto fine sibi proposito atque, ut verbo dicam, illos omnes complectimur, qui formalem spiritismum consectantur in suo phænomenorum complexu.

752. Demum 3° eas omnes præsertim significamus personas, quæ medii munus suscipiunt et exercent sive in proprium sive in aliorum commodum, nempe ad obtinenda spiritismi phænomena sub quocumque obtentu utilitatis propriæ aut alienæ.

753. Quibus ita compositis, operosum iam non erit assertæ propositionis veritatem vindicare. Quod ut efficiamus, hoc instituimus argumentum: Absque piaculo nemo potest cum dæmone commercium inire, animæ detrimentis se obiicere, atque æterni interitus evidenti se periculo exponere, aut etiam hæc

Digitized by Google

ipsa probare, fovere, ac præsentia sua cohonestare. Atqui talis est omnis, qui sciens et prudens frequentat, probat fovetque spiritismi experimenta, aut etiam qui ea præsentia sua cohonestat. Ergo. Sic vero per partes singula propositi argumenti incisa adstruimus.

754. Quod ad maiorem spectat, in ea nulla esse potest difficultas, utpote quæ sua veritate fulgeat. Ecquis enim inficias ibit, absque culpa quempiam posse aut cum dæmone, Dei atque humani generis hoste inire commercium, aut se animæ detrimentis objicere, aut æterni exitii periculo se exponere? Ecquis item negaverit, peccati se complicem constituere eum, qui hæc ipsa probare, fovere atque præsentia sua cohonestare ausus fuerit, cum hæc agendi ratio valde conferat ad illa magis ac magis executioni mandanda?

755. Reliquum est igitur, ut probemus in spiritismi usu ac praxi ea reperiri quæ recensuimus; ac primo quidem cum dæmone commercium. Jam vero ex demonstratis in præcedentibus propositionibus, spiritismus in toto suo complexu spectatus aliud non est nisi fraus a dæmone structa ad homines alliciendos, capiendos perdendosque. In hunc finem omnia disponit, tum nempe illecebras illas cognitionis et prænunciationis rerum futurarum aut abditarum, quibus homines summopere inhiant; tum fictionem animarum, seu potius spirituum defunctorum,[1]) quorum personam fallaciter induit, ut credulos decipiat

[1]) Animadversione illud dignum est, quod aut numquam aut fere numquam spiritistæ loquantur de animabus, sed constanter de spiritibus, fac patris aut matris, filii aut filiæ defunctorum. Sane animæ vox numquam fere occurrit in tot experimentis ac in tanta spiritismi varietate, in tot dialogis qui instituuntur, sed unice agitur de spiritu alicuius. Ceterum, ut vidimus ex S. Thoma, animæ separatæ nihil agere possunt in corpora, quæcumque sint, saltem virtute propria, aut in alios spiritus. Præterea S. Augustinus in op. De civit. Dei. lib. X. cap. II. scribit: *Simulant (dæmones) deos et animas defunctorum.* Rutenius Rusca, theologus Mediolanensis, qui hortatu Card. Friderici Borromæi præclarum edidit opus De inferno et statu dæmonum ante mundi exitium. Mediol. 1671. lib. I. cap. 24. pag. 119: *Quoad animas vero,* inquit, *quamvis fallant, sæpe dæmones earum simulacra mentientes.* Petrus vero Thyræus in op. Loca infesta. Lugduni 1599. part. I. pag. 54 seq. de dæmonibus scribit: *Nunc in angelos lucis se transformant spiritus nequam, nunc Dei simulant personam, nunc sanctorum hominum ... et qui horum possunt personam effingere atque dissimulare, non*

Digitized by Google

sive parentes sive amicos; tum angelorum, Deiparæ et Christi ipsius apparitionem illusoriam, nec non orthodoxam interdum doctrinam sermonesque ac adhortationes ad pietatem fovendam compositas fingit aliaque eiusmodi pæne innumera, quæ longum nimis foret velle singillatim recensere. Cum vero eiusmodi fraudibus homines illexerit, tunc aperte, deposita larva, quis reipsa sit, sine ambage patefacit cum ipsis communicat pravas doctrinas, immo vero et impias promit, et ad omne nefas impellit.

756. Sed quid dicendum de mediis seu intermediis, qui dæmoni inserviunt ad fraudes suas struendas? Hi enim domestici eius sunt ac familiares, eius organa per quæ et agit et loquitur, scribit, pingit, concentus musicos edit, ac veluti præcones adhibet et tamquam viva mirabilium, seu verius, præstigiorum suorum instrumenta; quos propterea, in hoc saltem exercitio, invadit obseditque. Hæc porro omnia commercium profecto cum malo dæmone patefaciunt scelestissimum, a naturali non minus quam a divina lege prohibitum. Huc enim referuntur, quæ in scripturis legimus de maleficis, de habentibus spiritum pythonis et de divinis, qui omnes morte mulctari ex legis præscripto debebant. Sic Exodi XXII. 18. legitur: *Maleficos non patieris vivere.* Item Deut. XVIII. 10—12.: *Non inveniatur in te... qui hariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem: omnia hæc abominatur Dominus.*[1]) De ecclesiastica autem lege nihil attinet dicere post celeberrimam Sixti V. Constitutionem: Cœli et terræ creator, in qua omnes eiusmodi magiæ aut maleficii species damnantur, ac severissime prohibentur.

757. Animæ vero detrimentis se obiicere eos qui spiritismi experimentis dant operam, prout secundo loco constituimus, multiplici ex capite patefit. Nam præter peccatum huic praxi seu usui inhærens, ut modo diximus, facile est irretiri dæmonis fraudibus, ita ut qui spiritismo indulgent, non solum omnem pietatis et christianæ vitæ sensum amittant, verum etiam superstitionis artibus se implicent, atque abduci patiantur a sacramentorum usu, et cordis duritiam induant, et, quod caput

---

poterunt spirituum vel purgandorum, vel damnatorum hominum? Cf. etiam Del Rio op. cit. Disquis. magic. lib. II. q. 6.

[1]) Cf. Cornel. a Lapide et Calmet in hæc loca.

Digitized by Google

est, pedetentim ad indifferentiam in religionis negotio profitendam inducantur, quin etiam in apertam incredulitatem atque impietatem labantur, prout tristissima experientia in non paucis contigisse lugemus. Facile enim est aurem spiritibus præbere, dum ea effutiunt per mensas, quæ fidei contraria sunt, inficianturque pœnarum æternarum infernique existentiam, omniumque scelestissimorum salutem prædicant per nescio quam diversorum graduum purgationem, aut ridiculam absurdamque metempsychosim, donec perveniant ad optatam beatitudinem; [1]) dum omne denegant boni malique moralis discrimen; dum religiones omnes indiscriminatim ceu inutiles traducunt. [2]) Quæ quidem omnia cum vehementer adblandiantur cupiditatibus atque illi, quæ nobis insita est, naturæ corruptioni, incredibile est, quantam vim exerant in hominibus prave dispositis ad habenas vitiis omnibus laxandas. Jam vero nemo est qui non videat, ex his animæ detrimenta sub quovis respectu ingentia ac damna maxima provenire. [3])

---

[1]) Cf. Pailloux op. cit. Le magnétisme pag. 214 seq., ubi testimonio Kardec, Home aliorumque ostendit, spiritus tum ad deismum, tum ad protestantismum, tum denique ad paganismum suis doctrinis inducere.

[2]) Cf. Des Mousseaux Mœurs et pratiques des démons p. 394, qui ad hæc confirmanda appellat ad insequentia opera, quæ in America septentrionali vulgata sunt, nempe ad periodicum: New-Era or Heaven opened to man. August. 24. Boston 1853. — Journal, the spititual Univers. — The spiritual Univers is designed to le a medium for the dissemination of the Spirit of divine humanity.... Wich, amidst the changes and revelations of society, inspire the hope of a better day, wenn the ideal Christianitis may become actual, and Menking become united in an Universal brotherhood; et alia non pauca.

[3]) Infinitus essem, si vellem omnia quæ huc referuntur colligere respectu immoralitatis, quæ a spiritibus fovetur ac aperte traditur. Satis propterea sit speciminis ergo nonnulla referre, quæ habentur in libro Alphousi Cahaguet: Arcanes de la vie future 1848. Ibi dialogus cuiusdam spiritus evocati continetur, in quo legitur: *Où va-t-elle (l'âme) après sa séparation du corps? — Dans les lieux célestes. — Qu'y fait-elle, boit-elle, mange-t-elle? — Elle y satisfait ses affections. — Y a-t-il des lieux bons ou mauvais? — Oui. — Les mauvais lieux sont-ils ce que les Chrétiens nomment enfer? — Oui. — Y brûle-t-on, comme ils le disent? — Ils disent ce qu'ils ne croient pas. — Alors que fait-on dans ces mauvais lieux; y souffre-t-on? — On y sa-*

Digitized by Google

758. Quodque consequens est: qui spiritismum sectatur, fieri nequit, quin aperto æterni exitii incurrendi periculo se exponat, immo et eo se coniiciat, unde pedem retrahere vix aut ne vix quidem datum est. Sic enim diabolus laqueis suis eos devincit, ut se ab ipsis extricare nullo modo valeant. Ex quo spiritismus longe lateque per Americam et Europam diffusus est, quotidie numerus suicidarum et amentium excrevit.[1]) Plures a dæmone obsessi sunt ac possessi.[2]) Ipsemet dæmon in his experimentis fassus est, se ideo spiritismi adstipulatores mente captivare, ut eos tandem aliquando secum apud inferos socios habeat.[3]) Nullum igitur dubium subesse potest de evidenti istorum sempiterno exitio, cum valde difficilis sit istorum conversio ac moraliter impossibilis, prout experientia docet.

759. Verum non solum se peccato illaqueant, qui se spiritismo addicunt, ut hactenus ostendimus, sed præterea a culpa non vacant, qui data opera positive probant foventque spiritismi experimenta, eaque præsentia sua cohonestant. Etenim ex Apostolo non solum rei habendi sunt, qui opera mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;[4]) consentiunt porro quotquot editis scriptis eiusmodi experimentis patrocinantur aut etiam qui viva voce sermonibus suis iisdem plaudunt, ac ceteros ad ea invitant. Consentiunt item, qui suo exemplo alios alli-

---

tisfait ses affections, l'on s'y trouve heureux etc. Et in evocatione famosi Swedemborgii ibid. inter cetera hæc in compendio leguntur: *On s'égare, on se promène dans un paradis sous forme des champs Elyséens. On y contemple des bienheureux qui consument leur temps en faits gastronomiques, des femmes qui amusent leurs loisirs aux raffinements de la coquetterie, des savants ou des ignorants qui se livrent à mille variétés d'études, et, qui le croirait? jusqu'à l'étude des langues! Jouissons, jouissons toujours etc.* Cf. Des Mousseaux: Mœurs et pratiques des démons. chap. XXIII. pag. 280 seq. Qui, cum hæc aliaque in compendium redegisset, merito concludit: *Voilà quelle est la devise et la réligion des esprits; l'analyse peut, à juste titre l'appeler la réligion des scélerats.* Cum eodem conveniunt quotquot de hac religione spirituum eorumque immorali doctrina scripserunt.

[1]) Cf. eumdem in op. La magie au XIX. siècle. ch. XIII. p. 360 et p. 368; nec non De Roys Vérité sur le spiritisme.

[2]) Cf. Des Mousseaux Mœurs et pratiques des démons. ch. XV. Les mediums.

[3]) Cuius rei paulo ante luculentissimum exemplum attulimus.

[4]) Rom. I. 32.

Digitized by Google

ciunt, atque præsentia sua spiritismum fovent animum addentes iis, qui, conscientia propria reluctante, verentur eiusmodi spectaculis assistere ac periculo iis assentiendi se exponere. Quocirca qui ita se gerunt complices censendi sunt peccati eorum, qui sinunt se adduci ad ea peragenda ac frequentanda ob illorum incitamentum.

760. Concludamus igitur necesse est, quod reipsa nemo prudens et sciens possit absque piaculo frequentare, probare ac fovere spiritismi experimenta, vel etiam præsentia sua cohonestare, prout in enunciatione theseos nostræ constituimus.

Difficultates.

761. I. Obi. 1. Si certum esset, experimenta spiritismi in acceptis referenda esse spiritibus malis seu dæmonibus, profecto absque piaculo nemo posset ea frequentare ac in usum deducere; ast id incertum est, nec nisi coniecturis plus minusve probabilibus eiusmodi assertio innititur. 2. Crudelitatem præterea sapit peccati reos damnare, qui solatium quærunt a conversatione carorum, filii aut filiæ aut sponsæ acerbo funere sublatorum, prout plerique faciunt qui spiritismo dant operam. 3. Multo vero minus rei censeri debent qui ideo spiritismi experimentis assistunt, ut supernaturali ordini credant, ac pia documenta exinde hauriant. 4. Præsertim si consonantia appareat inter christianæ religionis, et spiritismi doctrinas, prout passim reperitur. 5. Quum vero ex Christo ipso satanæ regnum a semetipso divisum non sit, fieri nequit, ut a dæmone originem habeant communicationes spirituum, a quibus commendantur doctrinæ divinitus revelatæ fidemque christianam non semel promovent atque in animis confirmant. Ergo.

762. Resp. ad 1. Negamus prorsus, incertum esse dæmoni necne debeant spiritismi experimenta seu phænomena adscribi, præcipue vero, si in suo complexu spectentur. Nam nihil exploratius, sive eorum originem, sive progressum, sive naturam expendamus, ea a dæmone esse omnino repetenda, uti superius ostendimus. Siquidem in hoc efficiendo, non coniecturis magis minusve probabilibus, uti adversarii autumant, innitimur, sed factis luculentissimis ab adversariis ipsis admissis, immo et testatis ac propugnatis, saltem sub ratione spirituum. Ex istorum porro operationibus, responsis, documentis, quandoque etiam

Digitized by Google

apertis confessionibus deprehendimus, eiusmodi spiritus non esse nisi malos, ac propterea vere ac proprie dæmones. [1])

763. Ad 2. D. Plerique eorum qui spiritismo indulgent solatium quærunt a conversatione carorum imprudens et fallax, C.; verum ac solidum, N. Isti enim non animadvertunt, quod, dum putant se vere conversari cum animabus carorum, reipsa conversantur cum diabolo, qui eos decipit. Siquidem sæpe, ut animadvertit Angelicus post S. Joannem Chrysostomum et S. Augustinum, dæmones fingunt se animas defunctorum, ut facilius homines decipiant. [2]) Nulla certa ratio suppetit ad has fictiones detegendas; ac si quid certum est, illud unicum est, quod certe nequeant animæ per superstitiosas operationes evocari, ac proinde si quæ evocentur per mensas, istæ non sunt animæ putandæ, sed diaboli fictiones.

764. Ad 3. Neg. Hoc enim ipso quod experimentis spiritismi eiusmodi homines assistant ut credant supernaturalis ordinis existentiam, se reos ostendunt infidelitatis. Neque enim a diabolo aut a spiritibus defunctorum perdiscenda est ordinis supernaturalis existentia, sed a divina revelatione ac doctrina fidei, seu ab auctoritate Ecclesiæ. Alioquin numquam eiusmodi cognitionem fidem vocaveris theologicam, quæ conferat ad salutem; sed scientiam mere naturalem, nulliusque apud Deum valoris. Quod vero attinet ad pia documenta, hæc a libris sanctis ac piorum hominum institutione, ab Ecclesiæ doctrina haurienda sunt, minime vero a superstitiosis usibus.

---

[1]) Sane id fassus est spiritismi hierophanta pseudonymus Allan Kardec, qui in op. Le livre des esprits hæc habet: *Un fait démontré par l'observation et confirmé par les esprits eux-mêmes, c'est que les esprits inférieurs empruntent souvent des noms connus et révérés .... La doute existe parmi certains adéptes très fervents de la doctrine spirite, ils admettent l'intervention et la manifestation des esprits, mais ils se demandent quel contrôle on peut avoir de leur identité.* Et in alio op. Le livre des médiums. 2. edit. pag. 362: *La question,* inquit, *de l'identité est une des plus controversées, c'est qu'en effet les esprits ne nous apportent pas un acte de notoriété, et l'on sait avec quelle facilité certains d'entre eux prennent des noms d'emprunt, aussi après l'obsession est-ce une des plus grandes difficultés du spiritisme pratique.*

[2]) S. Thomæ verba paulo ante attulimus.

Digitized by Google

765. Ad 4. N.: tum quia eiusmodi cognitio de consonantia doctrinæ fidei cum doctrina spiritismi ex eadem infidelitatis radice oritur, perinde ac si fidei veritates indigerent spirituum confirmatione; tum quia doctrinis veris per spiritismum consueverunt plures doctrinæ falsæ, quandoque etiam absurdæ et impiæ totum christianismum evertentes, ut vidimus, permisceri. Quo in casu istorum hominum fides, si quam habuerint, plane labefactatur. Apposite S. Thomas scribit: *Dæmon qui intendit perditionem hominum ex huiusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nocivum.*[1]) Eadem nempe ratione, qua se gerunt hæretici ad catholicos pervertendos.

766. Ad 5. D. Si hac agendi ratione satanæ regnum reipsa in semetipsum divideretur, C.; si e converso regnum suum satanas constabiliat, N. Jam vero, uti ex S. Thomæ animadversione constat, dum dæmon vera dicit, intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ novicum; nec curat interdum aliquem amittere, dummodo longe plures acquirat. Ex quo enim spiritismus inductus est, scepticismus, indifferentia in religionis negotio, sacramentorum desuetudo, fidei languor longe lateque diffusa sunt, ut de longe maiori in moribus corruptione sileam. Porro si ex qualitate fructuum dignoscitur arbor, cum tales fructus ex spiritismo producantur, fateamur necesse est, eum pessimum esse atque ex pessimo principio profluere. Quod etiam confirmatur ex indole illorum, qui summo studio promovent spiritismi experimenta, qui ut plurimum sunt sectarii, indifferentistæ ac immorigeri. Falso igitur assumitur, per spiritismum fidem christianam promoveri, aut in animis confirmari, quum potius per eum christiana fides convellatur.[2]) Verum de hoc iterum.

767. II. Obi. 1. Fieri nequit, ut quis se peccato coinquinet in spiritismi cœtibus frequentandis, cum experimenta per Dei invocationem incipiant, ac Dei nomine fiant. 2. Cum proinde

---

[1]) II. 2. q. 95. art. 4. Plura in hanc ipsam rem habet præclare dicta S. Joannes Chrysost. Hom. IV. in Lazarum. Opp. edit. Maur. tom. I. pag. 751 seq.

[2]) Jam diximus quod in America an. 1854. supra 500,000 addicti spiritismo et mediatores fuerint; nec data proportione minor est adeptorum ac mediorum numerus Parisiis, Genevæ ac in Germania. Cf. Matignon op. cit. Les morts et les vivants. pag. 31.

Digitized by Google

spiritus se præsentes sistunt, atque obediunt iussionibus intermedii, ita se gerunt ex permissione Dei. 3. Deus porro, qui optime novit rectam intentionem invocantium spiritum, minime permittere potest, ut spiritus mendax nos decipiat ex nomine suo. 4. Nemo præterea inter adstantes vel cogitat quidem, se invocare spiritum immundum seu nequam. 5. Sane etiamsi immediate a spiritu producerentur effectus virtute præternaturali, cum Deus auctor sit et causa prima cuiusvis boni, fieri potest, ut Deo in acceptis habendi sint eiusmodi effectus. 6. Præterea nos legimus in sanctorum biographiis, sæpe eos longas cum animabus defunctorum communicationes habuisse; quidni igitur spiritistæ easdem habere possent? 7. Nec dici debet id effici per aliquod pactum sive tacitum sive expressum cum immundis spiritibus, cum nemo intendat cum illis relationem habere, imo omnes protestentur, se cum dæmone nullo modo velle communicationem habere. 8. Ad summum, si qua esset cum dæmone communicatio, hæc unice foret ex parte mediorum, non autem ex parte mere consulentium: ac proinde isti immunes haberi debent a quovis periculo, ubi præsertim a quavis diabolica fraude caveant. Ergo.

768. Resp. ad 1. D. Incipiunt experimenta in spiritismi cœtibus per Dei invocationem vagam et ludricam, Tr. vel C.; per invocationem seriam et efficacem, N. Quæ ut intelligantur, præmittamus necesse est, cuiusnam generis sit invocatio seu oratio, quæ ad Deum fit in eiusmodi cœtibus. Est porro illa eadem, quæ fit a Deistis, qui Deum eo sensu immutabilem ac inflexibilem admittunt, ut nihil in rebus humanis efficere valeat nec ullam orationem exaudire possit in iis, quæ ab eo petuntur, utpote immutabilis voluntatis.[1]) Jam vero quisquis intelligit huiusmodi invocationem et orationem esse prorsus inutilem, effectuque vacuam ac ineptam. Funditur proinde talis oratio ad fucum faciendum et ad decipiendos adstantes, prout spiritus facere consueverunt per fraudes populares;[2]) dum reipsa putatur experimenta fieri ex Dei nomine, eiusmodi invocatio in usibus superstitiosis est vera Dei nominis profanatio.

In sola civitate New-York numerabantur an. 1852. 52,000 spiritistæ. Cf. Bizouard op. et loc. cit. p. 146.

[1]) Cf. Le spiritisme à Metz, et Le livre des esprits. tom. II. n. 310 seq.

[2]) Cf. Matignon Les morts et les vivants. pag. 35.

Digitized by Google

769. Ad 2. D. Spiritus se præsentes sistunt et obediunt ex permissione Dei, C.; ex nomine aut in nomine Dei, N. Duo hæc permisceri inter se nequeunt, cum Deus plura permittat, quæ tamen non probat nec voluntate positiva vult. Exemplo sit, quod legitur III. Reg. cap. XXII. 22. de spiritu nequam, qui sese obtulit ad decipiendum impium Achabum: *Egressus est spiritus, et astitit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, et prævalebis; egredere, et fac ita.* Profecto spiritus iste ex Dei permissione egressus est ac decepit Achab ex se, non autem ex nomine Dei. Ita licet in spiritismi experimentis spiritus sese offerant ex Dei permissione et mediatoribus pareant, decipiunt tamen credulos adstantes ex proprio, non autem ex Dei nomine.

770. Ad 3. vel Neg. vel D. Si recta eiusmodi intentio supponi posset, Tr.; si vero supponi nequeat, N. Etenim hoc in casu homines ipsi quærerent propriam deceptionem, se voluntarie eius periculo exponentes, et Deus non permitteret nisi quod ipsimet quæsierunt, quæcumque demum in iis supponatur intentio. Ceterum ex omnibus rerum adiunctis cum pateat apertissime, operationes spiritismi a Deo esse non posse, sed a malis spiritibus tantum provenire, etsi recta videri possit adstantium et invocantium intentio, nonnisi voluntaria et culpabilis haberi debet eiusmodi invocatio nec ullo modo a culpa excusari potest. Hæc porro adiuncta iamdiu enumeravimus, quin necesse sit ea iterum recensere, sive ex parte modi, sive ex parte et indole responsionum, sive ex parte doctrinæ, sive ex parte effectuum, sive demum ex parte ipsius Dei eos prohibentis.

771. Ad 4. D. Nemo vel cogitat quidem, se invocare spiritum immundum seu nequam, expresse, Tr. vel C.; tacite seu implicite, N. Theologi omnes duplicem distinguunt dæmonis invocationem, expressam et tacitam. Tacita tunc habetur invocatio cum aliquis effectus intenditur obtineri, qui neque a causis naturalibus neque a Deo expectari possit. [1]) Tales porro sunt

---

[1]) Cf. S. Thomam II. 2. q. 92. art. 1. et q. 95. art. 3. et 4., ubi agit de divinatione. Itaque q. 95. art. 3. aperte scribit: *Ad secundum autem divinationis genus, quod est sine expressa dæmonum invocatione, pertinet divinatio quæ fit ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex quibusdam, quæ ab hominibus serio fiunt, ad aliquid occultum inquirendum.*

Digitized by Google

spiritismi effectus, scilicet apparitio seu præsentia spirituum ad tactum mensæ seu ad nutum medii, responsio ad propositas quæstiones, occultorum vel futurorum cognitio et prænunciatio aliique eiusmodi non pauci, qui a causis naturalibus profecto repeti non possunt, cum nullus intercedat necessarius nexus inter tactum mensarum aut nutum medii et recensita phænomena; sed neque a Deo expectari possunt, utpote qui nimis ab eius maiestate ac sanctitate abhorreant. Restat igitur, ut nonnisi a dæmone seu a malis spiritibus ea exspectentur: adeoque tacita saltem, implicita atque æquivalens dæmonis invocatio in hisce spiritismi experimentis necessario involvitur, et continetur in ipso facto.

772. Ad 5. D. Si effectus spiritismi boni essent, Tr.; si mali sint, neque a Deo sive proxime sive remote provenire possint, N. Responsio patet ex modo dictis. Dum hæc adversarii obiiciunt, assumunt quod est in quæstione, nempe bonos esse spiritismi effectus, cum tamen constet, eos prorsus malos esse. Hinc Deus, ut dictum est, solum potest eos ex inscrutabilibus eius iudiciis permittere, prout tot alia mala moralia permittit, quin eorum auctor censeri possit. Sane eorumdem auctor Deus foret aut in ordine naturæ, aut in ordine gratiæ; neutro autem modo talis esse potest: non ut auctor naturæ, nam hi effectus præternaturales sunt, nec diffitentur adversarii, ac propterea in ambitu creationis non continentur; non ut auctor gratiæ, quia repugnat, quidquid adversarii effutiant, cum hos effectus nuspiam Deus se producturum promiserit. [1])

773. Ad 6. D. Ita tamen, ut eiusmodi animæ nullo fuerint superstitioso apparatu evocatæ, C.; secus, N. Si quæ animæ, Deo sic disponente, viventibus apparuerunt aut ad propriam, qua fruebantur, gloriam manifestandam, si fuerunt beatæ, aut ad exposcenda suffragia, si fuerunt purgantes, non tamen per condicta signa, aut pacta, aut mensarum interrogationem, aut per mediatores aliaque eiusmodi, quæ in spiritismo locum habent, adstiterunt, et collocutæ sunt. Hinc nulla intercedit paritas inter animas, quæ per Dei dispositionem apparent sanctis aut generatim aliquibus viventibus, et evocationem spirituum ope mensarum aut mediorum. Præterea animæ illæ non ad curiositatem explendam circa alterius vitæ statum, aut ad

---

[1]) Cf. Matignon op. cit. pag. 61.

Digitized by Google

nugaces conversationes habendas, sed unice in finem Deo dignum apparuerunt aut apparent. [1])

774. Ad 7. D. Nullum pactum expressum, Tr. vel C.; tacitum, N. Solutio patet ex iis, quæ diximus in resp. ad 4. Nec iuvant protestationes in contrarium. Nam per facta destruuntur protestationes, quæ fiunt per verba. Cum itaque isti, non obstante contraria protestatione, pergant in suis mysticis ritibus servandis, hoc ipso patefaciunt desiderium eiusmodi interlocutionum. Eo vel magis quod, prout nonnulli affirmant, si tales protestationes seriæ sint et efficaces, impediant mediorum potentiam, ponentes obicem experimentis. [2])

775. Ad 8. D. Haberetur communicatio mediorum immediata, et ex parte consulentium mediata, C.; cum solis mediis, N. Nam intermedii nonnisi compulsi seu inducti a consulentibus in communicatione cum spiritibus se constituunt, atque ut istorum voluntati ac desiderio satisfaciant. Parum vero refert, sive quis per se sive per alium operetur. Exinde fit, ut eiusdem criminis se reos efficiant tam consulentes quam intermedii, et ambo pari modo quoad rei substantiam cum dæmone communicent, eiusque se operationi subdant. Nec valet ratio de evitandis dæmonis fraudibus; siquidem hæ tales sunt, ut, dum quis putat se ab his liberum esse, iam irretitus sit et circumventus, uti experientia docet.

776. III. Obi. 1. Spiritismus longe lateque diffusus est, nec proinde omni auctoritate ad persuadendum destitutus dici potest. 2. Fœdus proinde esset optandum inter religionem catholicam et spiritismum, qui suos etiam bonos producit effectus in conversione tot incredulorum, qui non ita pridem negabant Deum et animam, nunc vero propter spiritismi phænomena iam utrumque profitentur. 3. Non itaque indiscriminatim omnes ab eiusmodi experimentis arcendi sunt; 4. nec damnandi qui, rei novitate illecti, ad experimenta magnetica ac spiritismi cogno-

---

[1]) De his fuse ac docte agit Thyræus in op.: De variis tam spirituum quam vivorum hominum prodigiosis apparitionibus. Colon. Agripp. 1594. Cf. libri I. cap. XIII.: De temporibus, locis atque personis, quibus humani spiritus tam boni quam mali plerumque se exhibent. Item cap. XI.: An liceat quovis modo cum quibuscumque spiritibus agere et communicare?

[2]) Cf. Matignon Les morts et les vivants. pag. 68.

Digitized by Google

scenda confugiunt. 5. Et sane videmus non paucos timoratæ conscientiæ viros ac mulieres, qui nullo anguntur scrupulo in frequentandis spiritismi cœtibus, et eodem tempore mensam Eucharisticam ac mensas spiritismi frequentant; quod quidem argumento est, a clero universo minime tamquam malum spiritismum respui; alioquin oves sibi commissas ab eiusmodi experimentis arceret. 6. Nec censendum est, quidquid naturam excedit uti malum repudiari debere: nam nemo vituperat pias animas, quæ ut sua negotia bene conficiant ad beatorum intercessionem recurrunt; item nemo vituperat viros sanctos, qui cum angelis commercium habuerunt, ac per eos mirabilia operati sunt. Nec proinde sunt reprehendendi, qui per spiritismum in ordine extramundano cum sanctis et angelis communicant. 7. Eo magis quod exploratum sit, non omnes spiritus qui per mensas se sistunt aut loquuntur, malos esse, sed præter pravos et facetos, non semel bonos et graves apparere et colloqui. Ergo.

777. Resp. ad 1. D. Si legitimus esset ac bonus, Tr. vel C.; si e converso natura sua malus sit ac Deo religionique contrarius, N. Alioquin non destituta omni auctoritate foret idololatria, quæ olim universum fere terrarum orbem occupavit et in magna adhuc mundi parte dominatur, quod profecto nemo dicet, ut de aliis similibus taceam, cuiusmodi esset protestantismus, et schisma orientale ac Russicum aut Mahometismus. Itaque materialis diffusio nullam auctoritatem rei conciliat, si, spectata huius natura, mala ea deprehendatur ac periculi plena, ut in spiritismo contingit. [1])

778. Ad 2. D. Si fieri aliquando posset fœdus inter Christum et Belial, inter lucem et tenebras, tunc fœdus iniri posset inter catholicam religionem et spiritismum, C.; si fœdus illud fieri nequeat, N. Perfecta oppositio intercedit catholicismum inter et spiritismum, qui a catholicismo reprobatus est, ac ubique gentium ab Apostolica Sede atque ab Episcopis reiicitur. [2])

---

[1]) Ceterum Cicero in oratione pro Roscio Amerino n. X.: *Vulgus,* inquit, *ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.*

[2]) Quod attinet ad Apostolicam Sedem, illis ipsis decretis, quibus magnetismus animalis ac somnambulismus artificialis, prout obtinet, proscribitur, paritatis ratione proscribitur spiritismus, qui illorum continuatio, immo et consummatio est. Quod vero spectat ad episcopos, ipsi unanimes sunt suis pastoralibus documentis in proscribenda eiusmodi superstitiosa praxi. Satis hic mihi erit speci-

Digitized by Google

Quodsi interdum boni ex spiritismo prodierunt effectus, id per accidens factum est, uti quandoque ex veneno sanitatem quis adipiscitur, quin inde inferendum sit, venenum salutare esse atque ab ipso sanitatem esse hauriendam. De generali eiusmodi incredulorum indole et qualitate, qui occasione spiritismi ex atheis et materialistis deistæ facti sunt, iam satis superius diximus.

779. Ad 3. Neg. Siquidem omnes indiscriminatim aut se reos peccati constituunt, qui spiritismi experimentis cum plena

---

minis ergo ad propositum nostrum tractum afferre ex epistola pastorali Dni Turgeon Episcopi Quebecensis, qui ita se habet: *Voilà l'abus que nous devons reprouver: voilà aussi le mal que nous nous hâtons de condamner, et contre lequel nous voulons vous prémunir. — Et comment ne verriez-vous pas qu'en cherchant ainsi à interroger le bois et les esprits de l'autre monde, on cherche à faire revivre dans le sein de l'Église de Dieu les monstrueuses erreurs et les superstitions damnables, qui furent de tout temps la honte et le malheur des nations payennes? — Que prétendez vous lorsque vous adressez la parole à cette table en mouvement, et que vous lui demandez une réponse? — Vous seriez-vous persuadé qu'elle peut vous entendre, vous comprendre, et que, plus éclairée que vous, elle va lire dans vos pensées ou vous révéler ce que vous ignorez? — Non, car vous savez qu'elle est privée de sentiment, et dépourvue d'intelligence. Auriez-vous la prétention d'évoquer par son moyen les âmes des morts? Et quelles sont donc ces âmes avec lesquelles vous voudriez vous mettre en rapport, et que vous auriez la présomption de contraindre à venir répondre à vos questions indiscrètes? Seraient-ce les âmes des réprouvés? Mais Dieu n'a-t-il pas mis entre ces âmes malheureuses et vous un chaos immense? ... Seraient-ce les âmes des élus de Dieu? Mais quoi? Auriez-vous l'impiété de croire que vous pouvez commander à ces âmes saintes? Les arracher de Dieu? .... Quels esprits viendraient donc vous répondre auprès de ces tables, qui se remuent et qui frappent pour attester leur présence, et interpréter leurs pensées? Seraient-ce les esprits immondes, les anges de Satan? Nous savons que ces esprits déchus, qui ont été homicides dès le commencement du monde (Jo. VIII. 44.), rôdent sans cesse pour perdre les hommes (I. Petr. V. 8.), qu'ils ne cessent de leur tendre des embûches, qu'ils les tentent, qu'ils emploient mille ruses pour les pousser au mal, et les fair tomber dans l'abîme etc.* Alia plura eiusmodi episcoporum pastoralia documenta recoli possunt apud Matignon op. cit. pag. 105. Pièces justificatives: quæ omnia in eamdem sententiam conspirant pleno consensu.

Digitized by Google

cognitione causæ assistunt ac iisdem positive concurrunt, aut periculo saltem sese exponunt seductionis; omnes proinde iis se abstinere debent si propria salus ipsis cordi est.

780. Ad 4. D. Et hoc ipso reos se constituunt, C.; immunes a culpa censendi sunt, N. Plures utique decepit ac decipit inconsulta eiusmodi curiositas, quæ, si ex animi levitate procedat, saltem vana est, si vero ex perverso fine, erit plus minusve noxia pro finis istius ratione. Verum et hoc nomine reprehendendi sunt, quod ipsi concurrant ad cohonestandum negotium non modo aleæ plenum, verum etiam turpe ac iniquum.

781. Ad 5. Tr. Ipsæ timoratæ conscientiæ, uti dicuntur, personæ quæ ita se gerunt, per se viderint utrum quiescere tuto possint. Certe, prout in huius propositionis præliminaribus animadvertimus, haud pauci ex animi levitate ad interessendum spiritismi experimentis permoventur, atque ignoratione ducti neque apprehendentes mala ac pericula, quæ spiritismo insunt. Hi propterea initiati spiritismi proprie seu presse sumpti mysteriis dici nequeunt, quæ si apprime cognoscerent, profecto, si timoratæ conscientiæ essent, a spiritismo abhorrerent. Jam vero nos hic de spiritismo in toto suo complexu agimus, qualem descripsimus et tamquam malum refutavimus. Ab hoc vero spiritismo nemo ex universo clero est, qui omni quo potest nisu oves sibi commissas non arceat, prout arcere debet ab omni cum dæmone commercio iuxta Ecclesiæ catholicæ constitutiones. Agitur siquidem de necromantia, de magia, sortilegio aliisque superstitionibus, ut ex dictis constat, atque ex ulterius dicendis melius adhuc patebit. Agimus igitur de re, non de personis, quarum est sibimetipsis consulere ac de propria salute providere. Si qui proinde sint, qui utrique mensæ Eucharisticæ et dæmoniorum assideant fallentes semetipsos, ipsi viderint; Ecclesia certe id non solum non probat, sed aperte reprobat et damnat. Admonendi idcirco isti sunt et cohibendi, etiamsi non ex malitia ita se gerant, ne se periculo exponant, et alios exemplo suo alliciant, qui minori virtute præditi faciliori ratione se irretiri patientur cum ingenti propriarum animarum detrimento.[1])

---

[1]) Huc apprime conveniunt verba S. Petri Chrysologi in Serm. CLV. De Kalend. Januar.: *Qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.*

Digitized by Google

782. Ad 6. D. Censendum non est esse malum quidquid naturam excedit, et ab auctore naturæ ordinatur et fit, C.; quidquid naturam seu naturalem ordinem excedit præter et contra divinam ordinationem, N. Nam cum agatur de phænomenis, quæ a natura produci nequeunt, nec Deum auctorem habere possunt, ab agente intelligente ac præternaturali ea repetamus necesse est; quum vero deprehendamus eiusmodi agentem natura malum, consequens est, ut hoc sensu quidquid naturam excedit, malum esse pronunciemus. Quid porro commune habet agendi ratio piarum animarum, quæ pro negotiis suis ad sanctorum intercessionem recurrunt, aut sanctorum cum angelis commercium cum agendi ratione quam spiritistæ sectantur in evocatione spirituum et cum iisdem collocutione? Immane distant diversæ piarum animarum sanctorumque agendi ratio et ratio agendi spiritistarum, adeo ut numquam possint inter se confundi, immo nec comparari. Etenim pii ac sancti ad obtinendos divinos et extraordinarios favores oratione ac vitæ sanctimonia, quæ sola sunt media legitima a divina providentia ordinata, se comparant, cumque Deus favores eiusmodi illis impertitur, quin se extollant, ipsi verentur ne spiritus nequam in angelum lucis se transfigurantis fraudibus decipiantur.

783. Exinde tot illæ cautelæ, circumspectiones, ac regulæ ad discernendos spiritus profluunt, quibus se muniant; exinde consilia prudentum exquirunt, nec nisi obedientia adstricti acceptis donis utuntur. Spiritistæ vero toto nisu se ultro in ignotum elementum proiiciunt, spiritus inquirunt, evocant per media artificialia mediatoresque adeunt, orationi, si quam fundunt, adiiciunt exercitia superstitiosa, quin cordis puritate, dispositionibus potius physicis ac naturali corporis constitutione et habitudine se comparant ad obtinendam spirituum communicationem; quam cum obtinuerint, innumeras prope iis quæstiones proponunt vanas, curiosas nulliusque frugis. Iis dictantibus, imo et manum ducentibus, scribunt aut loquuntur; quin insuper illis ulla suppetat ratio agnoscendi eorum, quæ scribunt aut loquuntur, veritatem: quo fit, ut in perpetua fluctuatione versentur necesse sit. Itaque profunda abyssus separat sanctorum communicationes cælestes a communicatione spirituum. Sancti fuerunt ac porro sunt Dei instrumenta ad humani generis sanctificationem, spiritistæ autem instrumenta diaboli ad humani generis exitium. [1])

---

[1]) Cf. Thyræum in op. cit. De apparitionibus. lib. I. cap. XVI.:

Digitized by Google

784. Ad 7. N. Tantum abest, ut exploratum sit præter spiritus pravos, facetos deceptoresque haberi spiritus bonos, graves ac veridicos, ut potius compertum sit, omnes ex æquo malos ac pessimos esse. Cum istorum scopus ac finis supremus sit homines decipere, hinc pro opportunitate varias induunt personas, ut facilius in errorem eos inducant. Non semel spiritus illi, qui magis boni et graves videbantur quique se doctrinæ orthodoxæ propugnatores exhibebant, postea a Deo ipso compulsi fateri debuere se fuisse deceptores atque ad fallendum compositos sermones suos intexuisse, ut auditoribus dominarentur atque hos ad malum inducerent. [1]) Alii vero qui pariter se finxerunt hactenus sanctos, deinde ex contactu obiectorum sacrorum aut aquæ lustralis aspersione patefecerunt, quinam reipsa essent, mendaces nempe ac deceptores. [2]) Nullo igitur modo admitti potest, eiusmodi spiritus bonos ac veraces esse, sed haberi debent omnes eadem ratione vere mali, a quibus cavendum sit ac fugiendum et a quibus nihil nisi malum quisque sibi polliceri potest. [3])

785. Inst. Ast nonne spiritismus spectari posset tamquam progressus et quidem divina dispositione ordinatus, ut nova religionis etiam divinitus revelatæ phasis? Sane prius obtinuit Patris regnum, seu regnum legis patriarchalis ac legis mosaicæ pluribus onustæ præceptis ac ritibus; huic successit regnum Filii, seu regnum legis evangelicæ et charitatis, quæ non amplius unius gentis angustiis contineretur, sed ad plures gentes

---

Expenduntur rationes, quibus boni a malis spiritibus dignoscuntur. Quæ huic de spiritismo argumento apprime conveniunt, ut pateat, cum hoc nihil habere commune quod accidit in sanctorum gestis eorumque cum angelis et cælitibus communicationibus. Satis est vel leviter percurrere vitas S. Theresiæ, S. Franciscæ Romanæ, aliorumque sanctorum, qui eiusmodi communicatione fruiti sunt, ut illico appareat, tam istam ab operationibus spiritismi distare, quam cœlum ab inferno. Cf. etiam Gœrres La mystique liv. V. Du fondement historique, légendaire, physique et psychique de la mystique infernale, præsertim chap. XVII. seq. Verum de hoc paulo post iterum redibit sermo.

[1]) Cf. De Roys op. cit. pag 30. Nosque superius huius rei documenta exhibuimus. [2]) Ibid.

[3]) Hinc S. Thomas II. 2. q. 95. art. 4. ad 3. generatim pronunciat: *Nulla utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per dæmonum invocationem.*

Digitized by Google

extensa est. Quidni igitur expectandum regnum Spiritus, sub quo ampliorem adepturi simus libertatem? Omnia ad eiusmodi regnum expectandum inducunt, et quemadmodum mosaica lex in se velut in germine continebat Evangelium: sic Evangelium velut in germine continet regnum spiritus. Hoc homines præsentire videntur; quod cum obtinuerit, universalis seu una omnium hominum erit religio. Cum igitur spiritismus ad hoc ordinatus sit, nemo peccati damnabit eos, qui illum promovent atque frequentant. Ita delirant spiritistæ nonnulli. [1])

786. Resp. Eiusmodi commentum novum non esse ac sub diversis formis iamdiu ante spiritismum prodiisse. Non aliud siquidem prædicavit Petrus Michael Vintras, qui adnisus est prædicare tertium regnum, nempe regnum spiritus sancti, regnum amoris, quod regno Christi succedere debeat ac fieri universale. [2]) Item Josephus Smith, qui in America contendit annunciare et ipse novam revelationem veluti complementum anteactæ revelationis ad religionem universalem constituendam, nempe mormonicam. [3])

787. Jam vero de Christo legitur: *Et regni eius non erit finis.* [4]) Et apud Danielem hoc ipsum regnum prænunciatur his verbis: *Et dedit ei* (Altissimus) *potestatem et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient; potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum eius non corrumpetur.* [5]) Nullum igitur aliud regnum præstolandum superest, nec ulla divinæ revelationis iamdiu completæ phasis expectanda est aut ullus divinæ revelationis progressus, etsi

---

[1]) Ita Allan Kardec Liv. des esprits. n. 334., item n. 381—386. Dr. Grand p. III. etc. apud Matignon op. cit. Les morts et les vivants pag. 44 seq., ex quo hæc contraximus, ut pateat quousque spiritistæ progrediantur.

[2]) Hic Petrus Michael Vintras fuit opifex diœcesis Baiocensis, qui novam sectam induxit Operis misericordiæ: et ipse novas sibi factas revelationes fingebat, ac se donis miraculorum præditum. Episcopus Baiocensis in Galliis perversam istius doctrinam proscripsit die 8. Decemb. 1841., prout et damnavit Gregorius XVI. Brevi apposito dato die 8. Nov. 1843. Cf. Bizouard op. cit. liv. XXXI. chap. I. tom. VI., nec non Dictionn. des hérésies, des erreurs et des schismes, non ita pridem vulgatum a Migne.

[3]) Cf. M. J. Remy Voyage au pays des Mormons. Item opus quod vulgavimus, cui titulus: Il proselitismo protestante. Genova 1862. — Appendice del Mormonismo.

[4]) Luc. I. 33. [5]) Dan. VII. 14.

Digitized by Google

demus, ulteriorem progressum in ipsius revelationis intelligentia fieri posse, prout tractu temporis in Ecclesia vel ex occasione quarumdam controversiarum quæ excitatæ sunt, aut hæreseon quæ sunt exortæ, clarior ac lucidior effecta est. Verum aliud est divinam revelationem progredi in se, aliud progredi in eiusdem divinæ revelationis subiectiva intelligentia; siquidem hoc admitti potest et patet ex experientia, illud vero non item, nisi Deus ipse ulteriorem præbeat veritatum suarum manifestationem. Id porro est quod Deus præstitit, dum veritatibus revelatis in lege naturæ patriarchis alias adiecit per Moysem et prophetas ac demum per unigenitum filium suum in nova lege. Insuper aliud est revelationem ulteriorem præbere ad anterioris complementum, prout Deus per gradus fecit, aliud vero anteriorem a Deo datam corrumpere, eidem contradicere, immo et destruere, prout in spiritismo et per spiritismum fit, quo natura Dei per pantheismum prorsus immutatur, quo negatur æternitas pœnarum per absurdam metempsychosim, quo tollitur inter bonum et malum discrimen, catholica religio, imo et ipse christianismus convellitur, prout suo loco vidimus. Et hoc quidem, ut regno Christi substituatur novum spiritismi regnum, quod vani ac illusi homines præsentiunt, qui vellent religionem omnem positivam ex his terris amandare, ut adipiscantur non iam libertatem spiritus sed carnis et sensuum.

788. Mosaicismus utique, utpote typicus, in se legem gratiæ continebat veluti sui complementum et perfectionem; *finis enim legis Christus* inquit Apostolus, [1]) ac omnia, quæ in lege mosaica constituta sunt, ad Christum præsignificandum referebantur. Christus vero eiusque regnum est consummatio, adeoque præter regnum quod in patria seu in visione beatifica habebitur, nullum aliud admittit.

789. Quod demum spiritismus spectari non possit ut progressus, evidentissime patefiet ex his, quæ in capite insequenti dicturi sumus. Interim colligimus, damnandos vere esse qui hoc sub obtentu spiritismum fovent, promovent atque frequentant.

---

[1]) Rom. X. 4.

Digitized by Google

Caput VII.

De analogia et identate inter superstitionem veteris, mediæ ac recentioris ætatis.

790. In omnium ferme ore vox progressus obtinet, atque huic progressui in acceptis habent mira, quæ longe lateque vagantur, magnetismi animalis, somnambulismi præcipue atque spiritismi phænomena ipsorum cultores ac propugnatores. Ast iamdiu pronunciavit Ecclesiastes: *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*[1]) Id porro in hoc potissimum, de quo agimus, argumento verum esse nemo, qui vel summis labiis veterem historiam degustaverit, inficias ibit.

791. Immo tantum abest progressus nomine cohonestari posse recensita phænomena, ut potius regressus nota insigniri deberent. Idque duplici ex capite, tum nempe quia nos revocant ad turpia illa superstitionis opera quæ dedecus constituebant paganicæ societatis, dæmoniacasque fallacias quæ medio ævo adeo homines infecerunt ac deturparunt, tum quia reipsa sive magnetismus animalis ac somnambulismus artificialis, sive spiritismus hodiernus nondum ad illum gradum pervenerunt, qui olim obtinuit.

792. Satis quippe est antiqua documenta introspicere, ut facile quisque sibi persuadeat quæcumque memoriæ tradita sunt de oraculis, hariolis, sibyllis aliisque eiusmodi in pagana societate non secus ac ea, quæ in societate christiana de sagis, magis circulatoribusque referuntur, apprime convenire cum iis, quæ in præsentiarum sub alia denominatione designantur. Quin etiam non sola analogia et convenientia inter antiquæ et præsentis ætatis phænomena deprehenditur, sed insuper identitas sive respectu rei, sive respectu modi. Atque hoc est quod demonstrare aggredimur ad magis deterrendos fideles ab eiusmodi superstitionibus adeo exitialibus, atque ad detegendam illorum hominum improbitatem, qui illis operam dant atque eas propagare satagunt tam ingenti religionis christianæ et animarum pernicie. Conspiratio siquidem pæne universalis inter scelestos quosque facta esse videtur ad fideles decipiendos atque

---

[1]) Eccl. I. 10.

Digitized by Google

ad eos abducendos a fide et a via salutis. Nullis parcunt mediis ad hunc finem obtinendum, inter quæ eminent magnetismus animalis ac spiritismus, quibus adnituntur etiam vaticinia ac miracula biblica et ecclesiastica extenuare, immo et omnem iis vim adimere per comparationem ab ipsis institutam cum phænomenis magneticis et pneumaticis seu spiritismi.

793. Eapropter appositis articulis et propositionibus hoc argumentum persequemur, corollaria exinde deducentes, quæ ab illis profluunt in rem nostram: et sic huius rei tractationem gravis adeo momenti absolvemus.

Articulus I.

De oraculis, hariolis, pythonibus, sibyllis aliisque superstitionibus in antiqua societate pagana et etiamnum inter paganos.

794. Distincte de singulis heic recensitis ad confusionem vitandam disserere debemus ob nexum quem habent cum huius temporis superstitionibus.

Itaque oraculorum nomine significamus responsa, quæ antiquitus per simulacra seu idola reddebantur. Eiusmodi oracula ab antiquissimis temporibus apud paganos obtinuisse, nemo est qui ignoret. Etenim veteres omnes sive sacri sive profani auctores horum meminerunt, immo et nonnullorum originem et historiam texuerunt. IV. Reg. 1. legimus, Ochoziam misisse ad consulendum Beelzebub Deum Accaron. [1]) De oraculi Delphici origine disserunt Diodorus Siculus [2]) et Herodotus, [3]) prout Pausanias de antiquiore Lybico oraculo Jovis Ammonis plura refert; [4]) sic etiam de oraculo Dodonæo in Africa ex Ægypto proveniente pariter scribunt Herodotus et Pausanias, perinde ac de oraculis Joniæ et Corinthi, scilicet Apollinis et Herculis, ut de aliis sileam. [5]) Ad hæc porro oracula, ut responsa acciperent, undique confluebant veteres pagani.

---

[1]) De hoc deo et oraculo cf. Calmet in Diss. De numinibus et origine Philistinor., præmissa lib. I. Reg.

[2]) In lib. De vita Philippi regis Macedon.

[3]) In Erato.

[4]) In lib. De rebus Eliacis.

[5]) Cf. Venerium: De oraculis et divinationibus antiquorum. Venet. 1624.

Digitized by Google

795. Ast de veritate historica eiusmodi oraculorum nulla est controversia. Contra vero non exigua viguit circa rationem, qua oracula seu responsa redderentur. Postquam enim Van-Dale, celebris medicus Hollandus, prolixam edidit dissertationem qua ostendere adnisus est, omnia quondam celebrata oracula non fuisse nisi sacerdotum fraudem, [1]) viri docti in diversas, imo contrarias sententias abierunt. Fontenellius opus Van-Dalii in gallicam lingum vertit atque in compendium redegit eiusque vindicias suscepit. [2]) Adversus eum surrexit doctus P. Baltus Soc. Jesu, ac ita strenue propugnavit dæmonum interventum in paganorum oraculis, ut Fontenellius victas manus dederit festivo dicto: Diabolus causam suam vicit. [3]) Cumque Joannes Clericus sententiam Fontenellii adstruere suscepisset, Baltus novum opus ei opposuit, in quo luculentiori adhuc ratione rem omnigenis documentis ita firmavit, ut deinceps nemo hiscere amplius ausus fuerit. [4]) Quodsi Moshemius expendens utriusque placiti argumenta concludit neutrum invicte probari, [5]) id anticipatis suis protestantismi iudiciis tribui debet.

796. Et sane, licet demus non semel in paganorum oraculis fraudem ac dolum sacerdotum intervenisse, ut patet ex ambiguitate et obscuritate responsorum atque ut plurimum prædictionum coniecturalium, quæ non excederent humanam sagacitatem, aliisque eiusmodi, negari tamen nequit, passim etiam dæmonum ope talia oracula prodiisse. Ad id enim inficiandum necesse foret contradicere innumeris pæne antiquiorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, qui oraculis illis coævi erant, testimoniis gravissimis. Necesse foret testibus oculatis atque

---

[1]) Op. Van-Dale ita inscriptum est: De oraculis veterum ethnicorum dissertationes duæ, quarum prior agit de eorum origine atque auctoribus, secunda de ipsorum duratione et interitu. vol. I. in 4° Amstelodami 1700. In priori dissertatione sermo est de vafritie sacerdotum ad dæmonum exclusionem in oraculis edendis.

[2]) In op., cui titulum fecit: Histoire des oracles.

[3]) Baltus: Réponse à l'histoire des oracles de Fontenelle. Strasbourg 1707, cui nihil respondit Fontenellius, et hac occasione dixit: Le diable a gagné sa cause.

[4]) Cf. Baltus: Suite de la Réponse à l'histoire des oracles. — Dans laquelle on réfute les obiections insérées dans le XIII. Tome de la bibliothèque choisie etc. Amsterdam 1709. Hæc autem bibliotheca est Jo. Clerici.

[5]) In notis ad Cudworthum tom. II. cap. V. §. 89.

Digitized by Google

sanctissimis fidem detrectare. Necesse præterea foret vel ipsis auctoribus paganis obsistere, qui non modo testantur, ipsorum idola oracula præbere, verum etiam queruntur de oraculorum silentio ob christianismi propagationem, de silentio imposito suis oraculis a christianis, inter quos eminent Celsus et Porphyrius, de suorum deorum exterminatione per christianos facta, aliisque eiusmodi, quæ longum nimis esset velle persequi. Hæc autem documenta communia sunt, publica sunt et omni exceptione maiora; quæque erudite evolvit ac vindicat citatus auctor. [1])

797. Verum quod omnem difficultatem removet, est ipsius scripturæ auctoritas, quæ aperte declarat, deos gentium dæmones esse: *Omnes dii gentium dæmonia;* [2]) eos præsertim, qui oracula reddebant, cuiusmodi vidimus fuisse deum Accaron, scilicet Beelzebub, quem Christus ipse principem vocat dæmoniorum. [3]) Quod si in Ps. CXIII. 14. dicitur de idolis gentium: *os habent et non loquuntur,* intelligi id debet per se, seu spectata ipsorum materia, non autem ad exclusionem dæmonum, qui ipsis tamquam instrumentis ad reddenda oracula utebantur; alioquin idem sacer psaltes arguens prævaricatores Hebræos non dixisset: *Et immolarerunt filios suos et filias suas dæmoniis,* [4]) id est sculptilibus seu idolis, quæ per se certo non erant dæmonia, sed erant sedes dæmoniorum, quæ in illis inhabitabant et per ea respondebant; prout I. Cor. X. 20. ait Apostolus: *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant.*

798. Coronidis gratia addimus factum luculentissimum, cuius testem oculatum se præbet S. Jo. Chrysostomus: Gallus Cæsar ad compescendas superstitiones ethnicorum reliquias S. Babylæ Antiochensis, qui sub Decio passus est an. Christi 251., transtulit in suburbium Daphniticum, ubi celebre Apollinis oraculum dabat responsa. Facta hac translatione illico reipsa oraculum conticuit, donec imperante Juliano exinde amotæ reliquiæ fuerunt; et tunc iterum oraculum sua præbuit responsa. Ast malo fato suo: nam exinde didicit Julianus apostata causam silentii; sed immediate post fulgure de cælo cadente, idolum comminutum est templumque vastatum. [5]) Hoc confirmatur

---

[1]) Cf. opus cit. Suite de la réponse. chap. III.—XV.
[2]) Ps. XCV. 5.
[3]) Cf. Matth. XII. 24. collat. Luc. XI. 17. 18.
[4]) Ps. CV. 32.
[5]) Sic factum refert S. Jo. Chrysostomus in lib.: In sanctum Ba-

Digitized by Google

questibus Libanii sophistæ. [1]) Neque eiusmodi factum inficiari est ausus Ammianus Marcellinus ethnicus et Juliano maxime addictus. [2])

799. Nihil igitur certius, exploratius nihil oraculis a dæmonibus per idola ac simulacra editis ex universa antiquitate, eorumque silentio ac cessatione post Christi Domini adventum.[3]) Et hæc ad rem nostram de paganismi oraculis vix delibasse sufficiat.

800. Nunc iam de hariolis ac divinis, quo nomine designantur, qui dono seu arte detegendi occulta pollere dicuntur. Cum vero inter res occultas præcipuum locum obtineant futuræ, exinde factum est, ut ars cognoscendi ac prædicendi futura divinatio nuncuparetur. In plures species divinationem dividi notum est, pro diversitate mediorum quibus homines quavis ætate usi sunt ad futura sive coniectanda sive prædicenda. Decem præcipue in sacris Litteris recensentur, quæ omnia et singula vetantur Israelitico populo; sunt autem observatio astrorum ad libera futura cognoscenda (Levit. XIX. et Deut. XVIII.), avium volatus et garritus ac motus (Deut. XVIII. 10.), artes occultæ, incantationes, spiritus pythonicus, de quo postea, genethliologia, necromantia seu evocatio mortuorum, haruspicia, somnia. [4])

801. Verum hæc ad argumentum nostrum, quod est de dæmonis operatione ad divinandum, innuisse sufficiat, ut deinceps illud conferamus cum iis, quæ in magnetismo animali et spiritismo obtinent; nam sub alio respectu divinationem, ac

---

bylam contra Julianum et contra gentes. n. 15 seq. Opp. ed. Maur. tom. II. pag. 560. seq.

[1]) In lib. adversus eundem. n. 18. Et iterum id ipsum refert in Hom. IV.: De laudibus S. Pauli Apostoli. Ibid. pag. 492.

[2]) Hist. lib. XXII. P. Merlin vindicias sumpsit adversus Bayle libri S. Jo. Chrysost. in Dissert. inserta in Journal de Trevoux mense Junio an. 1737.

[3]) Eusebius in eruditissimo opere: De præparatione evangelica tres integros libros scripsit, scilicet IV. V. et VI., ad ostendendum, dæmones esse auctores oraculorum religionis seu superstitionis paganicæ. Plutarchus vero et ipse integrum librum exaravit de silentio oraculorum, ut alios auctores prætercam.

[4]) Has divinationum species, quarum nos vix nomina dedimus, recenset et exponit Bergierius in suo Dictionario theologico ad vocem Divin. ubi recoli possunt.

Digitized by Google

proinde hariolos et divinos spectamus. Atque divinatio sub hoc respectu definiri posse videtur: Significatio occultorum ex pactis sive tacitis sive expressis cum dæmone. Ideo vero significatio dicitur, quatenus non perficitur sola mentis intellectione sive cognitione, sed signis quoque et verbis exterioribus utitur. Est autem occultorum, quæ nempe remota sunt ab humana cognitione, et est tam præteritorum et præsentium, quam futurorum. Dicitur denique ex pactis sive tacitis sive expressis cum dæmone, quia utraque ratione potest exerceri divinatio. [1])

802. Nunc iam quæritur, quænam occulta possint dæmones cognoscere? Jam vero certum est quod ipsi non omnia cognoscant, prout fert unanimis catholicorum consensus. [2]) Et quidem nequeunt certo cognoscere ea, quæ sunt omnino libere futura, sive hæc pendeant a voluntate Dei sive a libera voluntate hominum. Quo fit, ut ea quæ certo non novit, possit dæmon solum probabiliter et ex coniectura cognoscere atque prædicere. Potest tamen certo prædicere, quæ a causis pendent necessariis quæque non possint ab aliis causis naturalibus impediri. Item præterita, quorum omnium memoriam servat et quæ aliena relatione accepit vel coram ipso gesta fuerunt potest annunciare. Idem dic de præsentibus, quæ actu exteriore prodita sunt, ut sunt secreta furta, res perditæ, thesauri olim defossi, metalla subterranea, quæ hominum cognitionem fugiunt et dæmoni nota sunt. Quod vero attinet ad internas hominum cogitationes, communior sententia est, eas dæmonem latere, nisi aliquod signum in organo corporeo fuerit impressum. Dei quippe solius est mentem et cor hominis intueri. [3]) Demum certum est, dæmones qua pollent celeritate, quæ in remotis longo itinerum intervallo regionibus geruntur, ea tam celeriter denunciare posse, ut diu ante prædicta ab ignaris putentur. Cuius rei exemplum

---

[1]) Cf. Del Rio Disquis. mag. lib. IV. cap. II. quæst. 1.

[2]) Inter quos Tertullianus Apolog. c. 21., Origenes Periarchon lib. IV., Eusebius de præpar. evang. lib. V. c. 10., Augustinus lib. de divin. dæm. et II. Retract. c. 30., Damascenus lib. II. de fide. c. 4., Anselmus lib. de casu diabol. c. 2., S. Thomas in tract. quæstionum XVI. c. de dæmon. et p. II. q. 56.

[3]) Exinde collegerunt Ss. Patres, uti S. Ambros. in Luc. cap. 5., S. Hieronym. in Matth. cap. IX., S. Jo. Chrysost. Hom. XXX. in Matth., S. Cyrillus Alex. lib. II. in Joan., S. Augustin. lib. de scientia dæmon. aliique passim Christi Domini ac Spiritus Sancti divinitatem.

Digitized by Google

suppetit in Apollonio Thyanæo, qui cum Ephesi moraretur, exclamavit, Domitianum Romæ interfici, perinde ac si ipse neci illi interesset. [1])

Pro gradu ac diversitate scientiæ occultorum, qua dæmones pollent, fiebat, ut vates, harioli ac divini tum occulta, tum futura detegerent aut prænuntiarent, [2]) prout et ætate hac nostra contigisse videbimus.

803. Ad divinos referuntur Pythones, Pythonissæ, Sibyllæ, de quibus tum in sacris litteris frequens sermo est, tum apud profanos et ecclesiasticos scriptores. Veniunt autem hoc nomine, qui a dæmone acti, arrepti aut possessi futura divinando prædicebant aut responsa dabant: ita ab Apolline Pythio nuncupato, qui apud Delphos consulentibus reddebat oracula, eiusque fœmina sacerdotula Pythia dicta est. De his Pythonis spiritum habentibus sive viris sive fœminis loquitur Moyses, dum, ut vidimus, vetat ne quis *Pythones consulat;* [3]) item Isaias, cuius hæc verba sunt: *Cum dixerint ad vos: quærite a Pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis.* [4]) Celebris est Pythonissa, quæ Sauli exsuscitavit Samuelem. [5]) Item puella habens spiritum Pythonem, de qua est sermo in actis Apostolorum, et cuius pertæsus Paulus spiritui dixit: *Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.* [6]) Ex quibus novimus, vere puellam illam Pythonissam fuisse a dæmone possessam, qui ea utebatur tamquam medio ad oracula emittenda. Ex verbis vero Isaiæ constat eiusmodi Pythones aut Pythonissas, alias ἐγγαστριμύθους seu ventriloquentes nuncupatos, quasi nempe per pectus vel ventrem vocem emittentes, stridere solitos fuisse in suis vaticiniis edendis. [7])

804. De Sibyllis, ita nuncupatis a consilio Dei vel plenæ Deo, vix quidpiam addam, cum omnia pæne incerta sint

---

[1]) Ita rem refert Philostratus in vita Apollonii.

[2]) Cf. Del Rio Disquis. mag. lib. IV. c. 2. q. 1., ubi accurate de his disserit.

[3]) Deut. XVIII. 11.

[4]) Is. VIII. 19. in quem locum cf. Cornel. a Lapide.

[5]) I. Reg. XXVIII. 11. 12. De qua apparitione Calmet integram præmisit dissertationem I. libro Regum.

[6]) Act. XVI. 18.

[7]) Hebraice vocantur אבות oboth nempe utres, quia per ventrem quasi per utrem obscuras, stridulas, hiulcas, confusas, ambiguas et perplexas sæpe dabant voces.

Digitized by Google

quæ ad eas referuntur sive circa numerum [1]) sive circa carminā quæ sub eorum nomine circumferuntur. De illis nulla in scripturis fit mentio, sed frequens penes auctores profanos, poëtas præcipue, occurrit sermo. Apud Patres et scriptores ecclesiasticos Sibyllarum passim auctoritas urgebatur adversus ethnicos, eo quod non pauca vaticinia quæ ad Christum resque christianas referri viderentur, penes illas occurrerent. Hinc ab Origine novimus Christianos Sibyllistas vocatos idcirco fuisse.[2]) Præ ceteris celebrior est Cumana nuncupata, præsertim ob oraculum relatum a Virgilio: *Ultima Cumæi venit iam carminis ætas etc.,* [3]) quod alii de Christo, alii de vario rerum eventu intellexerunt, etiamsi Virgilius illud accommodet Pollionis filio.[4]) Quidquid porro de hoc sit, illud ratum est, penes veteres exhiberi Sibyllas a numine actas, furore plenas, vociferantes et sui impotes, quibus sublatæ comæ, anhelat pectus, tumet cor rabie percitum, immutatur color, uti passim poëtæ eas vaticinantes exhibere consueverunt.[5]) Plerumque arborum foliis Sibyllæ responsa sua committebant.[6]) Ex his itaque constat, Sibyllas vix a Pythonissis distingui.[7])

---

[1]) Alii enim contendunt unicam fuisse, uti Petit in op. de Sibylla. Lips. 1686. Alii tres aut quatuor admittunt, uti Ælianus; alii post Varronem decem: et hæc opinio nunc communior est.

[2]) Contra Celsum lib. V. n. 61. ed. De la Rue.

[3]) Eclog. IV.

[4]) Cf. in hanc Eclogam Jo. Lud. De la Cerda tum in præfixo argumento, tum in notis; nec non Wunderlichium in recensione edit. Heyne, tum pariter in præmisso argumento tum in notis, ubi utriusque partis auctores et rationes referuntur.

[5]) Inter quos Virgilius Æneid. V. 45 seq. et lib. VI. 79 seq. et alibi.

[6]) Hinc Æneas apud Virgilium VI. 74 seq. Sibyllam rogat:

... Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro.

[7]) Inutile censeo catalogum exhibere eorum, qui de Sibyllis ex recentioribus scripsere. Omissis itaque Buchnero, Carpzovio, Wagnero, Vossio aliisque non paucis, commemorabo tantum Honoratum a S. Maria Dissert. des oracles des Sibylles, in suis Réflexions sur les règles de la critique. Paris 1717., Nat. Alex.: Dissert. de libris Sibyll. in H. Eccl. et cum notis Zaccariæ., tom. IX. Thesauri theolog., Blandel: Des Sibylles célébrées tant par l'antiquité payenne que par les Pères. Paris 1649. et, qui post Card. Maium novos deperditos libros Sibyllinos vulgavit, Henricum Friedlieb: Oracula Sibyllina. Lipsiæ 1852.

Digitized by Google

805. Ad alias porro superstitiones, quæ penes antiquos obtinuere ac innumeræ prope sunt, referuntur potissime necromantia, hydromantia, haruspicia, auguria, sortes, maleficia etc. quarum unaquæque sub se varias species complectebatur. Quum vero hæ ad rem nostram parum aut nihil conferant, ideo vix eas attigisse nobis sufficiat. Qui plura de his cupit, poterit auctores qui copiose de his disseruerunt adire. [1])

806. Superest igitur ad huius articuli absolutionem, ut nonnullas circa superstitiones, quæ etiamnum apud paganos obtinent, aliquid adiiciamus. Modernæ itaque nationes, quæ adhuc in avita idololatria versantur, præter superstitiones, quæ apud veteres obtinuerunt (earum quippe omnium diabolus auctor et magister iugiter extitit), peculiares etiam suas habent, quæ magis accedunt ad illas, quæ ætate hac nostra vigent. Etenim Sinenses spiritibus valde familiares esse produnt historiæ; [2]) nec satis: siquidem et ipsi mensas in gyrum agendi arte pollent et ad loquendum excitandi; tum hæmathita scribendi, producendi somnambulismum magneticum, uti fidem facit missionarius oculatus testis P. Vinchot, [3]) quorum phænomenorum minutissima adiuncta descripsit Doctor Mac-Gowan. [4]) In Sina pariter spiritus, non secus ac in America et in Europa, constanter se animas defunctorum fingunt. Verumtamen populus eos habet, prout sunt, spiritus tartareos. [5]) Id ipsum contingit in Thibet, ubi spiritus invadunt sacerdotes idolorum Bocktes nuncupatos, qui respondent omnibus quæ ipsis proponuntur quæstionibus. [6]) Eadem occurrunt apud Indos orientales, penes quos reperiuntur etiam mensæ divinatoriæ, quibus Buddhistæ sacerdotes Lamæ utuntur, perinde ac medii nostri ad occulta

---

[1]) Inter hos eminet Del Rio, qui Magicarum disquisitionum lib. IV. q. VII. sect. I. seq. fuse et accurate de unaquaque pertractat.

[2]) Cf. Bartoli La Cina lib. I. edit. Rom. 1663. pag. 128 seq. et pag. 142.

[3]) Huius epistolam refert Diarium Univers mense April. 1857.

[4]) In artic. periodici Overland-China mail. 6. Jun. 1854. Huius articuli analysin exhibet Des Mousseaux, ac videri potest apud De Roys: La vérité sur le spiritisme. Paris 1863., cuius anno 1864. iam IV. prodiit editio, cap. XII. Cf. etiam Bizouard op. cit. lib. XXXI. chap. III. [5]) Ibid.

[6]) Ibid. c. XIII. ex relatione P. Huc in suo: Voyage aux Indes orientales. Cf. etiam Pailloux Le magnétisme etc. Troisième entretien. pag. 333.

Digitized by Google

ac deperdita reperienda. [1]) Nec aliter res se habet apud Tartaros seu Mongolicos in palingenesi magni Lamæ, quem recognoscunt ex responis ope dæmonis ad singulas quæstiones ei propositas. [2]) Et ita porro apud Japones aliasque infideles nationes.

807. Interim ex his, quæ vix summis labiis de antiquis recentioribusque paganis seu idololatris attigimus, ne longius rem protraheremus, deprehendimus, easdem ubique locorum superstitiones obtinuisse, quæ nexum habent cum superstitiosis ritibus et operationibus, quæ penes nostros magnetistas et spiritistas vigent. Horum comparationem paulo post instituemus.

Articulus II.

De sagis, magis, circulatoribus præsertim medii ævi in societate christiana.

808. Ne quid desit inquisitioni nostræ, post expensas superstitiones in societate pagana, percurrere, saltem quantum opus sit, nobis proposuimus ea, quæ huiusmodi etiam fuerunt in societate christiana, medio præsertim ævo, in quo potissimum sagarum, magorum, circulatorumque vafrities longe lateque diffusa est ac dominata.

809. Sagæ quæ et lamiæ ac striges nuncupantur, vulgo veniunt fœminæ illæ, quæ cum dæmone commercium habuisse dicuntur. Plura fabulosa de ipsis circumferuntur, præsertim respectu congressus nocturni et sabbaticarum conventionum, de quibus magno numero scriptores tam catholici quam protestantes lucubrationes ediderunt. [3]) Ex his alii eiusmodi commercii et congressus nocturni veritatem propugnant, inter quos eminet Martinus Del Rio ex catholicis [4]) et Nicolaus Remigius ex protestantibus. [5]) Contra vero phantasiæ ludibrio ac illusio-

---

[1]) Cuius rei testem oculatum se exhibet Dcherepanoff, doctus Russus, cuius relationem dedit Diarium La patrie die 3. Junii 1853.

[2]) Ita ex Huc Pailloux loc. cit., apud quem prolixa videri potest narratio totius negotii. pag. 333 seq.

[3]) Horum longum censum exhibet Tartarotti in erudita introductione ad suum opus: Del Congresso notturno delle lammie libri tre. Rovereto 1749. vol. in 4°.

[4]) In allegato op. Disquisit. magic.

[5]) In sua Dæmonolatria an. 1595.

Digitized by Google

nibus ea adscribunt Fridericus Spee, [1]) qui valide sese opposuit universim tunc receptis sagarum processibus, quibus non pauci innoxii morti addicebantur tam apud catholicos quam apud protestantes. Placet id confirmare confessione ipsorummet protestantium. De ipso loquens Fridericus Bierlirzius, Lutheranus homo, hæc habet: *Inter singularia sane referendum, circa ista tempora virum pontificiæ religioni addictum talia scribere ausum fuisse, quæ hodie vix inter protestantes utique proferre licet animo candido et veritatis amanti, nisi illepidas murmurationes adversus se excitare velit.* [2]) Et Lutheranus alter, Christianus Thomasius: *Hic* (Jesuita), inquit, *summam iniquitatem processus inquisitorii contra sagas ita ad oculum demonstravit, ut merito ruborem excutere debeat defensoribus huius processus inter evangelicos.* [3]) Huiusce vero operis effectus, teste Leibnitizio, fuit quod *non solum ab Electore Moguntino, sed et a ducibus Brunsvicensibus et a plurimis aliis principibus Germaniæ, illa iniquitas processus inquisitionis contra sagas fuerit abrogata.* [4])

810. Hisce non obstantibus, quamplurimi præsertim inter protestantes perrexerunt processibus illis iniquis patrocinari, sectati P. Del Rio, uti Carpzovius, Stennarus, Crusius, Casaubonus, Mauritius, Spigelius, Glanvilius, Van Helmontius, Hartzius, Gatmannus, inter quos Gotofredus Voigtius, professor Hamburgensis, an. 1667. thesim vulgavit: De conventu sagarum ad sua sabbata. [5]) Quinimo, uti testatur Thomasius, qui scripsit circa an. 1712.: *Pæne omnes iurisconsulti protestantes hunc auctorem* (Del Rio) *tantum non exscribere solent.* [6]) Nunc universim eiusmodi processus aboliti sunt.

811. Ceterum etiamsi demus, plura immovero pleraque etiam quæ de sagis vulgo circumferebantur seu maniæ seu imaginationi ac phantasiæ adscribenda esse, inficiari tamen nemo sobrius potest, non paucos tum ex viris, tum ex mulierculis

---

[1]) In op. Cautio criminalis, seu de processibus contra sagas, an. 1631.

[2]) De pyrrhonismo historico. cap. IV. §. 5. nota (n).

[3]) De origine processus inquisitorii contra sagas. §. 86.

[4]) Apud Thomasium op. cit. §. 88. nota (r).

[5]) Apud Tartarotti loc. cit.

[6]) In op.: De crimine magiæ. §. 2. 6. 46. seq. Quod tamen ne fieret lepidam hanc dat rationem: quod Del Rio *Lutherum et Lutheranos ac Reformatos cum impudentia et virulentia maxima traducit.* Quasi nempe sequi illum debuissent, si bene de Luthero ac Lutheranis locutus fuisset, quamvis errasset.

Digitized by Google

præcipue, reos extitisse atrocium criminum maleficii multigeni ex pacto et conventione cum cacodæmone, adeoque iuste fuisse extremo iudicio addictos. Quovis enim tempore scelestissimos extitisse homines, qui instrumenta dæmonum fuerint ad societatis perniciem, compertum est;[1]) nil mirum proinde, si infidelitatis identidem rei convicti fuerint et debita pœna affecti eiusmodi sive viri sive mulieres. Quod nobis satis est.

812. Quæstioni sagarum affinis est altera de magis. Magia generatim sumpta definiri potest: Ars aut facultas vi creata et non supernaturali quædam mira et insolita efficiens, quorum ratio sensum et communem hominum sensum superat.[2]) Cum causa efficiens horum mirorum ac insolitorum possit esse aut naturalis aut artificiosa aut diabolica, patet magiam pro istius causæ diversitate aut bonam esse posse aut malam, seu in bonum ac in malum ordinatam.[3]) Ut plurimum in malam partem tum a

---

[1]) Cf. Tartarotti op. cit. libro I. cap. III. seq., in quibus texuit historiam istiusmodi fascinationis, etsi ipse conventum nocturnum strenue impugnet. Cf. etiam Dictionnaire des superstitions, erreurs, préjugés, I. vol. in 4° Paris 1865. a Migne vulgatum. Ubi cl. auctor scite inter cetera scribit: *Au point de vue de la simple étude, on remarquera que notre mythologie actuelle (nous entendons toutes les traditions populaires) est ornée d' autant, et peut-être de plus de poësie que celle des anciens .... elle a aussi peuplé les airs et la terre et les eaux de génies de toutes sortes; elle a ses sylphes et ses sylphides, ses nymphes des fleurs, des fontaines et des forêts, ses gnomes qui rappellent les satyres, et toutes les familles de nains troglodytes, ses fées etc. Non seulement il y a plaisir à parcourir cette longue liste de traditions, de recits fantastiques; mais on n'y trouve pas toujours de pures aberrations, dont il faille se railler avec dédain; elles sont pour la plus-part de véritables annales qui nous aident à remonter d'âge en âge par une chaîne continue jusqu'aux temps primitifs. Elles nous exposent alors les mœurs et les coutumes des hommes, qui vécurent les premiers en société, et l'histoire des générations intermédiaires. En tous cas, il y a là une source d'investigations que la science, même théologique, ne néglige pas.*

[2]) Ita Del Rio lib. I. cap. 2.

[3]) Tantum abest, ut experimenta physica aut chimico-physica, quæ solent admirationem excitare, in malam partem excipiantur, ut potius tum utilia, tum quam maxime delectabilia sint ac sollerter promovenda. Sane his annis multiplices in communem usum de physicis rebus lucubrationes prodierunt ac porro prodeunt in lu-

Digitized by Google

veteribus tum a recentioribus sumi magiam seu magicam artem, exploratum est. Qua posteriori significatione accepta, magia definiri consuevit: Facultas seu ars, quæ vi pacti cum dæmone initi mira quædam et communem hominum captum superantia efficit. Licet vero pactum hoc cum dæmone initum fundamentum magiæ sit, non est tamen necesse, ut eiusmodi pactum sit semper expressum, sed satis est ut sit etiam tacitum tantum.

813. Dari dæmoniacam magiam, quæ in pacto aliquo cum dæmone consistat, non desunt qui omnino inficientur, [1]) dum alii mordicus eam adstruunt, et absque dubio gravioribus argumentis ducti tum ex Patribus, tum ex universa antiquitate ecclesiastica, tum denique ex iure canonico et constitutionibus pontificiis, in quibus diabolica eiusmodi ars iterum iterumque proscripta fuit et eam exercentes gravissimis pœnis addicti mulctatique sunt. Quocirca nonnisi temere magiæ existentiam etiam post Christi adventum, ac medio præsertim ævo, nonnulli inficiati sunt. Adversus quos docti ac eruditi viri insurrexerunt.[2])

814. Supervacaneum puto de magiæ origine disserere, quam antiquissimam esse, patet ex historia Mosaica, in qua invenimus magos Pharaonis suis præstigiis imitatos esse prodigia

---

cem, prout in priori huius tractatus sectione iam adnotavimus disserentes de magia.

[1]) Inter quos De Hæn eminet qui contendit post Christum eliminatam fuisse magiam; item Carli, Maffei, Luggiato, quorum recensionem exhibet doctus Zaccaria in sua Storia letteraria d'Italia, tom. II. pag. 64., tom. III. pag. 146., tom. V. pag. 423.

[2]) Præter Hieron. Tartarotti, qui quasi non sibi cohæreret accusatus fuit eo quod ex una parte sagarum existentiam negavit, ex altera vero duabus gravissimis epistolis, quas adtexuit operi cit. Del congresso notturno delle Lammie, magiæ existentiam adstruxit, P. Franc. Staidelius vulgavit opus cui tit.: Ars magica adserta. Tridenti 1750. Item Grimaldius dissertationem, con cui s'investiga quali sieno le operazioni che dipendono dalla magia diabolica, e quali quelle che derivano dalla magia artificiale e naturale, e qual cautela si ha da usare nella malagevolezza di discernerle. Roma 1751; et Philippus Maria Renazzi librum singularem de sortilegio et magia. Venet. 1792.; ceteris prætermissis, qui magno numero sunt, his annis palmam tulit eruditus Gœrres in op. La mystique. Troisième partie: La mystique diabolique. tom. V. Paris 1862., ex lingua Germanica in Gallicam versa a Carolo Sainte-Foi.

Digitized by Google

a Moyse edita.[1]) Hæc ars plus minusve ubique locorum dominata est nec umquam plene eradicari ac divelli potuit, sive id provenerit ex satanæ insidiis, sive ex antiquissima doctrina quæ penes Ægyptios, Persas aliosque populos orientales obtinuit de duobus boni et mali principiis: quæ quidem exitialis doctrina per Manichæorum sectam in christianismum invecta innumeros prope infecit, ac præcipue per sectas medii ævi Albigensium, Catharorum aliorumque hæreticorum diffusa est atque in catholicos etiam virus suum infudit, sive ex naturali quadam vitiosa hominum ex peccato primordiali provéniente propensione tum ad cognoscenda futura, tum ad comparandas divitias, tum ad voluptates consectandas.[3]) Hi siquidem omnes cum cupiditates suas explere non valerent, pronum ipsis fuit ad dæmonum opem confugere, cum quibus pacta sua sive expressa sive tacita, ut diximus, inierunt. Qua in nequitia adeo interdum scelestissimi homines progressi sunt, ut non dubitarent Deo et Christo eius nuncium remittere, ut diabolo adhærerent.[4])

815. Ut autem ad nutum suum obsequentes dæmones habeant huius artis sectatores, habent signa sua, quæ promunt aut verbis, aut characteribus, aut ritibus peculiaribus. Nam, ut iamdiu monuerunt antiquissimi Patres, dæmon Deum æmulatur ita, ut quæcumque Deus ad sanctificationem nostram instituit, ipse in sectatoribus suis imitetur. Habet enim et ipse suos ritus, sua sacramenta, sua verba consecratoria, quibus cultores suos signet et distinguat. Speciminis gratia unum vel alterum huius rei vadem dabo. S. Irenæus loquens de Carpocratianis, cum scripsisset: *Artes etiam magicas operantur et ipsi, et incantationes, philtra quoque et chartesia, et paredros et oniropompas et reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum iam principibus et fabricatoribus huius mundi,*[5]) subdit de signo inusto: *Alii vero ex ipsis signant, cauteriantes suos*

---

[1]) Exod. cap. VII. et VIII., in quem locum cf. Alfonso Nicolai Dissertaz. e lezioni di sacra scrittura. Firenze 1763. tom. VIII. lez. VII. sull' Esodo.

[2]) Cf. Gœrres op. cit. lib. VIII. cap. II. seq. sect. I., ubi historiam texuit originis et progressus magiæ in universam Europam.

[3]) Del Rio op. cit. lib. II. q. 4.

[4]) Cf. Bizouard: Des rapports de l'homme avec le démon. tom. I., qui toto libro V. cap. I. seq. fuse ac erudite universum hoc argumentum persequitur. Item tom. II. lib. VI. cap. I. seq. historiam magiæ a sec. XV. ad sec. XVII. inclusive refert.

[5]) Lib. I. cap. XXV. n. 3. ed. Massueti.

Digitized by Google

discipulos in posterioribus partibus extantiæ dextræ auris. [1]) Tertullianus vero refert, dæmonem alios signare consuevisse in fronte scribens: *Diabolo scilicet, cuius sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos, expositionem de lavacro repromittit; et, si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem.* [2])

816. Dum vero fingit diabolus, se signis illis obligari ut præsto sit quandocumque voluerint sectatores eius et præstet quod ipsi exoptant, vicissim ab illis postulat ut se obligent ad eiurandum Christum, eiusque Ecclesiam per formalem apostasiam a fide, ut se adstringant ad persequenda obiecta sacra piosque Dei cultores et sanctos; nempe ad eum modum, quo nunc sectarum occultarum, francorum-muratoriorum præsertim, quos vocant, candidati, dum initiantur se facturos pollicentur, ac imaginem Christi Domini eiusque sanctissimæ matris pedibus proculcant aut stylo feriunt et ita porro. [3])

817. Exinde fit, ut istiusmodi homines quadam cum dæmone familiaritate et amicitia fruantur, eiusque cooperatores sint ad perniciem omnem inferendam Christi Ecclesiæ atque societati ipsi politicæ universæ. Siquidem diabolus, natura sua Dei et hominis hostis et adversarius cum sit, non potest non utrumque odisse ac propterea ad idem odium et bellum utrique inferendum compellere. Sicque ratio redditur infelicis, in qua nunc versantur Ecclesia et politica societas, conditionis cum eiusmodi sectarii magna ex parte dominentur in mundo habenasque ut plurimum negotiorum publicorum tractent, aut saltem magnum in ea exerceant influxum.

818. Animadvertendum autem sedulo est, magiam quidem, de qua disserimus, quoad substantiam unam eamdemque esse, ast multiplicem esse quoad modum et quoad media, quibus exer-

---

[1]) Ibid. n. 6.

[2]) Lib. de præscript. hæret. c. XL. ed. Rigalt.

[3]) Istoria, dottrina e scopo della frammassoneria. Vienna 1861. Item Eckert La Franc-Maçonnerie: Trad. de l'Allemand par l'abbé Gyr avec les documents authentiques de la Franc-Maçonnerie Belge et Française. Liège 1854. duobus volumin. Cf. Bizouard op. cit. Des rapports etc. tom. VI. liv. XXXVI. ch. II. Les sociétés sécrètes.

Digitized by Google

cetur. Sub hoc respectu vere eam vocaveris Proteum, qui sub variis formis iugiter sese offert, ut pallio tecta se abscondat atque hac ratione facilius decipiat mutato nomine mutatisque formis, atque interea incauti, dum ætate hac nostra longe se ab artibus magicis mediæ ætatis distare gloriantur, in densis medii ævi tenebris versantur, ut paulo infra ostendemus. Sic Deus huius sæculi tumentes sapientes confundit.

819. Ad hanc ipsam magicam artem veluti insiticii rami spectant circulatores, seu malefici, theurgii, incantatores, vanæ observantiæ sectatores aliique pæne innumeri, quibus solemne est in usus suos adsciscere superstitiosa, quæ nonnisi a dæmone auctore aut impulsore esse possunt. Cum vero hæc in longum protrahere inutile foret neque ad scopum nostrum referantur, ideo hæc missa facimus et eos qui istiusmodi rebus delectantur ad auctores remittimus, qui ex professo de iis pertractarunt.[1])

Articulus III.

De identitate spiritus in superstitione penes veteres et recentiores.

820. Quæ hactenus præmissa sunt, non constituunt nisi prodromum eorum, quæ in præsenti articulo erant a nobis discutienda. Siquidem studium nostrum eo conferimus, ut detegatur, immo vero etiam ostendatur, quod origo, progressus, ac perfectio illorum omnium moliminum, quæ ætate hac nostra maxime obtinent in magnetismo animali, somnambulismo ac spiritismo, non ab alio accersenda sint quam a cacodæmone. Hic enim solus est, qui ut veteres, sic etiam recentiores impellit et adiuvat, ut ea moliantur et porro agant aut iisdem aut diversis mediis, quæ olim sub paganismo, aut medio ævo in societate christiana a perversis hominibus peracta sunt, superstitionibus omnigenis operam dantes. Quo fit, ut probro verti debeat sæculi XIX. hominibus iniquis, qui adeo tumide insultant medianæ ætati, utpote tenebricosæ et superstitioni deditæ atque artibus divinationis, magiæ, necromantiæ aliarumque id genus operationum, cum ipsi immutatis nominibus ac mediis idem præstent.

---

[1]) Inter alios recensemus Del Rio in op. cit. lib. III. et IV., Thiers in tract.: De superstit. lib. II. et seq., Le Brun: Hist. des pratiques superstitieuses. Paris 1732. tom. II. liv. VI., Bizouard op. cit. lib. VI. VII. et VIII.

Digitized by Google

Quodque peius est: Quod illi in occulto faciebant quodam pudore affecti et a societate universa reprobati, isti palam, publice nec sine inanis gloriæ lenocinio exhibent, ac libris, ephemeridibus, pagellis, periodicis collectionibus satagunt omnibus, quibus possunt, mediis suadere eiusmodi superstitionum usum et praxin. [1])

821. Quo factum est, ut non minimam partem societatis his superstitionibus infecerint ac porro pergant in dies inficere. Non pauci, ingenti animarum suarum pernicie, permoti illiciente curiositate futuri noscendi sive quoad se, sive quoad alios spectat, seduci se patiuntur; plures præterea, falsa persuasione experimenta magnetismi, somnambulismi ac spiritismi innoxia existimantes, haud verentur vel in privatis ædibus, vel in conventiculis ad id institutis ea frequentare. Quod si forte ab initio nil mali in ipsis suspicantes illis se immiscent, experientia ostendit, incautos eiusmodi sive viros sive mulieres, potissime vero pueros ac puellas, pedetentim perduci ad diabolica mysteria sectanda.

822. Ut igitur tanto ingruenti malo obviam eamus, atque ut sanctuarii iuvenibus levitis, qui futuri aliquando sunt christiani populi institutores, idoneam præbeamus istorum omnium notitiam, qua efficacius valeant populos sibi commissos ab adeo perniciosa praxi et usu avertere, constituimus aperire totam tenebrosi huius moliminis malitiam, ostendendo nova hæc inventa non esse nisi dæmonis insidias ad perditionem hominum excogitatas. Insuper et illud ostendere non prætermittimus, a protestantismo diabolicas has artes ortas esse, et apud protestantes primum fuisse potissime disseminatas ac propagatas antequam catholicos invaderent, atque in protestantismo etiamnum cultum obtinere.

823. Quandoquidem vero nefarii hi homines haud erubuerunt opponere phænomena magnetismi animalis, somnambulismi ac spiritismi miraculis ac vaticiniis Christi Domini et apostolorum, præcipue autem miraculis et vaticiniis ceterisque charismatis, quæ leguntur in vitis sanctorum ecclesiæ catholicæ,

---

[1]) Tum America, tum Europa eiusmodi operibus atque ephemeridibus redundant. Satis nobis sit recensere opera Allan Kardec, superius commemorata, item celebris Home, nec non Cahaguet, Dupotet aliorumque plurimorum, quæ nimis longum esset singillatim recensere.

Digitized by Google

cogimur istorum omnium vindicias suscipere ad illorum veritatem adstruendam.

824. Hæc porro omnia persequamur in hoc atque in insequenti capite continenti propositionum serie, quibus tractationem hanc nostram absolvemus, adiectis corollariis quæ exinde deducuntur. Sit itaque

Propositio I.

Magnetismus animalis, somnambulismus ac spiritismus in suo complexu nil aliud sunt, quam paganæ superstitionis atque imperii dæmonis instauratio.

825. Christus unigenitus Dei filius, ut diximus, ideo in hunc mundum venit, ut dissolveret opera diaboli [1]) atque principem huius mundi eiiceret foras, [2]) et sic Patris sui instauraret regnum peccato perditum electosque in paradisum perduceret. Hæc exemplis, doctrina ac morte sua consecutus est. Opera autem diaboli in argumento, quo de agimus, sunt idololatria, oracula, magia, incantationes, obsessiones et possessiones hominum ac superstitiones omnigenæ, quarum ipse auctor extitit in pagana præsertim religione, ac deinceps in religione christiana.

826. Licet vero Christus statim a morte sua ac unico, ut ita loquar, temporis momento id omne operatus non sit, nemo tamen negaverit, paullatim diaboli opera hæc imminui cœpisse, ac temporis progressu ex christianismi in mundum propagatione magis semper ac magis ita defecisse, donec plene evanuerint, saltem apud cultiores nobilioresque orbis nationes. Nam idololatricus cultus non obstantibus fulcimentis ad eum sustentandum adhibitis ex parte imperatorum, philosophorum, sacerdotum, ita sub tempora imperatoris Constantini defecerat, ut maior imperii pars christiana effecta fuerit. [3]) Idem dic de oraculis, quæ post Christi mortem ubique locorum ad silentium redacta sunt; quo referuntur historia a Plutarcho relata de morte Pan, [4]) et ethnicorum questus quod christiani deos suos

---

[1]) I. Jo. III. 8. [2]) Jo. XII. 31.

[3]) Cf. Custum Innoc. Ansaldi in dissert.: De multitudine eorum, qui primis seculis religionem christianam professi sunt. Aug. Taurin.; item Spedalieri cont. Gibbon.

[4]) Cf. Baltus: Suite de la réponse à l'histoire des oracles.

Digitized by Google

exterminaverint. [1]) Nec aliter contigit magicæ arti aliisque recensitis superstitionibus, quæ vix non evanuerunt. [2]) Quoad possessiones autem et obsessiones dæmonum, apud Patres eosque antiquissimos exploratum est, eas cessisse christianorum exorcismis, ita ut fuerit ab ecclesia exorcistarum ordo institutus ad dæmones ab hominum corporibus depellendos. [3])

827. Defervescente autem christianorum fide ac ultro se dæmonis captivitati tradentibus nefariis hominibus, cœpit hic iterum dominari, ita ut media præsertim ætate magia, maleficium, incantationes cum reliquis adnexis magnum adepta fuerint per universam Europam incrementum, ope præsertim sectarum Patarinorum, Albigensium aliorumque eiusmodi obscurorum hæreticorum, qui totidem fuerunt surculi Manichæorum.[4]) Ecclesiæ vero vigilantia factum est, ut ingruens malum averteretur. Attamen eiusmodi flagellum humanitatis, quod prope penitus depulsum videbatur, præsertim ex quo opposita de materialismo doctrina penes philosophos anteacti sæculi XVIII. invaluerat, recruduit mirum in modum minaturque denuo societatem universam. Insonant nunc iugiter auribus nostris nomina magnetismi animalis, somnambulismi ac spiritismi, ac ubique gentium experimenta vigent uniuscuiusque, animosque incessit quidam veluti furor ea frequentandi, captos mirabilibus phænomenis quæ per ea eduntur.

828. Porro ut probemus magnetismum animalem, somnambulismum ac spiritismum in suo complexu spectatos nihil aliud esse, prout enunciavimus, quam paganæ superstitionis atque imperii dæmonis instaurationem, sic instituimus argumentum

---

Amsterdam 1719. part. I. ch. III., prout eam retulit Eusebius in op.: De præparat. evangel. cap. XV. ex Plutarcho.

[1]) Ibid. cap. XVII. et secunda part. c. XX.

[2]) Cf. J. B. Thiers op. cit.: Traité des superstitions. Paris 1697. liv. II. ch. IV.: De la magie. Item Le Brun: Histoire critique des pratiques superstitieuses. Paris 1732. liv. II. ch. III.

[3]) Baltus op. cit. I. part. ch. XIX.

[4]) Cf. Pluquet Dictionn. des hérésies. Paris 1845. tom. I. art. Albigeois. Item Langlois: Hist. de Languedoc., Hist. des Albigeois, nec non Bizouard op. cit. tom. I. liv. V. chap. III.: Introduction des doctrines payennes aux douxième et treizième siècles, ubi horribilem exhibet illius ætatis hæreticorum superstitionem et abominabiles mores, qui sine pudoris iactura referri nequeunt.

Digitized by Google

pro duplici enunciatæ propositionis parte. Ac primo: Illud dicendum est paganæ superstitionis instauratio, ac propterea etiam secundo instauratio imperii dæmonis, quod præ se fert omnes characteres superstitionis quæ in paganismo obtinuerat, ac etiamnum obtinet in paganismo contemporaneo, quod eadem phænomena per eadem media producit: quod denique neque ab adversariis negatur. Atqui talia sunt et experimenta et media et effectus magnetismi animalis, somnambulismi et spiritismi si in suo complexu spectentur. Ergo. Rursum: Per illud dæmonis instauratur imperium, per quod ipse denuo christianos a fide et a Deo retrahit, per quod sibi christianos mancipat, ut in exitium perducat æternum. Atqui id efficit dæmon per magnetismum animalem, per somnambulismum ac spiritismum. Ergo. De utraque maioris parte ambigi nequit. Superest igitur, ut veritatem evincamus utriusque in proposito argumento partis minoris.

829. Atque ut a prima exordiamur, satis nobis erit characteres tum præsentis tum paganicæ operationis inter se conferre, phænomena item cum phænomenis, media cum mediis, ac deinceps confessione adversariorum communire et consignare nostram collationem.

830. Jam vero characteres magnetismi animalis, somnambulismi et spiritismi ex demonstratis sunt: I. Quod principalis in ipsis agens sit intelligens ac volens, præternaturalis et malus. Porro eiusmodi pariter fuisse principalem agentem penes veteres recentioresque paganos, ex ineluctabilibus documentis nobis constat.

831. Talem enim nobis principalem agentem exhibent quotquot ex antiquis de his egerunt. Ac primo S. Irenæus, qui passim diabolum auctorem describit malorum operum, ad quæ homines inducit, tenentem illos in captivitate, uti cum dicit fortem a Christo ideo appellatum in comparatione nostra, cuius *vasa et domus nos eramus, cum essemus in apostasia, utebatur enim nobis quemadmodum volebat, et spiritus immundus habitabat in nobis.* [1]) Quibus verbis aperte diabolum, utique principalem agentem præternaturalem et malum designat, qui nobis utitur ad finem sibi propositum. Sic etiam Tertullianus graphice dæmonis vafritiem describit, qua consuevit hominibus opitulari in superstitiosis operibus, dum hæc inter cetera scribit

[1]) Lib. III. contr. hæres. cap. VIII. n. 2.

Digitized by Google

de variis magicæ artis cultoribus: *Publica iam littera est, quæ animas etiam iusta ætate sopitas, etiam proba morte disiunctas, etiam prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus magiam? Quod omnes pæne: fallaciam. Sed ratio fallaciæ solos non fugit christianos, qui spiritalia nequitiæ, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus; multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatricem scientiam ... in qua se dæmones perinde mortuos fingunt ... Sed dæmones operantur sub obtentu earum; et hi vel maxime, qui in ipsis tunc fuerunt cum adviverent, quique illos in huiusmodi impegerunt exitus.... Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, quum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut et alibi deum; nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere quod prædicamus. .... Et tamen ille dæmon, postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus, id quod in vero est, invitus confitetur.* [1]) Ex quibus discimus, non solius magiæ, sed et evocationis et invitationis ad operationem, et fictionis animæ cuiusvis defuncti dæmonem auctorem extitisse.

832. Adiicimus auctoritatem S. Justini M., qui utrumque præcessit ætate. Ipse in Apologia I. aperte sic de dæmonibus scribit: *Contendunt summopere, ut vos servos et ministros habeant: ac nunc quidem per somniorum visa, nunc per magicas præstigias eos omnes capiunt, qui de sua salute nihil laborant.* [2]) Neque ab eo seiungendus est ipsius quondam discipulus Tatianus, qui in eumdem sensum de dæmonibus scribit: *Ut autem vident consentire homines, ut sibi per eas res ministretur; nunc supervenientes efficiunt, ut sibi homines serviant.* [3])

833. Omitto quæ de hoc ipso argumento habent Origenes,[4]) Clemens Alex.,[5]) Arnobius,[6]) S. Cyprianus [7]) aliique, quorum

---

[1]) Lib. de anima cap. LVII. [2]) n. 14. edit. Maran.

[3]) Contra Græc. orat. n. 17.

[4]) De princip. lib. III. c. 3. n. 3. 4. et contra Cels. lib. II. n. 51 seq. ed. De la Rue.

[5]) In admonitione ad gentes ed. Sylburg. p. 46 seq.

[6]) Disput. adversus gentes. lib. VII., præsertim vero lib. I. ed. Gallandii tom. IV.

[7]) Epist. ad Demetrianum et ad Donatum, ed. Maur.

Digitized by Google

una sententia est, dæmones esse qui præstigias operabantur tum per magiam, tum per alia superstitiosa molimina, quæ nempe naturalem ordinem excedunt, seu quod idem est: agentem principalem penes veteres paganos fuisse intelligentem, præternaturalem ac malum. [1])

834. Sed quod magis ad rem nostram confert, est ipsorum ethnicorum confessio, dum adstruunt, malos dæmones esse qui homines decipiunt operationibus suis. Ita Porphyrius, qui *genus quoddam naturæ subdole, conforme ac versutum causam esse* refert *vaticinii, dum simulat deos, genios animasque defunctorum.* [2]) Ænesius Platonicus: *Audis*, inquit, *cuiusmodi sint umbrosæ ad tumulos imagines, quæ circa corpora, animorum simulacra et idola vulgo esse putantur.* Cui respondet Euchiteus: *Nondum didicisti, maleficos dæmones materiæ involucro septos humanas imitando animas mentiri, et magos necromantiæ peritos polliceri, se eos qui iam mortui sunt ab inferis excitaturos, qui tamen hominum animas carminibus non eliciunt, sed dæmones, qui formas mortuorum induunt.* [3]) Et hos speciminis gratia attulisse sufficiat, ut magis appareat, nonnisi dæmones esse, qui aut aperte aut subdole sub animarum fictione mira operabantur ac respondebant quæstionibus sibi propositis. [4])

835. II. Alter character magnetismi, somnambulismi et spiritismi est, ut per delectos homines, viros aut fœminas, per intermedios, per instrumenta, fac mensas, tripodes aliaque eiusmodi, oracula promant. Jam vero et hæc omnia in usu fuisse

---

[1]) Talia occurrunt apud S. Athanasium in vita S. Antonii, apud S. Hieronymum in vita S. Hilarionis, et in epist. seu Epitaphio ad Eustochium, apud S. Hilarium Pictav.: Contra Constantium, n. 8., apud S. Paulinum in Natal. VII. S. Felicis, apud Sulpic. Severum dial. III. de virtut. B. Martini, ubi se testem exhibet oculatum scribens: *Vidi quemdam adpropiante Martino in aërem raptum manibus extensis in sublime suspendi, ut nequaquam solum pedibus attingeret.* Imo subdit: *Ad hæc probanda . . . non unum ego hominem, sed multa millia producam.* Scribit præterea: *Tum vero cerneres miseros diverso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum.*

[2]) Apud Jamblicum Segm. 3. cap. 32.

[3]) Lib. de anima.

[4]) Cf. Baltus: Suite de la réponse. I. part. chap. V. seq., ubi documenta ethnicorum magno numero collecta inveniuntur.

Digitized by Google

apud veteres paganos ostendere operosum non est, cum nobis pariter suppetant certa documenta. Sane Tertullianus, de circulatoriis præstigiis agens, scribit: *Si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt... Si et somnia immittunt, habentes semel invitatorem angelorum et dæmonum assistentem potestatem, per quos et capræ et mensæ divinare consueverunt.*[1]) Eiusdem mensæ ab ethnicis adhibitæ ad respondendum meminit Virgilius canens:

... Huc undique Troia gazæ
Incensis erepta adytis, mensæque deorum[2])

seu dæmonum. Et Ammianus Marcellinus refert: ... *instruxisse ad cortinæ similitudinem de laureis virgulis hanc mensulam.*[3]) Mensam hanc Sozomenus tripodem vocavit.[4]) Philostratus in vita Apollonii Tyanei refert quod cœnæ regiæ *tripodes pythici quatuor sponte sua in medium processere,*[5]) *sicut etiam ab Homero narratur.* Quod vero hic a Philostrato ab Homero narratum dicitur, reipsa in Iliade invenitur, ubi a Vulcano tripodes viginti fabricatas refert, *qui starent ad parietem domus, quibusque aureas rotas subdiderat, ut illi sponte sua divinum ingrederentur cœlum, et rursus domum redirent.*[6])

836. Præter mensas, mensulas et tripodes S. Augustinus commemorat signa alia, quibus ex conventione dæmones utebantur ad suas præstigias efficiendas. Sic enim scribit S. Doctor:

---

[1]) Apolog. cap. XXIII.

[2]) Æneid. lib. II. v. 763. seq., in quem loc. cf. De la Cerda in nota 13., ubi ostendit de tripodibus aut mensis ibi agi per quas dii oracula dabant.

[3]) Lib. XXIX. cap. I. §. 28. 29. edit. Wagner. Lipsiæ 1808.

[4]) Lib. III. cap. 35., ubi scribit: *Tripodem ligneum ex lauro fabricarunt, et invocationibus ac verbis solemniter consecrarunt* ad divinandum futurum imperatorem.

[5]) Lib. III. cap. VIII. edit. Ald. Venet. 1502.

[6]) Iliadis lib. XVIII. v. 570—77. In quem locum cf. Ch. Tol. Damm. in: Novo lexico græco. Londini 1827. pag. 898., qui censet, artificio quodam hos tripodes ita fabrefactos fuisse ad instar horologii, ut ex se moveri possent; et affert exempla poculorum, quæ et domini nutu ad designatum convivam se deferrent. Verum aliquid rationalisticum in hac nota olet ad excludendum supernaturale. Sane si Philostratus, Homericii sensus bene gnarus, comparat tripodes pythicos cum tripodibus a Vulcano elaboratis seseque sponte moventibus, profecto non de aliis intelligere possumus Homerum quam de tripodibus pythiis esse locutum.

Digitized by Google

Omnes artes eiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum quasi pacta quædam infidelis et dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda et fugienda christiano: Non quod idolum sit aliquid, ait apostolus, sed quia quæ immolant, dæmoni immolant, et non Deo: nolo autem vos socios dæmoniorum fieri. Quod autem de idolis dicit apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam eiusque partes tamquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque observationum curam pertinent. [1]) Et alibi: *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos discipulos suos faciunt plurimorumque doctores. Neque enim potuit, nisi primum ipsis docentibus, disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur; unde magicæ artes earumque artifices extiterunt. Maxime autem possident corda mortalium, qua potissimum possessione gloriantur, cum se transfigurant in angelos lucis.* [2])

837. Sed ut accedamus ad alia particularia media, quæ in antiquitate in usu erant ad eiusmodi superstitiones, novimus ex antiquis receptum esse, ut infirmi deferrentur in templum Æsculapii ibique morarentur, donec apto remedio sanitatem recuperarent, de quo refert Livius, quod: *Sigonem inde et Argos, nobiles urbes, adit (Æmilius Paulus), inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytum Æsculapii nobili templo, quod quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverant deo.* [3]) Eadem habet Strabo,[4]) Celsus,[5])

---

[1]) De doctr. christiana. lib. II. cap. XXIII.

[2]) De civit. Dei. lib. XXI. cap. VI. n. 1. Cf. de hoc argumento Des Mousseaux: Mœurs et pratiques des démons. Paris 1854. chap. XVII.: Les sacrements du diable.

[3]) Lib. XLV. cap. XXVIII. ed. Ruperti, ed. Taur. tom. VIII.

[4]) Lib. VIII.

[5]) Apud Origen. lib. VIII. sub init. et lib. VIII. circa medium.

Digitized by Google

Julianus apostata,[1]) aliique passim.[2]) Nobis satis sit compendii causa exscribere verba Tertulliani, quæ hæc sunt: .... *benefici plane et circa curas valetudinum. Lædunt enim primo (dæmones), dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova sive contraria, post quæ desinunt lædere, et curasse creduntur.*[3]) Dormiebant autem infirmi in templis apud Ægyptios non secus ac in Græcia et in Syria, ut in somniis admonerentur de idoneo morbis curandis remedio. Qua superstitione infecti fuerunt nonnulli infideles et prævaricatores Hebræi, qui propterea in Isaia a Deo arguuntur dicente: *Qui habitant in sepulchris et in delubris dormiunt.*[4])

838. Alii autem in eundem finem alia superstitione utebantur, ut nempe dæmonem per lignum consulerent. Siquidem inter alia divinationis genera numeratur illud, quod a Græcis dicitur ῥαβδομαντεία, seu divinatio per virgam seu baculum, quo instrumento in divinando utebantur. Talis erat auguralis lituus, qui genus quoddam erat baculi, pastorali similis, de quo sic Cicero: *Lituus erat incurvum et leviter a summo inflexum bacillum.*[5]) Hinc est, quod populum suum Deus pariter ob eiusmodi crimen graviter reprehendit illis verbis apud Oseam: *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annuntiavit ei.*[6]) Alias plurimas superstitionis formas, quas huc referre possem, omitto, ut brevitati consulam.

---

[1]) Apud Cyrillum. lib. VII.

[2]) Cf. Baltus: Suite de la réponse. II. part. chap. XVIII.

[3]) Apolog. cap. XXII. ed. Rigalt.

[4]) Is. LXV. 4., ubi notandum, in prima periodo designari impiæ superstitionis sectatores et magicæ seu præstigiatricis artis studiosos; quia cum dæmone assidue loquuntur illumque in dubiis magistrum habent. Dæmonem vero in sepulchris habitare aut circa illa oberrare frequenter, communis erat non solum vulgi, sed etiam doctorum opinio, ut docet S. Joan. Chrysostomus Hom. XXXV. in Matth. Quoad alteram periodum S. Hieronymus scribit, gentiles in templis incubare solitos in pellibus, quas ex immolatis hostiis detraxerant, ut ibi somnia captent, quibus de futurorum eventu doceantur, idque adhuc suo tempore in Æsculapii fano observari tradit. In usu autem esse ut in Æsculapii templo dormirent qui illius medica indigerent ope, docet Aristophanes in Pluto. Cf. Sanctium in hunc locum.

[5]) De divinat. lib. I.

[6]) Osee IV. 12., in quem loc. cf. Sanctium.

Digitized by Google

839. Tertius character constituitur ex phænomenis quæ indidem proficiscebantur. Ac primo futurorum prævisio, seu potius coniectatio, ita ut non paucæ verificarentur, licet in pluribus homines deciperent: cuius rei tot documenta habentur, quot oracula penes antiquos celebrata sunt, quin necesse sit ea singillatim percurrere. [1]) Secundo est visio in distantia, ita ut eodem instanti quo aliquis eventus in regione longissime dissita contigerat, illico annunciaretur adstantibus, cuius rei plura exempla suppetunt tum in antiquitate, tum ætate posteriori. Nos speciminis gratia unum aut alterum proferemus. Præter illud celebre oraculum legatis Crœsi redditum, de quo Herodotus, [2]) Eusebius, [3]) Porphyrius, [4]) alia exempla nobis suppeditat Tullius scribens: *Recentiore memoria iidem Tyndaride Persen victum nuntiaverunt. P. enim Varienus, avus huius adolescentis, cum præfectura Reatina Romam venienti noctu duo iuvenes cum equis albis dixissent, regem Persen illo die captum, senatui nuntiavit; et primo quasi temere de republica locutus esset, in carcerem coniectus est: postea Paullo literis allatis, cum idem dies constitisset, et agro a senatu et vacatione donatus est. Atque etiam cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio devicissent: eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ, memoriæ proditum est.* [5]) Hæc aliaque his similia ethnici deorum suorum bonitati in acceptis habebant; ast Tertullianus, Minutius Felix, Lactantius, S. Augustinus vafritiei dæmonum adscribunt. Unius Augustini verba referre placet, qui cum scripserit: *Postea parvo intervallo servus cuiusdam Lucii Pontii vaticinando clamavit: a Bellona nuntius venio, victoria tua est, Sylla! Deinde adiecit, arsurum esse capitolium. Hoc cum dixisset, continuo egressus e castris, postera die concitatior reversus est, et capitolium arsisse clamavit: arserat autem revera capitolium.* Quibus præmissis,

---

[1]) Cf. Gœrres: La mystique. tom. IV. liv. VI. chap. VIII., qui non pauca exempla profert desumpta tum ex antiquitate tum ex ætate media ac demum ex recentissimis temporibus. Fuse de incertitudine, ambiguitate et falsitate antiquorum oraculorum egit Eusebius: De præparat. evang. lib. V. cap. XVIII. XIX. seq.

[2]) Hist. lib. I.

[3]) Op. et loc. cit. cap. XXI.

[4]) In vita Plotini.

[5]) Cic.: De natura deor. lib. II. Hæc ipsa exempla referunt Valerius Max., Dionysius Halicarn., Strabo, Florus, quibus adiiciendus est Plutarchus in vita Pauli Æmilii et Syllæ, qui etiam alia refert eiusmodi exempla.

Digitized by Google

concludit S. Augustinus: *Quod quidem dæmoni et prævidere facile fuit, et celerrime nunciare;*[1]) prout etiam Tertullianus animadvertit, scribens de dæmonibus: *Momentq ubique sunt; totus orbis illis locus unus est, quid ubique geratur tam facile sciunt quam enuntiant.*[2]) Quoad exempla sequioris ætatis, non pauca referunt qui ex professo de magnetismo animali opera ediderunt.[3])

840. Aliud phænomenon est somnambulismus artificialis. Jam vero penes veteres eum obtinuisse, testis est Plautus, qui in Amphitruone introducit Mercurium comminantem, se quempiam in somnum inducturum manuum contrectatione: *Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat?*[4]) Idem dic de clara intuitione atque de intuitione secunda, quam in usu fuisse etiam apud veteres paganos ac deinceps ætate subsequente, documenta certa nos dubitare non sinunt; licet id contigerit sub aliqua distincta ac peculiari forma, fac per aliquem lapidem aut crystallum, quorum ope et distantia et futura cernebantur, perinde ac ope speculi aut aquæ transparentis. Pausanias nobis retulit rationem, qua hæc exercebantur Patræ in Achaia.[5]) Ex Spartiano novimus, Julianum imperatorem eiusmodi medium usurpasse.[6]) Joannes vero Salisburiensis narrat, unum ex magistris suis voluisse in adolescentia sua crystallo uti ad hunc finem, sed invenisse non aptum.[7]) Pellerus inter ceteros loquitur speciatim de quodam intuente, qui ope crystalli

---

[1]) Lib. II. de civit. cap. XXIV. n. 2. Cf. Baltus: Suite de la réponse. II. part. chap. VIII.

[2]) Apolog. cap. XXII. n. 3. In quem loc. cf. La Cerda.

[3]) Eiusmodi sunt Mirville: Questions sur les esprits. tom. II., Des Mousseaux, Gœrres lib. cit., ad quos lectores remitto ne longior sim.

[4]) Act. I. In quem locum cf. not. Dionys. Lambini.

[5]) Descriptio Græciæ lib. VII. cap. 21., ubi refert quod Patræi *speculum tenui suspensum funiculo demittunt, ita librantes ut in fonte omnino non mergatur . . . inspiciunt in speculum: et ex eius imaginibus periturusne an victurus is æger sit, de quo consuluerunt, divinant.* Ed. Didot. Paris 1845. pag. 351.

[6]) Ælii Spartiani: Didius Julianus imperator, qui refert, quod *quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt et carmina profana incantaverunt, et ea, quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Julianus fecit.* Ed. Augustæ Batav. 1681. pag. 584 seq.

[7]) In Policratico lib. I. in biblioth. PP. Coloniens. tom. XII.

Digitized by Google

ostendit oratori Anglico reges Angliæ, qui succedere deberent illi qui actu regnabat, [1]) et ita porro. [2])

841. Possem hoc ipsum argumentum persequi ex evocatione spirituum seu dæmonum, qui sub animarum defunctorum specie apparebant, quam pariter ex antiquitate scimus frequentem fuisse, ut patet ex Neo-Platonicis alexandrinis Jamlicho, Proclo et Porphyrio. [3]) Immo et hos spiritus spontanee percussisse sive mensas, sive parietes, sive aliud quodvis obiectum ut sese manifestarent, res est testatissima apud antiquos; [4]) quod fatentur vel ipsi magnetismi animalis et spiritismi antesignani huius temporis, cuiusmodi est Dupotet. [5]) Verum cum aliquid de hac evocatione iam superius attigerim, hæc innuisse sufficiat.

842. Addenda potius censeo ea quæ spectant ad medios (mediums vocant) seu mediatores, quos pariter aio antiquis ignotos minime fuisse, quorum officium ac munus fuit commercium inter spiritus et consulentes instituere. S. Augustinus cum retulisset Porphyrii epistolam ad Anebuntem Ægyptium qui eum consuluerat circa artes sacrilegas, et in qua plura habet

---

[1]) In Politic. scelerat. part. III. n. 43—45.

[2]) Cf. Gœrres op. et loc. cit., ubi plura eiusmodi exempla congessit ex quavis ætate, tum nempe cap. VIII. tum cap. IX. libri IV., ac item toto lib. V.

[3]) Cf. apud Des Mousseaux: Mœurs et pratiques des démons. chap. XIV.

[4]) Cf. Thyræum: De infestis ob molestantes dæmoniorum et defunctorum hominum spiritus locis. Lugduni 1599. part. I. et II. Item: De apparitionibus spirituum. Coloniæ Agripp. 1605. tract. I. cap. 2. Item: Dæmoniaci cum locis infestis et terriculamentis nocturnis. Colon. Agripp. 1604. præter alia duo opera hoc de ipso argumento. Cf. item Lettre on démonology. lett. IV. pag. 123.

[5]) In op. Magie dévoilée. pag. 212., ubi scribit: *C'est rarement en vain que l'on trouble les morts, l'ombre évoquée pour s'attacher à vous, vous suivre, agir sur vous, jusqu'à ce que vous l'ayez apaissée! Nos vivants, très-éclairés, se moquent de cette croyance antique dont ils ignorent l'origine et les fondements, sans considérer, que les nations qui nous précédèrent, pour avoir d'autres lois, d'autres mœurs, d'autres croyances, n'étaient, au fond, ni moins instruites, ni moins savantes que nous. Les anciens croyaient donc à ces opérations.*

Digitized by Google

de antistitibus ægyptiis, mediatoribus ad consulendos spiritus seu dæmones aut animas defunctorum, concludit S. Doctor: *Ceterum illos, quibus conversatio cum diis ad hoc esset, ut ob inveniendum fugitivum vel prædium comparandum vel propter nuptias vel mercaturam vel quid huiusmodi, mentem divinam inquietarent, frustra eos videri dici coluisse sapientiam. Illa etiam ipsa numina, cum quibus conversarentur, etsi de cæteris rebus vera prædicerent, quoniam tamen de beatitudine nihil cautum nec satis idoneum monerent, nec deos illos esse nec benignos dæmones, sed aut illum, qui dicitur fallax, aut humanum omnino commentum.* [1]) Dæmones vero per medium antistitum responsa dabant. Nec alia ratione respondebant per oracula; nam, ut vidimus, per pythones, aut pythonissas, sibyllas aliosve mediatores aut mediatrices illa edebantur, vel, si magis etiam arridet, per sacerdotes et sacerdotissas. [2])

843. Et hæc quidem quoad antiquos paganos; quoad paganos vero contemporaneos easdem vigere superstitiones, media, ac phænomena, quæ in magnetismo, somnambulismo ac spiritismo reperiuntur, indubia res est. In imperio Sinensi usus mensarum ad producenda phænomena tum magnetismi tum somnambulismi artificialis tum spiritismi per eadem media, quæ apud nos vigent, ex relationibus missionariorum aut itinerantium comperimus. Etenim et illic ab antiquissimis temporibus, et etiamnum per mensas aut aliquod aliud instrumentum responsa dari, scriptione hæmatitæ aut pennicilli obtineri oracula, commune est, etsi nonnullæ accidentales diversitates notentur. Etenim, ut scribit Mac-Gowan, post collocatam convenienti ratione mensam, ac pronunciata formula incantationis, mensa se erigit aut evertitur dirigendo cœlum versus pedes suos. Ad scribendum vero corbicula utuntur, cui hæmatita apponitur, aut virga tantum, quæ characteres seu litteras designat in tabula arena cooperta. Omnes porro Sinenses sive docti sive indocti in hoc conveniunt, haud posse eiusmodi phænomena a causis physicis repeti, adeoque in acceptis ea referri debere causæ præternaturali; affirmant præterea, quod si quis evocaverit

---

[1]) De civ. Dei lib. X. cap. XI. n. 2.

[2]) Cf. Baltus: Suite de la réponse. part. II. chap. XIII.; nec non Des Mousseaux op. cit. chap. XV.: Les mediums; quod vero hoc in capite vix attigit, deinde integro volumine cl. auctor evolvit in op.: Les médiateurs et moyens de la magie. Paris 1864. in 8°.

Digitized by Google

spiritum ritibus religiosis convenientibus seu idoneis, obtinebit revelationem rerum secretarum et arcanorum. Interdum spiritus respondere recusat ac solum delineat inconditas figuras, ut homines decipiat. Interdum vero etiam spiritus exarant raptim characteres, dictantque orationem optimo stylo atque singulari accuratione de iis, quæ mediatores ignorabant.[1]) In Sinis æque ac in Europa spiritus evocati præbent se uti defunctorum animas; ex quibus novimus, eosdem esse malos dæmones, qui in America et in Europa incautos deludunt decipiuntque. Idipsum contingit in regione Tibeth, apud Indos perinde ac in Madagascar, ut constat éx recentissimis illarum regionum relationibus.[2]) De identitate proinde superstitionis in ordine ad magnetismum ac spiritismum, vigentis inter regiones orientales et occidentales, seu inter paganos contemporaneos et spiritistas ac magnetistas nostrates, nullum dubium superesse potest, si, ut innuimus, nonnullas formas accidentales demas.[3])

844. Restat ad argumenti absolutionem, ut adiiciamus, prout polliciti sumus, apertam confessionem ipsorummet magnetismi atque spiritismi antesignanorum. Unus ex istis omniumque princeps Dupotet inter cætera hæc habet: *Magnetismus est magia. Nonne historia nobis servat triste exemplum, quod contigit anteactis generationibus circa maleficia et magiam? Facta vere certa sunt, et præbebant occasionem abusibus atrocibus et monstruosis . . . Sed qua ratione eiusmodi artem inveni? Undenam ego eam accepi? Ex ideis meis? Haudquaquam; est natura ipsa quæ me eam docuit. Quomodo? Producendo sub oculis meis, quin ea quærerem, facta ineluctabilia maleficii ac magica . . . Sane, quid est somnus somnambulicus? Effectus potentiæ magicæ. Quid est magnetisatio in distantia per cogitationem ac sine corporeis relationibus, nisi actio adhuc exercitata a pastoribus seu maleficis? Siquidem sciendum est, effectus æque super bruta animantia ac super homines produci. Ecquis deter-*

---

[1]) Cf. De Roys: La vérité du spiritisme. chap. XII. Cf. præterea Des Mousseaux in op.: Les médiateurs de la magie. pag. 60—64. et 307., item Bizouard: Les rapports de l'homme avec le démon. tom. VI. liv. XXXI. chap. IV. pag. 160.

[2]) Quod attinet ad Thibet et Indos cf. Roys loc. cit., quod vero spectat ad Madagascar cf. Nampon in op.: Du spiritisme 1864. ed. 2. pag. 97.

[3]) Sane vel ipse Mac-Gowan in Overland China Mail (Jun. 1854), testatur, se miratum esse conformitatem, quæ in his intercedit inter orientales et occidentales.

Digitized by Google

minat eiusmodi attractiones, spontaneas propensiones, furores, antipathias, crises, convulsiones... nisi idem principium adhibitum, agens certe cognitum ab hominibus præteriti temporis? Omnes præcipui characteres magiæ, scientiæ videlicet divinæ aut diabolicæ, inveniuntur igitur scripti in phænomenis, quæ actu producuntur. Quod vos vocatis fluidum nerveum, magnetismum, extasim, veteres appellabant potentiam animæ occultam, suggestionem, maleficium. [1]) Eadem ferme scribit Cahaguet, aliique passim, quin frustra multiplicemus testimonia. [2])

845. Sed ut iam concludamus propositi argumenti primam minoris partem: Ex hactenus allatis documentis constat, magnetismum animalem, somnambulismum ac spiritismum in suo complexu spectatos omnes characteres superstitionis, quæ in paganismo obtinuit ac etiamnum obtinet in paganismo contemporaneo

---

[1]) Præstat verba ipsius referre, quæ ita sonant: *Le magnétisme, c' est la magie; l'histoire ne nous conserve-t-elle pas le triste exemple qui advint aux générations passées au sujet de la sorcellerie et de la magie? Les faits n'étaient que trop réels, et donnaient lieu à d'affreux abus, à des pratiques monstrueuses... Mais comment ai-je trouvé cet art? Où l'ai-je pris? Dans mes idées? Non, c'est la nature elle-même qui me l'a fait connaître. Comment? En produisant sous mes yeux, sans que je les cherchasse d'abord, des faits indubitables de sorcellerie et de magie. Et si, dès les premières magnétisations, je ne l'ai pas reconnu, c'est que j'avais un bandeau sur les yeux, comme l'ont encore tous les magnétiseurs. En effet, qu'est-ce que le sommeil somnambulique? Un résultat de la puissance magique. Qu'est-ce que la magnétisation à distance, par la pensée, et sans rapports, si ce n'est encore l'action exercée par les bergers, et les sorciers? Car, sachez-le, les effets se produisent sur les animaux comme sur l' homme. Et qui détermine cette attraction, ces penchants subits, ces fureurs, ces antipathies, ces crises, ces convulsions, que l'ont peut rendre durables et dangereuses, si ce n'est le principe même employé, l'agent très certainement connu des hommes du passé? Tous les principaux caractères de la magie, cette science divine et diabolique, se trouvent donc écrits dans les phénomènes produits actuellement. Ce que vous appelez fluide nerveux, magnétisme, extase, les anciens l' appelaient puissance occulte de l'âme, sujétion, envoûtement.* Dupotet: Magie dévoilée. pag. 50—51.

[2]) Cf. Journal du magnétisme apud Des Mousseaux op. cit. cap. XVIII.: Magie et magnétisme animal. Item Mirville: Des esprits et de leurs manifestations fluidiques.

Digitized by Google

præ se ferre, eadem item phænomena per eadem media producere, neque id adversarios inficiari.

846. Nunc reliquum est, ut ostendamus ad plenam propositionis demonstrationem, magnetismi, somnambulismi ac spiritismi invectionem aliud non esse nisi paganæ superstitionis instaurationem, ac propterea etiam instaurationem imperii dæmonis. Jam vero patefacta aut analogia aut identitate istius usus ac praxeos cum superstitione pagana antiqua et contemporanea, confectum hoc ipso est, eiusmodi usum et praxim non esse nisi paganæ superstitionis instaurationem infelici hac ætate, in qua renovantur exitiosa atque abominanda ethnicismi et idololatriæ turpia mysteria, quæ adeo humanæ naturæ ac civili ipsi societati funesta acciderunt, ut eam deiecerint a dignitate sua, ac nos pudeat vel in memoriam revocare veluti absurda cœcitatis omnigenæ ac diabolicæ fraudis monumenta.

847. Si præterea ex dictis magnetismi, somnambulismi ac spiritismi operationes non sunt nisi operationes diabolicæ, seu quarum dæmones auctores sunt, excitatores et agentes præcipui, nemo est qui non videat homines illos, qui operationes illas exercent ac omni qua possunt ratione promovent, esse totidem dæmonum adiutores, instrumenta, mancipia ad illorum imperium in his terris instaurandum. Ad illud, inquam, imperium instaurandum, cui evertendo Christus Dominus tot exantlavit labores, tot egit, tot pertulit usque ad divini sanguinis sui effusionem ac mortem ipsam subeundam. Isti quantum in ipsis est vere evacuant virtutem crucis, ac eius vaferrimi hostis partes agentes toti in eo sunt, ut denuo in throno, ex quo deiectus est, eum collocent ingenti generis humani pernicie tum quoad præsentem, tum præcipue quoad futuram vitam. Verumtamen eiusmodi homines scelestissimi adhuc christiano nomine se vocare audent, dum propriæ redemptionis pretium pedibus suis proculcant. Nonne læsæ maiestatis divinæ, ac vero etiam læsæ humanæ naturæ rei dicendi sunt, atque apostatæ, qui non verentur se dæmonis mancipia constituere? Profecto, ut ipsemet dæmon compulsus est fateri, non in alium finem eos impellit ad talem deceptionem, quam ut eos socios habeat in æterno exitio. [1]) Quid mirum, si eiusmodi homines se præbeant hostes acerrimos Ecclesiæ, quæ est regnum Filii Dei, atque ad eius eversionem quacumque ratione possunt conspirent? Stet igitur

[1]) Ut constat ex documento superius a nobis allato.

Digitized by Google

quod enunciatum est: Magnetismus animalis, somnambulismus ac spiritismus in suo complexu nihil aliud sunt, quam paganæ superstitionis atque imperii dæmonis instauratio.

Difficultates.

848. I. Obi. 1. Ingens intercedit discrimen inter ethnicorum superstitiones et magnetistarum aut somnambulorum et spiritistarum experimenta. 2. Siquidem apud illos non erat nisi ignorantiæ effectus, apud istos est progressus scientifici derivatio. 3. Qui enim fieri potest, ut per dæmonum invocationem aut per aliquod cum iis commercium mira operentur illi, qui nec dæmones esse credunt? 4. Alioquin nullo fluido magnetico aut odico opus esset ad phænomena producenda, aut somnambulismi artificialis, aut spiritismi, cum dæmon per se hæc omnia peragere posset. 5. Exploratum præterea est, naturaliter fieri posse, ut immutata sensuum sede, homo per occiput cernere possit, et per ventrem loqui, prout ventriloqui quotidie facere consueverunt, quin tamen quispiam de interventu dæmonis suspicetur. 6. Nulla insuper apparet ratio, quare dæmones tanto apparatu magnetismi, somnambulismi mensarumque velint illudere hominibus, quorum possessione iam pacifica fruuntur. 7. Nec concipi potest, quomodo Deus tantam nocendi potestatem dæmonibus concedere possit, ex quo præsertim Christus morte sua omni eum principatu spoliavit. 8. Quod nisi summa Christi iniuria cum dici nequeat, inferamus necesse est, abigendum omnem esse ab operationibus magnetismi, somnambulismi atque spiritismi diaboli influxum. Ergo.

849. Resp. ad 1. D. Discrimen intercedit accidentale, C.; essentiale, N. Haud inficiamur, in ratione producendi effectus inter antiquorum ac recentiorum superstitionem aliquod intercedere discrimen; verum hoc attingit solum formam aliquam accidentalem, sed quod attinet ad rei substantiam una eademque est. Consistit autem in eo eiusmodi substantia, ut per agentem intelligentem præternaturalem ac malum ea peragantur mira, quæ naturali ratione produci seu effici nequeant. Nihil vero interest, quænam in particulari producantur phænomena, et hoc potius quam illo modo, hoc vel alio instrumento. Porro ex collatione phænomenorum, quæ penes paganos tum antiquos tum contemporaneos obtinent, cum phænomenis, quæ ope magnetismi, somnambulismi ac spiritismi peraguntur, constat eadem quoad substantiam esse, iisdemque characteribus esse stipata,

Digitized by Google

adeoque nullum sub hoc respectu inter illa et ista intercedere discrimen.

850. Ad 2. D. Erat effectus ignorantiæ simul et malitiæ apud veteres, Tr.; apud istos seu recentiores est derivatio progressus scientifici, Subdist.: diabolici, C.; veri progressus scientifici, N. Verus profectus scientificus numquam excedere potest naturalem ordinem. Cum vero ex demonstratis operationes magneticæ et spiritualisticæ hunc ordinem prætergrediantur, patet hunc progressum, adeo ab adversariis amplificatum, non esse nisi pallium ad superstitionem contegendam. Ceterum veteres non adeo fuisse ignaros ac stupidos, ut adversarii supponunt, ex Dupoteti confessione nuper accepimus. [1])

851. Ad 3. D. Si fides in dæmonem necessaria esset sive ad tacitam eius invocationem, sive ad habendum cum eo commercium, C.; si necessaria non sit, N. Hæc autem dæmonis vafrities est, ut dum ex una parte opera sua molitur, ex altera quærat se occultare, ut facilius decipiat. Oportet eum detegi; quod quidem toties fit, quoties aliquid ille operatur, quod non possit ulli naturali causæ adscribi. Hinc etsi quandoque omni ratione connitatur se, ab incredulorum præsertim obtutu, subtrahere, attamen etiam nolens se manifestat, radios quadamtenus maleficæ suæ lucis immittens. Sane sub finem proxime elapsi sæculi cum ita dominaretur in pseudophilosophis seu incredulis materialismus, ut probro esset spiritualismi professio, dæmon ita se occultabat, ut in dubium etiam revocarentur, immo vero penitus negarentur obsessiones omnes, possessiones, magicæ artes, tamquam medii ævi credulitatis portenta. Medici ac rationalistæ passim de naturalibus morbis exponebant evangelicas possessiones. Hypercritici ad legendas seu historiolas amandabant possessiones omnes, de quibus in fastis ecclesiasticis sermo est. Irridebantur Ecclesiæ exorcismi; vel ipsi delicatiores theologi vix hoc argumentum attingere audebant. [2]) Atque hæc

---

[1]) Sane interdum viros gravissimos, Catonem, Hadrianum aliosque his magicis superstitionibus novimus ex historia addictos, atque philosophos Neoplatonicos: Porphyrium, Proclum, Jamblichium, Julianum eadem frequentasse. Cf. Baltus op. cit. deuxième part. chap. VII. et IX.

[2]) Cuius agendi rationis exemplum suppetit vel in ipso Bergierio, qui ita de obsessis ac possessis ac de magia loquitur in suo dictionario theologico, ut pateat quam hæsitanter de his loquatur. Verebatur nempe communem seu prævalentem, quæ sub finem sæculi

Digitized by Google

donec spiritualismi doctrina pedetentim invalescente vix non evanuit materialisticum systema. Immutatis itaque rerum adiunctis dæmon viam oppositam tenere cœpit, et sub obtentu scientiæ prius, postea vero sub fluidorum apparatu, ac demum per mensarum rotationem, ac necromantiam perrexit quidem se occultare sub vagis magnetismi animalis, somnambulismi ac spiritismi nominibus, verumtamen universim detectus est nunc, cum ipsi magnetistæ ac spiritistæ, sin minus invocatione expressa, tacita saltem eius opera utuntur et cum eo commercium agunt, licet videantur dæmonum existentiam inficiari. [1])

852. Ad 4. D. Et reipsa hæc omnia effectibus præternaturalibus producendis minime inserviunt, C.; non inserviunt dæmoni ad decipiendum, N. Hæc omnia recensita naturalia media haud inservire posse effectibus præternaturalibus producendis, cum quibus nullam proportionem habent, unusquisque intelligit. Itaque in eum tantum finem recensitis mediis utitur dæmon tamquam signis aut sacramentis ad phænomena producenda, ut sic facilius incautos decipiat. Nam si diabolus aperte manifestaret seipsum, omnes ab eo exterrefacti aufugerent; hinc has artes astutas nectit, ut se teneat in incognito, et hac ratione decipiat atque ad se pertrahat cooperatores; prout antiquitus victimarum sanguine, nidore, thure opus habebat,[2]) ac medio ævo magicis formulis, annulis, aliisque eiusmodi innumeris prope signis obsequentem se præbebat nefariæ ho-

---

XVIII. penes philosophos obtinebat, sententiam. Cf. Bizouard op. cit.: Des rapports etc. tom. IV. liv. XVIII. chap. II. pag. 175., ubi ostendit, hunc præstantissimum apologetam haud sibi constitisse hoc in argumento, dum id ipsum quod uno in loco extenuat aut inficiatur, alibi adstruit ac defendit. Quod aliis eiusdem ætatis theologis pariter contigit.

[1]) Nempe dum prius inter fabellas amandabantur tum quæ in pagana historia, tum quæ in sanctorum biologiis legebantur, multo vero magis, quæ medio ævo referebantur circa dæmonis operationes, obsessiones, expulsiones artemque magicam, nunc omnia tamquam verissima probantur, dummodo tamen ea magnetismo, somnambulismo atque spiritismo tribuantur. Adeo sibi isti cohærent!

[2]) Cf. quæ scripsimus in tract. De Deo creat. part. I.: De angelis cap. II. in solut. 4. diffic., in qua attulimus aliquot Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimonia, quibus ipsi visi sunt admittere, dæmones allici vel victimorum sanguine, cibo, nidore, suffimentis, quæ explicantur a S. August. de civit. Dei lib. XXI. cap. VI.: De signis, quibus dæmones se obsequentes fingunt ad homines decipiendos. Cf. n. 34 et 35 cum notis adnexis.

Digitized by Google

minum malorum voluntati. [1]) Adeoque fluidum, mensæ ceteraque eiusmodi non sunt nisi stratagemata ad finem suum obtinendum.

853. Ad 5. D. Naturaliter quandoque fieri potest, ut sensuum sedes transferatur, Tr.; in adiunctis magnetismi aut somnambulismi et ad nutum magnetizantis, N. Etsi enim detur, quod tamen non admittimus, fieri aliquando posse, ut quis per occiput videat aut ventre loquatur; ast id fieri passim et ad voluntatem agentis magnetici, ita ut, si ponatur super caput liber clausus et obsignatus, aliquis legat quæ in eo sunt, item quod oculis omnino obseratis epistolam obsignatam percurrat ac in pera contentam, loquatur linguas penitus ignotas, instituat minutissimam et accuratam partium humani corporis anatomiam quam vel ipsi doctissimi interdum medici ignorant, atque apta ad sanitatem recuperandam præscribat: hæc, inquam, fieri posse sine dæmonis interventu omnino inficiamur. [2]) Hucusque enim naturales vires minime se porrigunt.

854. Ad 6. Resp.: Imo multiplex ratio cur dæmon se ita gerat reddi potest: tum nempe, ut sæpe diximus, ut tutius lateat, tum ut validius homines teneat, ne elabantur ab eius potestate, tum ut alios facilius seducat, tum denique ut puniatur temeritas eiusmodi hominum perditorum.

855. Ad 7. D. Si nostrum esset decernere quid Deus possit aut non possit permittere, C.; si id nobis prorsus incompertum sit, N. Quoties Deus aliquid permittit, motiva seu rationes se dignas habere dicendus est, etsi nos eas assignare nequeamus. Ceterum cum agatur de pravis hominibus apertis vel occultis a fide Christi apostatis, nil mirum esse debet, si Deus eos in dæmonum potestatem tradat eadem ratione, qua eosdem interdum tradit in passiones ignominiæ, ut faciant quæ non conveniunt, scilicet in punitionem. Licet vero Christus morte sua omni dæmonem principatu spoliaverit, adeo ut nemini rite ei obsistenti nocere valeat, tamen in eis qui voluntarie ad eum accedunt eumque sibi in dominum eligunt Christo relicto, in eis, inquam, ita Deo permittente, potestatem exercet.

---

[1]) De his plura habet Del Rio: Disquisit. magic. lib. I. cap. IV. quæst. I. II. III. et IV., Thyræus op. cit.: Loca infesta, præsertim cap. XCII. seq., nec non in op.: De variis spirituum apparitionibus lib. I. cap. XI., Thiers: Traité des superstit. lib. VI.

[2]) De quibus superius scripsimus.

Digitized by Google

856. Ad 8. vel N. vel D. Si id ex Christi defectu contingeret, C.; si ex sola hominum proveniat perversitate, N. Neque enim Christus redemptione sua homini ademit liberum arbitrium, ut si ipse velit non possit eo abuti, sed gratia sua arbitrium humanum firmavit ac roboravit ita, ut ea fretus possit homo omnia inimici tela ignea extingnere; at si ipsi magis arriserit se dæmonum dominationi subiicere, sibi, non Christo, malum suum imputare debet. Tales porro censendi sunt, qui operationibus magnetismi, artificialis somnambulismi ac spiritismi destinata malitia dant operam. [1])

857. II. Obi. 1. Culmen insaniæ est contendere, sæculo XIX. in finem vergente seu in tanta sapientiæ ac scientiæ luce renovatam esse medii ævi magicam artem cum omnibus eiusdem consectariis. 2. Deberent hac in hypothesi admitti dæmoniacæ infestationes et aggressiones tum locorum, tum personarum. 3. Deberent admitti veræ dæmonum possessiones, seu energumeni presse sumpti a dæmonibus acti atque agitati. 4. Admitti deberent lamiarum sagarumque nocturni congressus, ac Sabbati orgia. 5. Quæ quidem omnia aliaque eiusmodi adeo ab indole præsentis civilis cultus abhorrent, ut vel meminisse piaculum sit. 6. Alioquin denuo deberent rogi succendi instruique processus ad eiusmodi delicta plectenda. Ergo.

858. Resp. ad 1. D. Quoad nomen, C.; quoad rem, N. Profecto sæculum nostrum non amplius patitur magiæ aut magicæ artis denominationem, nec quispiam in societate auderet alicui magi, aut magicæ artis sectatoris nomen obiicere; sed quod ad rem ipsam spectat, tum magia tum magica ars non minus vigent quam tenebricoso ævo medio. Sane, si ex dictis magiæ nomine significatur ars illa seu scientia occulta, qua vi pacti expressi vel taciti cum dæmone initi mira quædam et communem hominum captum excedentia, efficiuntur, evidens est, magiæ seu magicæ arti adscribenda esse illa phænomena omnia sive magnetismi, sive somnambulismi, sive spiritismi, quæ mira sunt et communem hominum captum seu facultatem humanam omnem exsuperant, quæque proinde nonnisi ab agente intelligente ac præternaturali effici possunt, ac propterea, quod consequens est, vi pacti expressi aut taciti cum dæmone. Ergo velint nolint adversarii, vere magia antiqua et medii ævi nunc

---

[1]) Cf. Pailloux pag. 93.

Digitized by Google

reviviscit, eiusque actores vere artis magicæ sectatores haberi debent, quocumque demum nomine se tegant. [1])

859. Ad 2. Conc., imo contendimus. Et reipsa innumera prope facta, eaque certissima utpote testibus probis ac fide dignis comprobata, hac ætate nostra suppetunt, quæ evincunt tum dæmoniacas locorum infestationes, dæmonum aggressiones, imo et apparitiones visibiles eadem ratione, ac contigisse narrantur tum in paganismo tum medio ævo. Ne fines prætergrediar, intra quos tractatus scholasticus concludi debet, vix unum vel alterum attingam, ut de ceteris iudicium feratur. Itaque celebris est infestatio presbyterii in oppido Cydeville nuncupato in Galliis, quæ anno 1851 contigit per cuiusdam sortilegi, qui in actu ipso deprehensus est, magicam operationem. In tali infestatione mensæ ac supellectiles sine impulsu aut tactu volitabant, visiones phantasmatum apparuerunt, nec non lucidæ flammæ, ac vulneratio umbræ, quæ respondit in persona, quam illa referebat. [2]) Item non minus celebre est factum, quod in suburbio quodam in Sabaudia, vulgo Morzine nuncupato, contigit, possessio scilicet dæmoniaca magni incolentium numeri, ac magnæ animantium partis; de quo publici processus instructi sunt, quod innumeri prope testes constituerunt, nec scientia ausa est inficiari. [3]) Quodque nuper seu anno 1864. renovatum est. [4]) Addam duo experimenta quæ P. Barrat, celebris philo-

---

[1]) Cf. Pailloux pag. 75 seq., ubi mira refert, quæ operari consuevit celebris Home, de quo sæpe verba fecimus, nec non quæ Ragazzoni, Cahaguet aliique eiusmodi viri præstiterunt, qui ex professo huic arti addicti sunt, præsertim vero Dupotet, cuius etiam revelationes seu confessiones attulimus. Cf. etiam Bizouard op. cit., qui longe copiosius totum hoc argumentum evolvit vol. VI. lib. XXXII. et seq. Hic enim auctor novissime scripsit hac de re totamque materiam sex copiosis voluminibus complexus est.

[2]) Cf. apud Mirville in lib.: Des esprits, deuxième part. ch. XI., ubi cum omnibus suis probationibus et adiunctis factum istud prolixe expositum est.

[3]) Cf. Mirville loc. cit.

[4]) In Periodico La vérité, a Migne confecto die 29. Maii 1864., legitur: *On écrit d'Annecy au Courrier des Alpes: Au moment où Mgr. Maguin, évêque d'Annecy, administrait le sacrement de confirmation à Morzine, une crise s'est tout à coup emparée d'un certain nombre d'habitants, dits possédés, qui assistaient à la cérémonie. Un affreux scandale a eu lieu dans l'église. Les détails de cette scène sont trop affligeants pour pouvoir être relatés. Je me bornerai à dire que l'admi-*

Digitized by Google

sophiæ professor ac insignis theologus, paucis abhinc annis fecit coram pluribus sacerdotibus ac magnetista, ut ostenderet fluidum, cuius magnetizator exclusive directorem se esse autumabat, obtemperaturum pariter alterius iussis, et quidem oppositis illis quæ iniuncta fuerant a somnambula eiusque domino. Arreptis itaque nonnullis veli pendentis anulis, quin id adverterent magnetista ac somnambula, valide in manibus suis detinebat eos inclusos; ast ecce ad simplicem eius intentionem de repente ab illo obsistente anuli violenter abrepti sunt et in partem cubiculi extremam proiecti. Immutata iterum intentione, illico ingenti adstantium admiratione, præcipue vero somnambulæ ac magnetistæ, magna sedes cui imperat, cœpit rotare, circuire, ac percurrere ex se sola universum cubiculum: atque id quidem iussu profani ac philosophi, hostis magnetismi.[1]) Item in evocatione dæmonis condictis verbis ac cæremoniis seu ritibus, diabolus visibilis apparet et conspicitur;[2]) ut silentio præteream quæ contigit sanctimonialibus a S. Ursula nuncupatis Louduni ac Patri Suain, quæ extra omnem dubitationis aleam, utpote publica et solemnis, constituta est,[3]) aliaque pæne innumera huius ætatis facta eiusmodi aut sæculi anterioris.[4]) Jam vero quid insolentius, horribilius aut deterius retulerunt, qui de sortilegio, magia, possessione, infestatione dæmonum opera ediderunt, Del Rio,[5]) Thyræus,[6]) Psellus alii-

---

nistration supérieure s'est émue de cette triste affaire, et qu'un détachement de trente hommes d'infanterie a déjà été envoyé sur les lieux: on y a fait envoi de médecins spéciaux chargés d'étudier la maladie: la force armée aura pour mission de protéger les personnes. Ast ego a testibus localibus accepi nihil medicos profecisse, ac recursum fuisse ad exorcismos. Cf. præterea Hippolyte Blanc: Le merveilleux dans le Jansénisme, le magnétisme, l'épidémie de Morzine, le spiritisme. Paris 1865.

[1]) Cf. Mirville: Des esprits. chap. X. §. I. pag. 298 seq., item ch. XI. §. V., ubi plura alia eiusmodi facta referuntur omnimodis documentis munita.

[2]) Eiusmodi factum velut certissimum testatur ab. Constant in op.: Dogme et Rituel de la haute magie.

[3]) Cf. Pailloux pag. 356 seq., Gœrres vol. V. pag. 486 seq. Item Des Mousseaux ac Mirville ceterosque passim, qui hoc de argumento scripserunt. [4]) Disquisit. magic. lib. III. et IV.

[5]) Thyræus: Loca infesta; De apparitionibus dæmonum, præsertim vero lib. III. cap. XII.

[6]) Psellus: De dæmonum energia seu operatione. Prostat in biblioth. Patrum Lugdunensi. tom. XVIII. pag. 589.

Digitized by Google

que non pauci? Admitti igitur debent etiam hac ætate dæmonum infestationes et aggressiones locales, reales et personales, nec plus nec minus quam contigerint ætate media. [1])

860. Ad 3. Conc., imo pariter contendimus. Etenim præter modo dicta in superiori responsione, accedunt huc pariter facta huius ætatis ineluctabilia, quæ evincunt, dari vere dæmoniacos, arreptitios, aut energumenos nuncupatos. Exemplo sit, quod de quadam secta refert historiographus non suspectus. Ad insufflationem enim cuiusdam infantis ut reciperetur spiritus sanctus, quem promittebant protestantes, statim homines invadebantur a spiritu malo, ita ut prophetarent, tremerent, evolverentur, spumarent, deinde vero ab hoc spiritu acti catholicorum templa demolirentur, sacerdotes occiderent, catholicos indiscriminatim omnes, quos arripere potuissent, interficerent. [2]) Ecquis porro negaverit, hos totidem arreptitios ac dæmoniacos extitisse? Sanctorum biographiæ recentioris ætatis plenæ sunt energumenorum, qui mediantibus exorcismis liberati sunt præsentibus testibus fide dignis; [3]) ut mittam, vel ipsos magnetologos testari aperte eiusmodi possessiones. [4])

861. Ad 4. D. Sub hac præcise forma, Tr.; sub alia, quæ illam imitetur, C. In operationibus diabolicis particularibus plures distinguuntur formæ seu species, sub quibus contingere possunt. Hinc necesse haud est, ut hoc vel illud in specie renovetur: si tamen ea omnia, quæ de sabbato aut de congressu nocturno lamiarum referuntur vera sunt. Non enim desunt, qui sentiant plura quæ de eo referuntur non fuisse nisi phantasiæ ludibria, hallucinationes visionesque. [5]) Quidquid

---

[1]) Cf. Des Mousseaux: La magie au XIX. siècle. chap. I.

[2]) Cf. Grégoire: Hist. des sectes art. Camisards. tom. II. pag. 113 seq. an. 1704. Quatuor millia catholicorum cæsa sunt, octoginta sacerdotes interempti, parochus S. Andreæ e turri in præceps actus, alii lento igne cremati etc.

[3]) Cf. Gœrres tom. IV. pag. 528 seq. an. 1836.

[4]) Ne exempla multiplicemus, cf. Pailloux op. cit. pag. 243. Item Schramm: Theolog. mystica vol. I. pag. 376 seq.

[5]) Uti Tartarotti in cit. opere: Del congresso notturno delle lammie. Rovereto 1749. Cui plures tamen gravesque auctores refragantur. Sane vel in ipso paganismo vestigia huius sabbati inveniuntur, nempe in Apuleio, qui refert ope cuiusdam unctionis magicæ quosdam in magna distantia translatos fuisse; sic neoplatonici eiusmodi translationem inter dona divina collata per initia-

Digitized by Google

porro de hoc sit, veluti exploratum habendum est, illud ipsum renovari posse quod olim factum est, eodem iugiter auctore permanente, nempe diabolo, licet eiusdem rei formæ variari possint, prout etiam diversa ratione diversis temporibus iuxta dæmonis vafritiem obtinuerunt. [1])

862. Ad 5. D. Si civilis cultus sibi cohæreret, C.; si in plena iugiter secum contradictione versetur, N. Jam vero talia in hoc, quem adeo extollunt, civili cultu, et politiore vivendi ratione ac progressu peraguntur, quæ vix aut ne vix quidem in superiori ætate, ac ipso medio ævo peragebantur, fac incendium immensæ civitatis absque hostili congressu, [2]) destructionem regii palatii amplissimi Pekinensis absque provocatione et ad solam vindictam, [3]) horrendam populorum stragem ac exercitus, qui deposuerat arma, cædem, [4]) tyrannidem libertatis nomine grassantem, [5]) infractionem publicam pactorum solemniter et cum iureiurando conventorum, [6]) libertatem Ecclesiæ in statu libero cum omnis generis vexatione ministrorum eius, vel propter ipsam denegatam sacramentorum administrationem, quum ipsorum conscientia reluctaret [7]) aliaque pæne innumera, quæ

---

tionem referebant. Idipsum invenitur penes Druides. Post christianismi promulgationem in lege salica fit mentio existentiæ sabbati, ut omittam canonem Episcopi Concilii Ancyrani. Cf. Bizouard op. cit. lib. V. cap. II. pag. 487 seq.

[1]) De hoc argumento longam texuit tractationem Gœrres in op. cit.: La mystique vol. V. lib. VIII. sect. 2. chap. XV.—XXII. Cf. Mousseaux: Les fées ch. VII., Mirville livre des esprits ch. V., Bizouard op. et loc. cit. et alibi passim.

[2]) Uti Cangoscimæ in Japonia, nempe urbis constantis 180,000. incolarum innocentium, quod contigit an. 1862.

[3]) Quod effectum est an. 1863.

[4]) Prout contigit in Indiis orientalibus respectu Cippaiorum, ipso fatente Montalembert, Anglorum admiratore.

[5]) Quæ adhuc perdurat in clerum catholicum, Cardinales, Episcopos, sacerdotes, qui renuunt contra propriæ conscientiæ dictamina se subiicere iniquis legibus.

[6]) Ut in publicis quotidianis documentis patet; cf. epistolam encyclicam ad universi catholici orbis Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos datam a Pio IX. die VIII. Decembris anno 1864. una cum adnexo syllabo, complectente præcipuos nostræ ætatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Ssmi Domini nostri Pii Papæ IX.

[7]) Vid. l'Armonia Febbr. 1863., La vérité 8. Mai 1864., Lo stendardo cattolico etc.

Digitized by Google

in præsenti civili cultura quotidie cernuntur, quorum nec vestigium occurrit in universa media ætate. Atque, ut paucis omnia concludamus, excepto sensu religioso et fidei heroicis portentis sepositis, vitia omnia in supremo gradu, quæ olim viguerunt, adhuc vigent, immo vero etiam illa exsuperant. Itaque proclamata repugnantia inter civilem cultum et magicam artem ætate hac nostra, tota ac solum in verbis consistit, nullatenus vero in ipsa re.

863. Ad 6. D. Si præsentis legislationis conditio cum ea comparetur, quæ viguit in omnibus Europæ ditionibus, C.; si præsens legislationis conditio ubique iam vigens id non ferat, N. Hac porro difficultate cum ab adversariis maligne alludatur ad rogos et processus inquisitionis, quibus factum est, ut innumeræ pæne victimæ consumptæ sint, ideo revocandæ in mentem sunt longe plures eiusmodi victimæ, quæ immolatæ sunt ob eamdem causam in omnibus Europæ regionibus ætate illa tum sagarum tum maleficorum et magorum, quasque adversarii malitiose dissimulant, ut totam invidiam conferant in solos catholicos. At publicis vulgatisque documentis constat, penes protestantes, reformatos, et anglicanos longe maiori numero quam apud catholicos interemptos atque igne consumptos homines extitisse, vel ipsis fatentibus heterodoxis testibus oculatis. [1]) Atque, ut alias notavimus, modum in eiusmodi processibus soli catholici imposuerunt, et quidem non absque periculo non solum famæ sed vitæ ipsius, [2]) et iurisperiti iudicesque protestantes illi moderationi se conformarunt.

864. Ceterum iurisprudentia contemporanea non persequitur nisi crimina, quæ materiali societatis bono adversantur, cumque ex eiusmodi operationibus interdum damna haud exigua provenerint, hinc est quod etiam sub hoc respectu constructi fuerint processus et pœna etiam capitalis decreta. [3])

---

[1]) Cf. Gœrres liv. VIII. chap. 43.

[2]) P. Spee debuit occultare proprium nomen in vulgando proprio opere de cautione criminali.

[3]) Cf. Pailloux onzième entret. pag. 280 seq.; ibid. pag. 431.

Digitized by Google

Propositio II.

Protestantismus natura sua viam stravit recentiori superstitioni, atque in protestantismo, natura sua spectata, opportunum medium habetur, quo malus spiritus inter christianos superstitionem instauret atque regnum suum contra Christi regnum redintegret; ex quo mala protestantismi ac spiritismi natura iterum confirmatur.

865. Præmittimus, nos disserere de protestantismi natura, seu de protestantismo in se spectato, non autem de personis protestantismum profitentibus, quas attingere nec volumus nec debemus. Christiana siquidem caritas id vetat. Enunciata propterea propositio, qua adstruitur, per protestantismum viam superstitioni recentiori magnetismi, somnambulismi ac spiritismi sterni, in eoque medium haberi, quo malus spiritus inter christianos superstitionem paganicam instauret a dæmone invectam ad stabiliendum regnum suum adversus regnum Christi, unice respicit errorem seu institutionem ac indolem protestantismi, nullatenus vero errantes.

866. Sic vero mente nostra exposita, multiplici iam enunciatam thesim argumento tum a priori, ut aiunt, tum a posteriori ducto evincere pergimus. Ac

867. I. ex eo constat, quod protestantismus fidei sit excidium, ac hæresis tamquam principium constituta. Jam vero ex constanti experimento liquet veluti factum ineluctabile, superstitionem incipere ac invalescere, ubi vera fides deficit. Omnium hæreseon historia patefacit atque testatur, quod hæretici labefactando fidem viam aperuerint superstitionibus. Ideo vero pagani in omnigenas diabolicas superstitiones delapsi sunt eo quod fidem omnem penitus destruxerint. Vel ipsi increduli, spiritus fortes nuncupati, in non paucas superstitiones inciderunt, quas eis exprobrant christianæ religionis apologetæ.[1]) Nempe eadem

[1]) Cf. Bergier Diction. art.: Superstitions, in quo ostendit, non minus protestantes quam philosophos incredulos sæculi præteriti addictos superstitionibus fuisse, ac nominatim magnetismi animalis ac somnambulismi prodigiis. Cf. etiam Feller: Catéchisme philosophique. Liège 1787. tom. I. n. 136., et tom. III. n. 533., qui pariter adductis exemplis ex antiquis incredulis ac recentioribus evincit, eodem superstitionis ac fanatismi morbo laborasse sic

Digitized by Google

ratione, qua fame vigente atque annonæ summa caritate propellente homines se ad vilissima quæque ac immunda alimenta convertunt, imo proiiciunt: sic cum per hæresim aut incredulitatem verus deficit animæ cibus, qui sola vera fides est, superstitio insinuatur, gignitur ac diffunditur. Igitur hoc ipso quod protestantismus natura sua fidem destruit, superstitioni favet.[1])

868. II. Verum, præter generalem hanc animadversionem, alia magis specialis ratio quoad protestantismum habetur. Ipse irrisioni exposuit atque abolevit exorcismos quovis tempore ab apostolica ætate usu receptos in Ecclesia; despexit præterea et abolevit benedictiones agrorum totque alias ab Ecclesia adscitas cæremonias adversus diabolicas infestationes; sacramentalium omnium, præcipue vero aquæ lustralis salutarem usum diris devovit atque superstitionibus accensuit, quem salubriter ad spiritus dæmoniacos coërcendos Ecclesia iugiter adscivit. Attamen quanta vis ac efficacia hisce ritibus insit ad compescendam malorum spirituum potestatem, patefit ex paganorum regionibus, in quibus mirà pollent potestate iidem spiritus mali. Omissis porro quæ hac de re penes antiquos leguntur, satis est recentes vel obiter percurrere relationes, quas nobis præbuerunt ac porro præbent missionarii apud Indos, Sinenses, Japones aliosque populos, ut quisque veritatem huiusce facti percipiat.[2])

---

nuncupatos philosophos, qui religioni christianæ insultant. Videri etiam potest Roberti tum in op.: Intorno alla lettura dei libri di metafisica, tum in op.: La probità naturale, quæ referta sunt speciosis anecdotis istorum virorum, qui se spiritus fortes nuncupare consueverunt.

[1]) Optime hoc adnotavit cl. P. Murray Essays chiefly theological by the Rev. P. Murray. Dublin 1852. vol. III. pag. 179: *There is in mankind a moral hunger for faith, as there is a physical hunger for food. In famine they eat grass and vermin and all loathsome things: where true revelation has not penetrated, or has been through their wickedness trampled down, they make a revelation of their own, and feed their hungry souls with it. — Inest humano generi moralis fames fidei, sicut physica inest fames cibi. In maxima rerum penuria homines gramine, vermibus aliisque sordibus vescuntur: quo nondum revelatio pervenit, vel ubi per malitiam homines eam proculcaverunt, sibi revelationis aliquam speciem fingunt, eaque suam pascunt esuriem.*

[2]) De quibus singillatim in propriis historiis missionum Soc. Jesu harum regionum fuse disserit Bartoli, ut videre est in indicibus singularum partium Hist. Asiæ, Japoniæ, Sinarum etc. nec non

Digitized by Google

Ubicumque enim non adest Ecclesia cum ritibus suis contra infestationes dæmonum, isti ampliorem exercent potestatem. Hinc in protestantismi sinu dæmones illam pedetentim potestatem occuparunt, quam sola Ecclesia reprimit refrænatque.

869. III. Quod si alicui sacramentalium rituum abolitio accidentalis videri possit, intimior adhuc superest ratio ad ostendendam inter hodiernas spiritismi superstitiones ac protestantismum affinitatem. Quid est protestantismus? Est systema liberi examinis individualis. Quid est spiritismus? Magna est diabolica illusio, complexus ac systema illusionum seu deceptionum. Jam vero manifestum est, nihil reperiri, quod adeo faveat illusioni, quam nullam aliam regulam habere præter se ipsum. Mirum proinde non est, si individualismus systematis protestantici natura sua faveat spiritismi illusionibus. Res per se patet; quæ tamen ut magis declaretur, satis est in mentem revocare notum principium, quod dæmon aggreditur genus humanum non solum apertis tentationibus, sed etiam, imo potissime occultis fraudibus ac illusionibus. Etenim cum ipse mendax sit atque mendacii parens, transfigurat se in angelum lucis. Ecclesia sola, utpote veritatis magistra ac ditata cælesti plane prudentia ob Spiritus sancti dona atque adsistentiam, optime novit astutias fraudesque detegere serpentis deceptoris. Quod si diabolus etiam inter catholicos plurimas animas decipit illusionibus suis, id contingit cum ipsæ potius iudicio proprio malunt se gerere, quam Ecclesiæ iudicio se subiicere. [1])

870. Quid porro faciet inter protestantes, penes quos sectari proprium iudicium non est exceptio contra regulam, sed regula ipsa? Evidens est, protestantem sibi relictum hoc ipso

---

Lettres édifiantes, in quibus passim de his agitur. Scripsit episcopus an. 1863., missionarius in imperio Sinensi, plures ad christianismum ethnicorum conversiones fieri, ad quas potissimum conferunt magno numero dæmonum obsessiones, quæ usu aquæ lustralis et invocatione sanctorum nominum Jesu et Mariæ dissipantur. Huius episcopi congreg. S. Vincentii duæ hac de re epistolæ inveniuntur in diario Monde, 2. Sept. 1863.

[1]) Huc referuntur quæ expendit Benedictus XIV. lib. III. de servor. Dei beatific. et canonizat. a cap. XLII. ad LII., ubi disserit de gratiis gratis datis; præcipue vero cap. XLVIII., ubi agit de discretione spirituum. Item Scaramelli tum in directorio ascetico, tum in directorio mystico, præter alios non paucos, uti Suarez: De gratia. Proleg. III. cap. V., Card. Bona: De discret. spirit. cap. II. etc.

Digitized by Google

expositum omnimodis illusionibus esse. Posset ex hæreseologia ac nominatim protestantismi historia ostendi, quam verum id sit; posset integrum conficere volumen, qui vellet historiam exarare illusionum, quæ ortæ et auctæ in protestantismo sunt ex confessione ipsorummet protestantium auctorum. [1]) Quod antiquitus contigit, in præsentiarum adhuc contingere potest. Haud dicam ego, protestantes induci ad apertum commercium cum dæmone instituendum, aut dispositos esse excessibus illis, ad quos nonnulli pervenerunt, ut satanam expresse adorarent.[2]) Absit; siquidem hæc agendi ratio non amplius illusio foret, sed manifesta impietas. Ast nos loquimur de commercio palliato et latente, ad quod dæmon solum iam satis aptum ac dispositum in protestantismo ad fraudes suas moliendas invenit. Spiritismus, uti pridem ostendimus, opus diabolicum in se est, ast quoad plerosque protestantes non est nisi illusio quædam. [3]) Putant, esse phænomena naturalia, esse animas defunctorum, nec advertunt se a dæmonibus illudi. Spiritus protestanticus individualis eos excœcat; dæmon vero huiusmodi tenebris abutitur ad suas illusiones ingerendas.

871. IV. Hæc eadem inter protestantismum et spiritismum affinitas confirmatur magis ac magis ex eiusdem protestantismi principio. Protestantismus, utpote in libero examine individuali fundatus, protestatur contra quamvis auctoritatem; nulla est in

---

[1]) Hi auctores recoli possunt apud Tartarotti in op. cit.: Del notturno congresso delle Lammie, in docta, quam huic operi præmisit, introductione. Sed præstat recens factum referre, ut pateat, quo interdum ducat protestantes superstitiosus mysticismus. In secta, Communio sanctorum nuncupata, sancti Markensdorfii, in parœcia Newkirche, se compararunt ad occidendum atque immolandum infantem, ut obtinerent peccatorum suorum remissionem atque ut se sanctificarent. Omnia iam parata erant, sed supervenit loci magistratus, qui eiusmodi sacrificium humanum valuit impedire. Ita in diario Monde 10. fév. 1863.

[2]) Vid.: Annales cathol. de Genève mense Augusti 1862., ubi epistola invenitur data a teste oculari sectæ, quæ Boston in America fœderata instituta est sub nomine adoratorum satanæ, qui satanam adorant, orationem ad eum dirigunt, eumque precantur, ut velit se Deo subiicere, ut redeat ad sublimem statum, qui ei competit.

[3]) De quo hallucinationis systemate, prævalente penes haud paucos, cf. Des Mousseaux in op.: Les médiateurs et les moyens de la magie, in quo eiusmodi systema octo vel novem continentibus capitibus, scilicet a VII. ad XVI., acerrime confutat.

Digitized by Google

protestantismo auctoritas, quæ valeat frænum iniicere liberæ cogitandi agendique rationi in conscientiæ negotio, cum unusquisque prout sibi videtur sentiat et credat. Ex quo facile intelligitur, quantum eiusmodi systema conferat ad spiritismum fovendum. Inter catholicos legitima auctoritas loquitur docetque, quid de hisce phænomenis credi debeat, eademque auctoritas ecclesiastica eiusmodi vetat experimenta. Hac ratione dæmon vinculis obstrictus permanet. Ast inter protestantes, quoniam nullum reperitur auctoritatis frænum sive in cogitando sive in agendo, fit ut spiritismus introduci possit atque diffundi absque ullo impedimento. Atque huius rei exempla suppetunt luculentissima in anglicanismo, atque in protestantismo genevensi. Antistites anglicani non ita pridem impia Specimina ac revisiones, quibus denegatur universæ scripturæ inspiratio atque ab erroribus immunitas nec non pœnarum in altera vita æternitas, damnarunt; item mille eoque amplius eiusdem anglicanismi ministri protestati sunt adversus eiusmodi impietatem. Attamen non modo nihil obtentum est, sed potius parum abfuit, quin a suprema politica auctoritate tum antistites tum ministri inferiores veluti rei sibi usurpatæ potestatis traducerentur, atque gravissimis subiicerentur promeritis pœnis.[1]) Sic pariter in cœtu Genevensi Bortio eiusque sociis sic nuncupati pastores comminati sunt pœnas ob novum ab ipsis invectum mensarum cultum; nec quidquam obtinuerunt auctoritatis defectu. [2])

872. V. Idipsum ex utriusque, protestantismi videlicet et spiritismi, natura inter se comparata conficitur. Certum est, protestantismum eo tendere, ut Ecclesiam catholicam, quæ regnum Christi in terris est, destruat ac prorsus e medio tollat, prout alias evidenter ostensum est eiusdemque furor, quo inter catholicos sibi proselytos nancisci conatur, qui prorsus nunc

---

[1]) Vid. L'unité cathol. 29. Juill. 1864., quæ refert, datum fuisse archiepiscopo Cantuariensi monitum ob sibi arrogatam auctoritatem in iis iudiciis, quæ unice ad consilium reginæ spectant. Et potuisset quidem puniri atque proventibus privari; verum gubernium hac prima vice clementia potius quam severitate uti constituit, adeoque caveant, ne in futurum quidpiam sine regio placito audeant. Talis fuit exitus zeli, quem episcopatus et clerus anglicanus ostendit in proscribendis impiis doctrinis. Hinc istæ publice vagantur, nec desunt aliqui sic dicti episcopi anglicani atque ministri, qui eisdem doctrinis adhæreant.

[2]) Cf. Annales cathol. de Genève. Juin 1859.: Le Bortisme; La table parlante. Mars 1856. etc.

Digitized by Google

ubique obtinet, [1]) ostendit luculentissime. Certum pariter est, spiritismum magis adhuc directe ad eumdem finem tendere, evertendi Christi regnum ac restituendi regnum luciferi, prout in præcedentibus propositionibus statuimus. Protestantismus igitur est naturalis fœderatus socius spiritismi in hoc bello contra Christi regnum seu contra Ecclesiam promovendo.

873. Hæc vero argumenta omnia a priori constituta seu ab ipsa rei natura petita mirifice confirmantur a posteriori, nempe ex facto. Etenim factum evidens est, magnetismum, somnambulismum atque spiritismum dominari inter protestantes, veluti in elemento suo homogeneo, secus ac eveniat in catholicis nationibus, penes quas iugem oppugnationem experiuntur tum ab apostolica sede, tum ab antistibus sacrorum in propriis diœcesibus, tum a concionatoribus, sacerdotibus, operariis qui domini vineam et agrum excolunt. Sane Antonius Fridericus Mesmer, qui huius systematis veluti parens, licet perperam, habetur, cum eius non fuerit nisi instaurator, [2]) in regione mixta, quam vocant, institutus, ac sub protestantibus medicæ artis professoribus excultus fuit. Cumque adversantes sibi tum Vindobonæ, tum Lutetiæ Parisiorum scientificas academias esset expertus, in Angliam primo, deinde in Germaniam se recepit, ubi systema suum atque experimenta longe lateque propugnavit. [3]) Du Puységur licet primus perhibeatur somnambulismi

---

[1]) Vid. opus, quod hoc de argumento edidimus, cui titulus: Il proselitismo protestante. Genova 1862.

[2]) Etenim nunc exploratum est, Mesmerum hanc suam theoriam deprompsisse ex Pomponatio, Paracelso, Cornelio Agrippa, Van Helmont, Angelo Ferrerio, Maxuel, eius antecessoribus ac magistris, prout fatentur ipsius discipuli Verati, Teste etc Cf. Monticelli op. cit.: Sulla causa dei fenomeni mesmerici. part. III. cap. II., ubi adducit singulorum documenta ac testimonia, adeo ut habeatur Mesmer veluti plagiarius. Hinc merito Grégoire Hist. des sectes relig. tom. II. ch. XIX.: Théosophes p. 240. scripsit: *La théorie de Mesmer, présentée comme découverte, n'étant rien moins que nouvelle, le Docteur Thouret a prouvé, que le mesmerisme avait pendant un siècle formé en médicine une secte nombreuse, et fait éclore une foule de dissertations. Le magnétisme, qui, oublié pendant quelque temps et résuscité de nos jours, s'est fondé sur le mesmérisme.* Cf. Mesmer, Mémoires et Aphor. suivis des procédés de d'Eslon. Nouv. édit. 1846.

[3]) Ita in Biografia universale. Venez. 1827. art. Mesmer et in: Encyclopädie der Freimaurerei, seu in: Encyclopedia

Digitized by Google

auctor in Galliis, a Mesmero tamen illum didicisse non pauci autumant.[1]) Demum spiritismum in Americæ fœderatis provinciis ortum suum habuisse inter protestantes, suo loco vidimus. Exinde in provincias nordicas, in Siberiam, in Daniam, in Angliam, in Germaniam, postea vero in Gallias, Italiam ceterasque Europæ regiones lues hæc propagata est ac prorsus eas invasit.

874. Adeo vero spiritismus inter protestantes suum domicilium constituit, ut templum, sacerdotes, aram, nempe mensam cum suis oraculis adeptus sit.[2]) Vices porro protestantismo usque adeo devoto reddit spiritismus, dum per suos medios seu mediatores totus est in eo, ut commendet protestantismum, dogmata vero catholica atque unicam Christi Ecclesiam detestetur atque evertat, ut pateat, intimo inter se fœdere spiritismum ac protestantismum consociari.[3]) Hinc proinde novum ac ineluctabile emergit pro enunciatæ thesis veritate argumentum.

875. Cetera non persequor, quæ urgeri adhuc possent, quibus exponendis in difficultatum solutione commodior sese offeret locus. Interim cum argumentis tum a priori tum a posteriori res confecta sit, præstabit duo corollaria evolvere, quæ ex dictis suapte natura efflorescunt, quæque in theseos enunciatione attigimus. Sunt autem:

876. I. Mala, immovero pessima est protestantismi natura. Siquidem is dæmone impulsore ortus est, non eo tantum gene-

---

francomuratoria. Cf. Lenning tom. II. ed. Lips. 1824. p. 24. Hæc in latina lingua ex germanica leguntur: *Mesmer (Anton. Frider.) ortus Mœrsburgi ad lacum Constantiæ an. 1734., ubi mortuus est die 6. Mart. 1815., celebris medicus ob suam doctrinam de magnetismo animali, ac methodum medendi super ipso, erat addictus systematis mysticis francomuratoriæ, ac fundavit an. 1783., cum in Galliis moraretur, societates massonicas, quæ in unione cum nonnullis cœtibus addictis magnetismo, communicabant eius doctrinam in societatibus secretis et quærebant experimentis illam applicare.*

[1]) Cf. Deleuze: Hist. critique du magnétisme animal. Prem. partie chap. II.

[2]) Cf. Annales cathol. de Genève, Mars 1855.: Le Bortisme pag. 42 seq. Cf. etiam Monticelli, qui tom. II. op. cit. pag. 222. scribere non dubitavit: *Fra gli acattolici non mancano sette fra le quali il mesmerismo tien luogo di culto religioso, di cui i magnetisti sono i sacerdoti, e i magnetizzati i profeti.*

[3]) Cf. Mirville in lib. cit.: Des esprits. chap. XII.

Digitized by Google

rali sensu, quo hæreses omnes originem habeant ex insito superbiæ spiritu, cuius dæmon pater est, a perduellione adversus Christi Ecclesiam, sed presso sensu, quatenus dæmon fuit, qui Lutherum, totius protestantismi parentem, induxit ac impulit ad abolendum Eucharisticum sacrificium; [1]) Zwinglium vero docuit rationem negandæ realis Christi præsentiæ in Eucharistia; [2]) ex iis vero Calvinus totam doctrinam hausit suamque fecit politiori stylo. Nunc autem idem satanas, protestantismi auctor, opus suum perfecit, cum utatur protestantismo eodem tamquam organo præcipuo ad magnetismum, somnambulismum atque spiritismum constabiliendum, diffundendum tutandumque, quo Ecclesiæ seu Christi regno perniciem inferat, atque dominationem suam, seu regnum suum instauret.

877. II. Sollicitudo summa debet esse catholicorum, qua caveant tum ab illecebris protestantismi, tum a fallaciis spiritismi, cum ambo sint coniurati ad Ecclesiæ perniciem ac destructionem, atque ad satanici imperii instaurationem. Una eademque, ut patet ex dictis, utriusque conspiratio est, ut dominetur impietas, pantheismus, seu atheismus practicus, communismus ac socialismus per hominis deificationem, ingenti non minus animarum clade quam societatis totius pernicie.

---

[1]) Nunc explorata res hæc apud omnes est ex eiusdem novatoris libello: De abroganda missa privata, quem edidit an. 1521., et ex documentis certissimis, quæ referuntur ab Audin in: Histoire de la vie de Luther, quæque habentur tom. I. cap. XXI.: Conférence avec le diable. Paris 1841. Ast fusius adhuc in eiusdem vitæ editione V. tom. II. in append.: Pièces iustificatives de la conférence avec le diable n. VIII., ubi verbis ipsius protestantismi patriarchæ totum refert colloquium ab ipso cum diabolo habitum, et in quo devictus fuit doctor Wittembergensis.

[2]) Nam ipsemet Zwinglius refert de se, quod, cum cogitaret quomodo se posset extricare a difficultate qua urgebatur ad adstruendam realem Christi præsentiam ex Christi verbis petita: Hoc est corpus meum, sibi apparuerit spiritus, quem nesciebat an albus aterve fuerit, qui ei suggessit verba Exodi XII. 11.: Est enim phase, id est transitus domini, dicta de agno paschali uti figura paschatis. Ea arripuit ad suam hæresim divulgandam. Cf. Pluquet: Diction. des hérésies ad vocem Zwingli. Item tractatum nostrum de Eucharistia part. I. n. 45., ubi ostendimus, vere atrum fuisse spiritum illum, nempe dæmonem.

Digitized by Google

Difficultates.

878. I. Obi. 1. Paradoxum est velle protestantibus crimini vertere, quod a non paucis, immo vero a maxima ac saniori protestantium parte improbatur. 2. Alioquin catholici pariter insimulari deberent eorum omnium, quæ a pravis catholicis inducta sunt. 3. Porro exploratum est, etiam in America sectas omnes protestatas esse adversus spiritismi experimenta. 4. Certum præterea est, a Puységur catholico somnambulismum artificialem fuisse primitus inventum. 5. Religio itaque, quæcumque demum sit eius forma, extranea prorsus est magnetismi atque spiritismi experimentis. 6. Nec refert, interdum spiritus per mensarum oracula evehere protestantismi institutum, atque doctrinam; siquidem identidem iidem spiritus catholicismum commendant, ut liquet ex monachiensibus experimentis: stultum autem foret argumentum indidem capere in detrimentum catholicæ religionis. 7. Hoc insuper pendet a diversa spirituum, qui loquuntur, indole, quorum alii aliis deteriores sunt, ut constat ex iis, qui vel metempsychosi, vel animarum mortalitati, aut pœnarum alterius vitæ fini, aut etiam pantheismo favent. Ergo.

879. Resp. ad 1. Si nos comparationem institueremus inter personas seu individua ac individua, Tr. vel C.; si comparationem tantum inducamus inter institutum et institutum, N. Prout enim vel ab initio monuimus, numquam mens nobis fuit personas attingere quas reveremur atque diligimus, ut caritas exigit; sed protestantismum in sua natura ac indole unice insectamur, in quo magnetismus atque spiritismus sedem suam, domicilium ac incrementum adepti sunt, quique Ecclesiæ catholicæ adversatur eique hostilem se præbet, et quo dæmones utuntur ad eiusdem eversionem.

880. Ad 2. Neg. Quia Ecclesia utpote institutio plane divina, quæcumque sanctitati et sanæ doctrinæ opponuntur necessario damnat ac reprobat. Quocirca etiamsi plures paucioresve catholici ab officio desciscant, imputari ipsorum agendi ratio Ecclesiæ seu catholicismo nullatenus aut potest aut debet. Non ita vero se res habet respectu protestantismi, qui, utpote regula destitutus ac plane autonomus, viam aperit perversis dogmatis impiæque doctrinæ ad uniuscuiusque placitum, prout practica eius evolutio apertissime ostendit. Hi autem errores

Digitized by Google

omnigeni merito protestantismo tamquam infectæ radici tribuuntur. [1])

881. Ad 3. D. sine necessaria auctoritate et efficacia, Tr. vel C.; necessaria auctoritate munitæ, N. Licet enim id demus, quod saltem admodum incertum est, cum tamen in protestantismo nulla prorsus auctoritas vigeat, utpote in libero individuali examine et absoluta autonomia in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, constituto, consequitur, eiusmodi protestationes omnes esse omnino vanas ac inefficaces ad conatus spiritismi cohibendos. Idque luculenter patet non solum ex nullo illorum fructu, verum etiam ex aliis similibus protestationibus, quæ effectu omni caruerunt. [2])

882. Ad 4. D. Somnambulismus artificialis a Puységur primum invectus est, Tr.; a catholica tamen Ecclesia reprobatus, C. Ac primo quidem incertum adhuc est, num reipsa Puységur omnium primus somnambulismum artificialem induxerit, an non potius illum a magistro suo Mesmero didicerit, ut nonnulli contendunt. [3]) Item incertum est, num omnes curationes ipsius Mesmeri naturales fuerint, an vero præternaturales, prout pariter aliqui non absque fundamento existimant. [4]) Verum et hoc dato, nihil exinde erui potest quod catholicismo noceat, qui naturales operationes ad effectum præternaturalem obtinendum prorsus reprobavit, ut patet ex encyclica Sanctissimæ Inquisitionis an. 1856. ad episcopos omnes hac super re directa, quamque suo loco dedimus. Fieri nequit, ut omnis cuiuscumque ab Ecclesia præcaveatur perniciosa sive doctrina sive praxis; at eius officii est, ut, cum de ea constiterit, illam eliminet atque proscribat, ut iugiter ab ea factum novimus.

---

[1]) Opus, quod non ita pridem edidimus, cui tit.: L'idea cristiana della chiesa distrutta nel protestantesimo. Genova 1862. Nec non: Il protestantesimo e la regola di fede. part. I. cap. II. art. 2.

[2]) Exinde factum est, ut omnia in contemporaneo protestantismo fidei symbola reiecta fuerint utpote incompossibilia cum eiusdem protestantismi autonomia. Adeo res progressa est, ut a Concilio Tigurino in Helvetia petita fuerit abolitio symboli christiani. In synodo ad hoc celebrata maior pastorum pars favit huic abolitioni. Ita in diario: Monde 1. Mars 1864.

[3]) Cf. Deleuze op. cit.: Hist. critique du magnétisme, part. I. chap. I. et part. II. punct. III. chap. VI.

[4]) Cf. Des Mousseaux: La magie au XIX. siècle. chap. VIII., et Pailloux op. cit.: Le magnétisme VI. entretien pag. 183 seq.

Digitized by Google

883. Ad 5. D. Religio in abstracto sumpta, C.; in concreto spectata, N. Profecto si religionem in abstracto consideremus, seu uti vagam aliquam ac genericam cultus formam, potest esse extranea dictis experimentis; ast si religionem in concreto spectemus, seu sub certa determinata forma, ut adversarii loqui amant, iisdem extranea dici nequit, quæ ab ea forma procedunt. Porro si protestantismum inspiciamus, qui a dæmonis instinctu originem ducit ad impugnandam sub quovis respectú Ecclesiam Dei, ut illam, si fieri posset, evertat, et in hunc finem machinas omnes omniaque media dirigit, extraneus dici nequit mediis illis, quibus ad eumdem finem dæmones utuntur. Talia vero esse vidimus magnetismi, somnambulismi ac spiritismi experimenta. [1])

884. Ad 6. D. Commendant interdum spiritus catholicismum ad facilius decipiendum, Tr.; ad eum vere probandum ac promovendum, N. Quodnam insideat spiritibus consilium dum videntur interdum et quasi cunctanter commendare catholicam religionem, arguere facile est ex rerum adiunctis. Nam 1° nonnisi raro admodum id contingit (et forsitan semel, quod noverim, id contigit in experimentis Monachiensibus), et quidem apud eos, qui nondum hisce experimentis initiati sunt, ut ipsos alliciant ad aurem sibi præbendam; 2° nec catholicismum genuinum ac in tota sua amplitudine commendant, sed mancum et spurium, prout eum efferre protestantes ipsi consueverunt; 3. spiritum nempe obluctantem legitimæ auctoritati instillant, ac superbiæ typhum alunt indoli veri catholicismi contrarium; 4° reformationem in clericis ac prælatis poscunt, qualem scilicet quavis ætate hæretici sibi confixerunt, non autem veram, quam legitima tantum auctoritas exigere debet. Jam vero hæc omnia deprehenduntur in experimentis Monachiensibus, ad quæ nos adversarii provocant, quæque propterea iure merito ab illius diœceseos archipræsule proscripta sunt, ut suo loco vidimus. [2])

---

[1]) Cf. Des Mousseaux op. cit.: La magie au XIX. siècle. edit. nouv. Paris 1864. pag. 154 seq., qui, cum ostenderit veritatem experimentorum, quæ facta sunt a Barone protestante Guldenstubbé coram 50 testibus auctoritate conspicuis, nec non scripturæ spontaneæ, et quidem sive calamo sive hæmatite, patefecit arctum fœdus seu communionem ac societatem inter spiritismum, magiam, magnetismum animalem et hæresim politicamque perduellionem. Idipsum confirmat doctrinis protestanticis ac rationalisticis spirituum.

[2]) Cf. Civiltà cattolica. tom. V. pag. 42 seq.

Digitized by Google

Illudque demum animadversione dignum est, quod numquam, ut alias innuimus, eiusmodi spiritus aut perseverantiam in catholicismo cuipiam commendaverint, aut quempiam sectarium aliquando ad eum amplectendum profitendumque induxerint, aut saltem insinuaverint. [1])

885. Ad 7. D. Et hoc ipso omnes eiusmodi spiritus mali sunt, adeoque fugiendi, C.; tolerandi et interrogandi, N. Fatemur utique, inter spiritus malos alios aliis nequiores esse, uti ex ipsa scriptura novimus, dicente Christo Matth. XII. 43. de spiritu nequam: *Qui, cum exierit ab homine, vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se;* tum etiam ex experientia in possessis seu energumenis patefit. Verum ex hoc non sequitur, non esse omnes pari ratione fugiendos. Hinc qui spiritismo, active saltem, indulgent, cum iisdem dæmonibus conspirant in Ecclesiæ seu Christi in terris regni detrimentum, atque propterea in instaurationem imperii satanæ, cuius ipsi satellites et cooperatores se constituunt.

886. II. Obi. 1. Nefas saltem est, quin etiam absurdum, omnes indiscriminatim ceu conspiratores traducere tum adversus Ecclesiam, tum ad instaurandum diaboli regnum, qui spiritismo dant operam ac mensas interrogant; 2. habita præsertim ratione tot emolumentorum, quæ ex spiritismo in societatem proveniunt. 3. Demum ferri iudicium non debet de protestantismi indole ex parte illorum qui ipsum profitentur. Siquidem etiamsi plurimi, qui in eo ita se gerunt, perverse agant, negari tamen non

---

[1]) Lubet verba afferre cl. Monticelli, quæ, etsi directe disserat de lucido somnambulismo ac de extaticis magneticis, huc tamen pariter referuntur ob rationis paritatem: *Se infatti,* inquit ipse, *nessun magnetista ha mai fatta l'osservazione che le estasi magnetiche e le visioni d'angeli, di cui ora trattiamo, di preferenza si manifestino presso i sonnambuli cattolici, che i Luterani, i Calvinisti, i Quaccheri, o gl'Israeliti: se niun magnetista ha mai rimarcato, che tra tante illuminazioni celesti di cotesti crisiaci alcuna vene fosse che li conducesse ad unirli al grembo della vera chiesa: è forza concludere che le suddette comunicazioni avvengono con esseri assai diversi dagli angeli buoni. Il primo lume celeste di cui abbisogna chi è fuori della chiesa, è appunto quello della fede. Ma le rivelazioni e le visioni magnetiche in chi le ammetta come divine, tendono al contrario ad insinuare l'errore, che qualunque siasi la fede professata da un individuo, egli può equalmente piacere al creatore.* Op. cit. part. III. cap. V. pag. 219.

Digitized by Google

potest, protestantismum in se bonum esse ac bona parere haud exigua. 4. Est enim quoad substantiam religio ipsa christiana illis defæcata abusibus, qui tractu temporis in qualibet institutione ex humana infirmitate, uti ærugo ex ferro, progignuntur. Commendat et alit fidem suumque fundamentum, imo obiectum ponit in bibliis. Non potest propterea insimulari sine gravissima iniuria tum conspirationis adversus Christi regnum, tum cooperationis in instaurando cum pagana superstitione diaboli regno. Ergo.

887. Resp. ad 1. D. Nos traducimus uti conspiratores adversus Christi regnum atque uti fautores ac instauratores imperii satanæ eos, qui ex destinata malitia et culpabiliter ita se gerunt, C.; indiscriminatim omnes et singulos, qui experimentis dant operam iisque assistunt etiam in protestantismo degentes, N. Jamdiu alias monuimus inter eos, qui quoquomodo indulgent præfatis experimentis plures gradus distingui debere. Ex istis enim alii optime noverunt malum quod illis inest, attamen ea promovent nec a malo propterea deterrentur neque ab eo patrando se temperant, sed activi in iis sunt dum somnambulismum magneticum excitant, aut mediorum officio funguntur in in spiritismo ex destinata malitia ita se gerentes. Nemo porro negaverit, eos, qui in tali animi dispositione versantur, utriusque conspirationis reos esse. Alii vero plus minusve culpabiles ac complices se exhibent pro maioris minorisve malitiæ gradu in quo reperiuntur.

888. Ad 2. D. Emolumenta fictitia ex spiritismo in societatem proveniunt, C.; vera ac solida, N. Ac primo quidem longa experientia compertum est, nullum prorsus scientiarum progressum exinde provenisse, nominatim vero scientiæ medicæ aut therapeuticæ, in qua tamen ipsi præcipuum præsidium collocant.[1]) Præterea compertum est, in societatem nullum pariter emolumentum ex his ipsis exercitationibus derivasse, et reipsa illarum fautores nullum hactenus recensere potuerunt. Horum ratio a priori petitur ex eo, quod a commercio cum dæmone nullum bonum aut emolumentum verum ac solidum exspectari possit, cum ille sit infestus humani generis ac vaferrimus hostis.

---

[1]) Cf. Matignon lib. cit., qui ostendit per magnetismum, somnambulismum ac spiritismum nullum omnino scientias progressum fecisse. Satis est percurrere medicorum lucubrationes, quæ in dies prodeunt, ut quisque sibi id persuadeat.

Digitized by Google

889. Ast parum est, nullum ex hisce experimentis ac phænomenis bonum aut commodum provenire; sed illud adiici debet: haud mediocria ex illis mala sive in individua sive in societatem universam repeti debere. Respectu quidem individuorum, vel ipsis fatentibus magnetistis ac spiritistis, magna ipsis ingeritur propensio in melancholiam tristitiamque, ex quibus etiam oriuntur manomaniæ et suicidia; ac reipsa non pauci ex illis, qui talibus experimentis nimis addicti sunt, in hæc mala proruerunt. [1]) Ingruunt præterea morbi habituales epilepsiæ, viscerum contorsionis aliique eiusmodi. Nonnulli incidunt in obsessiones et possessiones dæmoniacas. [2])

890. Quod vero speciatim attinet ad societatem, quum magnetismi aut spiritismi epidemia, ut ita loquar, eam invaserit, habetur tamquam malum omen ac præludium ingruentis publici alicuius infortunii. Atque hinc factum est, ut in imperio Sinensi, quum eiusmodi exercitationes longe lateque vagantur, gubernium eas impedire aut saltem compescere satagat, ne publicum flagellum societatem adoriatur. [3]) Et reipsa exinde illius imperii sapientes repetunt perduellionem quæ postremis his annis universam regionem illam depopulata est. Idipsum

---

[1]) De his paulo post ineluctabilia documenta exhibebimus, ex ipsis magnetismi ac spiritismi patronis desumpta. Interim cf.: Le correspondant 10. Août 1852.

[2]) Cf. Pailloux op. cit. pag. 129.; item Des Mousseaux: Mœurs et pratiques des démons. pag. 229—233. et pag. 241—243.; nec non Benezet: Des tables tourn. pag. 56—59.; demum Bizouard: Rapports de l'homme etc. liv. XXXII. chap. IV. tom. VI. pag. 156. seq. in §.: Danger des manifestations: leurs extravagances, ubi diarium: Boston Pilot 1. Junii refert inter cetera: *Il n'y a pas de semaine, où l'on n'apprenne des suicides. Ces médiums donnent des signes non équivoques d'une possession véritable. — D'ici à peu d'années, le mal, qui se répand avec rapidité, aura produit d'affreux résultats: il gagne de terrain parmi les protestants. Il est rare que les catholiques consentent à devenir médiums.* Ephemerides statuum fœderatorum referunt incessanter suicidia aut casus amentiæ ob commercium cum spiritibus. Sic legitur in Courier and Inquirer 10. Mai: *Six personnes ont été admises à l'hôpital des fonds de l'état de l'Indiana le mois dernier: la cause est attribué aux esprits frappeurs.* Ita similia leguntur in: Herald, in Saint-Louis: Despatch 26. Mai, in: Table tournante in no. 30. Avr. 1854., et ita porro.

[3]) Cf. De Roys op. cit.: La vérité sur le spiritisme. cap. XII.

Digitized by Google

sapientes rerum æstimatores contigisse fœderatis Americæ provinciis animadverterunt, ubi post spiritismi furorem factum est, ut excitaretur funestum et atrox civile bellum, per quod post plurium civium myriadum cædes, universa fœderatio ingentibus calamitatibus sub quovis respectu affecta est. [1]) Tantum abest ut ex eiusmodi experimentis societas emolumenta capiat.

891. Ad 3. Resp. Hac ipsa de causa nos minime iudicium ferre de protestantismi natura ac indole ex parte illorum, qui eum profitentur, cum nolimus personas attingere, sed rem in se ipsa. Igitur protestantismum in se unice spectamus, quem sive ratione originis, sive ratione systematis dogmatici ac moralis, sive ratione fructuum, quos suapte natura producit, in quovis ordine pessimum esse profitemur. Aperit enim viam ad errores omnigenos, ad cohonestandas hæreses omnes, ac proinde ad omnem fidem eliminandam destruendamque Ecclesiam Dei vivi, ac propterea, quod consequens est, ad instaurationem regni diaboli. Sane quotquot enituntur christianismum e medio tollere, ut ei sufficiant illam, quam vocant, legem naturalem seu incredulitatem, protestantismo tamquam medio ad id aptissimo utuntur, atque eum quacumque possunt ope promovere ac dilatare satagunt. Publica facta id evidenter ostendunt. [2])

892. Ad 4. D. Protestantismus est quoad substantiam religio christiana defæcata ab abusibus in sensu adversariorum, C.; in se, N. Itaque in eo quod dicitur de religione christiana per protestantismum a defectibus defæcata, intelligi id debet eodem sensu quo rationalistæ profitentur se constituere verum christianismum ab omni absurdo supernaturalismo defæcatum, et quo increduli se constituere naturalem religionem ab omni defæcatam superstitione, et ita porro. Hi omnes similes illis dicendi sunt, qui ad defæcandam domum ab aranearum telis, quæ parieti inhærent, universum ædificium demoliuntur.

---

[1]) Sane ex relatione authentica seu officiali, ut vocant, data post confectum eiusmodi bellum, mense Junio 1865. constat, ex sola parte septentrionali interfectos fuisse 325,000 milites, vulneratos vero 1,000,000. Nondum relatio habetur eorum, qui ex parte australi ceciderunt. Verum supputatione approximativa patet, summam totalem interfectorum et vulneratorum excedere 2,000,000 hominum!

[2]) En apertam confessionem super hac re ipsorum incredulorum: *Le meilleur moyen,* inquit Eugenius Sue, *de déchristianiser l' Europe, est de la protestantiser;* atque Edgar Quinet addit:

Digitized by Google

Caput VIII.

De discrimine inter mira magnetismi et spiritismi phænomena ac vera miracula.

893. Mirum est, qua audacia progressi sint magnetismi, somnambulismi ac spiritismi fautores ac propugnatores ob sua phænomena partim vera, partim ficta. Eo enim devenerunt, ut omnia prodigia, signa ac portenta, quæ Deus per Moysen et prophetas ad patefaciendam divinitatem revelationis suæ operatus est, quin etiam quæ patravit Christus Dominus, aut quæ eius virtute deinceps apostoli virique apostolici ac sancti omnes ediderunt, veriti non sint adscribere magnetismo aut somnambulismo et spiritismo. [1]) Idem dic de revelationibus, raptibus, extasibus, vaticiniis ceterisque charismatis quibus præditos sanctos fuisse passim in historia ecclesiastica legimus. [2])

894. Verum cum nos hactenus ostenderimus, magnetismi atque spiritismi portenta in suo complexu dæmoni tamquam auctori principi esse in acceptis referenda, ac propterea eiusmodi operationes non esse nisi præstigia ac fallacias, aut operationes magicas; cumque præterea patefecerimus, in somnambulismo et spiritismo agentes mediatores non esse nisi diaboli instrumenta ad homines circumveniendos decipiendosque, non est cur valde laboremus in secernendis divinis operibus a satanæ præstigiis ac signis mendacibus. Ex perlevi siquidem utriusque, Dei videlicet et dæmonis, operum comparatione, illud

---

Les sectes protestantes sont les mille portes ouvertes pour sortir du christianisme. Qu'elles le veuillent ou non, toutes les religions qui ont combattu Rome sont avec nous: leur existence est aussi inconciliable que la notre avec la domination de Rome. In diario: Le Monde 6. Juin 1863. Hæc sunt explicita. Et reipsa videmus quod gubernia, quæ vellent christianismum eliminare, summopere faveant protestantismo.

[1]) Cf. Vandermœren Bollandian. in actis S. Theresiæ. §. XCIV. n. 1811. et 1812.

[2]) Ibid., ubi refert, a magnetistis non solum Moysen, Samuelem, prophetas, apostolos sanctosque omnes, qui miraculis aut supernaturalibus donis claruerunt, inter magnetizatores recenseri, verum etiam ipsum salvatorem nostrum hac arte ægros sanasse asserere non veritos esse. Tædet vel istorum blasphemias commemorare.

Digitized by Google

illico inter eā intercedere intervallum patebit, quod habetur inter cœlum et inferos.

895. Verum quidem est, adversarios, qui hæc obtendunt, nolle hoc fateri, quod phænomena magnetismi ac spiritismi dæmonibus tribuenda sint, imo potius contendunt ea esse prorsus naturalia, et occultis naturæ legibus et viribus tribuenda esse biblica illa atque ecclesiastica portenta, quæ miracula appellari consueverunt. Sed nos certis argumentis ostendimus, ea magnetismi phænomena non esse naturalia sed diabolica; nulla itaque ratione possunt cum christianæ religionis miraculis comparari. Præstat tamen thesim hac de re statuere, ut multiplici cognito discrimine inter mira magnetismi et spiritismi phænomena et vera miracula, difficultas omnis solvatur. Sit itaque:

Propositio.

Perperam magnetismi ac spiritismi sectatores connituntur infirmare miracula ac vaticinia biblica et charismata sanctorum obtentu phænomenorum, quæ ipsi iactant magnetismi ac spiritismi.

896. Satis est expendere characteres hinc phænomenorum magnetismi, inde miraculorum, ut statim appareat, quantum inter se distent. Eiusmodi autem characteres peti possunt primo ex rei natura; secundo ex subiecto; tertio ex fine; quarto ex effectibus atque ex adiunctis ceteris. Ex accurata singulorum disquisitione luce meridiana clarius patebit veritas enunciatæ propositionis, quod scilicet perperam connituntur magnetismi (sub qua appellatione etiam somnambulismum comprehendimus) et spiritismi sectatores infirmare miracula et vaticinia biblica et sanctorum charismata obtentu phænomenorum magnetismi et spiritismi. Quamvis vero alibi aliquid de hoc argumento attigerimus, [1]) nihilominus ob rei præstantiam constituimus, heic data opera iterum ampliori ratione ipsum evolvere, præsertim cum illic nonnisi obiter scripserimus ad solvendas difficultates, quæ ex mesmerismo adversus miracula petuntur. Ne tamen iterare videamur quæ iam constituta a nobis sunt, ea præsupponentes, diversa methodo rem nostram conficiemus. In quem finem propositos characteres singillatim persequemur.

---

[1]) In tract.: De vera religione. part. I. cap. III. prop. II. tum a n. 152. seq. tum n. 189. seq.

Digitized by Google

897. I. Primus igitur ex recensitis characteribus petitur ex ipsa rei natura. Ex universim recepta doctrina verum miraculum definitur: id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ;[1]) nempe non solum visibilis, sed etiam invisibilis, prout sub naturæ creatæ denominatione veniunt etiam angeli sive boni sive mali, scilicet dæmones. Cum vero eiusmodi opus stupendum naturæ ordini consueto contrarium talę esse possit sive quoad substantiam, seu quantum ad id quod fit, cuiusmodi foret excitatio a mortuis; sive in quantum ad id in quo fit, sive quoad subiectum, ut visus cæco nato impertitus; sive quoad modum, seu quantum ad rationem faciendi, ut instantanea et perfecta alicuius morbi sanatio, quæ naturæ vires saltem quoad modum excedit: exinde fit, ut habeatur miraculorum partitio in primam, secundam et tertiam classem, quam suo loco expendunt theologi.[2]) Huc redit etiam quod animadvertit Angelicus Doctor, quædam miracula esse supra naturam, quædam contra naturam et quædam præter naturam.[3]) Alii paulo aliter miracula inter se distinguunt, sed res tandem eodem redit.[4])

898. Nos vero priori vulgatissimæ distinctioni insistendo ita progredimur: Certe phænomena magnetismi ac spiritismi comparari nullo modo possunt miraculis quæ quoad substantiam seu quantum ad id quod fit naturæ creatæ facultatem excedunt. Inter hæc miracula et magnetismi phænomena nulla est neque apparens ac levis similitudo et analogia. Quis umquam audivit exempli gratia per magnetismum mortuos ad vitam vere esse revocatos? Quisnam magnetizator, quisnam somnambulus, quisnam spirituum mediator umquam allocutus est mortuos, ut Christus fecit, dum Lazarum vocavit extinctum? Nemo profecto; sed *locuta est resurrectio, et mors recessit,* uti pulchre ait Ambrosius.[5]) Pariter nulla est similitudo inter obiecta phæ-

---

[1]) Ita S. Thomas I. part. q. 110. art. 4. Et iterum lib. III. contra gent. cap. 102. Cum vero angeli et homines sancti patrare dicuntur miracula, intelligendum est de causa instrumentali, qua utitur interdum Deus ad mirabilia sua operanda, non autem de causa efficiente principali. Cf. Bened. XIV. De Canon. sanct. lib. IV. cap. II.

[2]) Cf. Bened. XIV. loc. cit.

[3]) I. part. q. 105. art. 8. et contra gent. lib. III. cap. 101.

[4]) V. Tongiorgi: Institut. philosophiæ. vol. II.: Cosmologia lib. IV. cap. II. art. I.

[5]) In Ps. CXVIII.

Digitized by Google

nomena magnetica et miracula, quæ naturæ facultatem excedunt quoad subiectum in quo fiunt. Quis enim umquam audivit, cæco a nativitate visum esse per magnetismum restitutum, vel aliquid eiusmodi?

899. Supersunt tertiæ classis miracula, quæ naturæ vires superant tantum quoad modum atque ordinem faciendi, ut quum infirmitas aliqua, quæ per se naturalibus mediis decursu temporis sanari potest, instantanee, nullo adhibito remedio sanatur. Inter hæc miracula et obiecta phænomena aliqua apparens similitudo esse potest; per se enim fieri potest, Deo permittente, ut arte diabolica aliquid huiusmodi patretur. At hoc ipso non esset miraculum; neque enim per imperium in leges naturæ, sed potius per modum artis invisibili ratione leges naturæ applicando id fieret, ut docent theologi [1]) ac nominatim S. Thomas. [2]) Non essent itaque vere miracula, sed tantum mira vel præstigia, quæ a miraculis natura sua differunt.

900. Non est igitur, cur magnetismi et spiritismi sectatores putent, se novam aliquam difficultatem invenisse ad miracula christianæ religionis labefactanda. Illud ipsum, quod veteres theologi de miris atque præstigiis docuerunt, nos iure merito de obiectis phænomenis dicimus, cum probaverimus, ea non esse naturalia sed diabolica; scilicet natura sua obiecta magnetismi et spiritismi phænomena a veris miraculis differunt, perinde ac mira et præstigia, ad quæ tandem ea phænomena revocantur. Cum itaque ad hæc referantur quæcumque per magnetismum animalem, somnambulismum et spiritismum patrantur, frustra ea afferuntur ad vim minuendam miraculorum sive biblicorum sive ecclesiasticorum. Et hæc de primo charactere, seu de rei natura.

---

[1]) Cf. Estium in II. sentent. dist. VII.

[2]) In quæst. disput. quæst. VII.: De miraculis ad quæstionem: *Utrum etiam dæmones operentur ad miracula facienda?* respondet: *Id fieri non posse; quia cum operatio miraculosa sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis et veritatis, si dæmonibus, quorum est tota voluntas in malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet.* Demum post multas relatas operationes a dæmone factas, quæ miraculo adscribi possent, concludit: *Neutra tamen operatio est miraculosa, sed per modum artis... et ideo simpliciter dicitur, quod per dæmones miracula fieri non possunt.* Cf. Del Rio magic. disquis. lib. II., ubi fuse de hoc argumento agit a quæst. IV. ad XXVI.

Digitized by Google

901. II. Alter character respicit subiectum seu patrantem miracula, et phænomena magnetica et somnambulica. Si attendamus ad characterem moralem eorum, qui vera et proprie dicta miracula patrasse aut patrare referuntur, et eorum, qui prædicta phænomena producunt, statim in oculos incurrit ingens inter utraque opera discrimen. Nam etsi demus, interdum Deum per homines malos mira quandoque efficere seu prodigia ad finem, quem sibi præstituit, hæc non præbent nisi exceptionem. Siquidem Deus nonnisi hominibus sanctitate conspicuis uti consuevit ad mirabilia sua operanda. Atque ut prætermittamus miracula biblica, de quibus nullum est dubium a viris sanctissimis ea edita fuisse, Moyse, prophetis, apostolis Christique discipulis, ut nihil dicamus de miraculis ipsius Christi Domini, qui virtute propria, nempe divina, atque ex propria auctoritate, utpote totius naturæ creatæ dominus miracula edidit; his, inquam, prætermissis, ex historia ecclesiastica atque ex hagiologia universa constat, nonnisi a viris sanctis omnique virtute præditis miracula patrata fuisse. [1])

902. In sacrorum rituum congregatione receptum est, ut nulla de miraculis a viris sanctis sive ante sive post obitum patratis disquisitio fiat, nisi rigorosum institutum fuerit examen, ex quo constat, eos in virtutibus theologicis atque moralibus in summo gradu excelluisse. Idque merito, quia, cum Deus sanctus sit omnisque sanctitatis fons, eum nonnisi amicis suis hoc miraculorum charisma impertiri decet, e quo illorum sanctitas patefiat, ut mox dicemus.

903. Jam vero qui dant operam phænomenis magnetismi, somnambulismi ac spiritismi producendis, quamvis nulli in particulari detrahere velimus aut intendamus, ut plurimum viri aut fœminæ sunt dubiæ famæ. Immo vero haud pauci palam incusantur immoralitatis, adeo ut non raro viri magnetistæ suis somnambulis fœminis abutantur ad turpia, prout vel ipsi magnetici systematis patroni diffidere non audent, aut etiam facile dant. [2]) Plerique hac veluti arte utuntur ad lucrum sibi com-

---

[1]) Unanimes hac in re sunt vetustissimi Patres et scriptores ecclesiastici: S. Justinus tum in apologiis, tum in dialogo cum Tryphone Judæo, S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Theodoretus aliique passim. Cf. Milner in op.: Fin de la controverse religieuse. I. part. lettr. XXVI. et XXVII.

[2]) Licet eorum, quæ hic recensemus, superius documenta præbuerimus, lubet adiicere verba D. Teste, propugnatoris acerrimi magnetismi,

Digitized by Google

parandum, aut celebritatis famæ inhiant. [1]) Haud pauci spiritu mundano aguntur, doctrinas, ut vidimus, falsas et impias profitentur. Quod si speciatim de mediis seu mediatoribus spiritismi loquamur, notum est, nonnullos ex istis præ se ferre characteres hominis a dæmone possessi, ut ex ipsorum tactu interdum cadaverico, interdum vero ignito proditum est. [2]) Nec demum defuerunt, qui aperte professi sint, se in istis operationibus magicam artem exercere, ac præternaturali malo agente uti, seu dæmone, cum quo commercium habent. [3])

904. Porro ecquis vel perlevem inter adeo diversos agentes, id est, inter miraculorum patratores seu thaumaturgos, et magnetizatores aut spiritismi medios comparationem instituat, illico non deprehendat, quam immane distent inter se? Poteritne serio quis falli in secernendis operibus divinis sub quovis respectu spectatis a phænomenis magnetismi, somnambulismi ac spiritismi? Etenim vel hoc solo inspecto charactere unicuique patebit, qui nolit destinata malitia seu voluntarie decipi, per eiusmodi phænomena, quæcumque demum sint, nulla ratione posse miracula sive biblica sive ecclesiastica infirmari.

---

quæ habentur in enchiridio ab eo Parisiis gallice vulgato an. 1840.: *Ad humani generis probrum facta, de quibus impossibile mihi est dubitare, promulgare non morabor .... Cum dolore vaticinor, ex magnetismo familias plures esse desolandas ac turpandas. Magnetizatam inter et magnetizantem fateor intimam existere necessitudinem, et huius in illam plenissimum imperium. Ipsa physicos omnes suos motus cogitur eius accomodare arbitrio. Vicissim, nescit magnetizator, num magnetizata omnia cordis sui penetralia perscrutetur, et num suos sensus, suos affectus voluntatemque suam omnem commisceat sensibus, cogitatis, affectibus ac voluntati magnetizantis sui. Illa in suo somno videt, audit, agit per suum magnetizatorem, nihilque in magnetizatæ corpore vel anima est residuum, quod magnetizatoris imperio subditum non sit .... Liquido ergo constat, quam tetram inde pestem libidinosus operator haurire, quoties voluerit, possit.* Id ipsum alii fatentur.

[1]) Id ostendimus superius adductis documentis.

[2]) Prout contigit in sæpe memorato Home, cuius contactus interdum frigidus rigidusque ad instar cadaveris se prodit, interdum vero ignitus et urens, halitum sepulcralem effundens. Cf. Pailloux op. cit. pag. 75.

[3]) Dupotet inter ceteros, ut paulo ante vidimus, hæc omnia confessus est.

Digitized by Google

905. III. Tertius character consistit in fine. In miraculis omnibus tum biblicis tum ecclesiasticis eorum finis ultimus est Dei gloria, proximus vero est utilitas illorum, in quorum gratiam eduntur. Eiusmodi autem utilitas aut est spiritualis aut corporalis. Spiritualis est comprobatio veritatis, qua fit ut vera à falsa religione secernatur, quo nihil Deo dignius habetur. Et huc referuntur miracula omnia, quæ in bibliis sive veteris sive novi testamenti exhibentur ad veritatem supernaturalis divinæ revelationis comprobandam, quæque a viris potissimum apostolicis in christianæ fidei propagatione fieri consueverunt. Quin etiam ea, quæ quandoque in punitionem alicuius vel aliquorum patrata sunt aut patrantur, ad utilitatem aliorum referuntur, quatenus ex iniquorum, incredulorum ac infidelium punitione ceteri expergefiunt, admonentur ac vigilantiores evadunt, ne et ipsi in eandem pœnam incurrant. Bonum vero corporale ac temporale pariter constituit obiectum et finem miraculorum, quatenus in solamen vexatæ humanitatis multiplici ex capite patrari solent, aut scilicet ad infirmitates abigendas, aut ad opem ferendam in magna rerum inopia per multiplicationem, fac panis, farinæ, olei aliorumque eiusmodi, et ita porro.

906. Generatim itaque omnia miracula biblica et miracula sanctorum duplicem præ se ferunt characterem, ut manifestent gloriam Dei et sanctitatem eorum, qui ex nomine et virtute Dei patrant miracula, nec non proximi utilitatem respiciunt. Quæ doctrina est S. Thomæ scribentis: *Vera miracula non possunt fieri, nisi virtute divina: operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem, et hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat et nomen Christi vindicat, quod etiam interdum per malos fit . . . Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi a sanctis, ad quorum sanctitatem denuntiandam miracula fiunt vel in vita eorum vel etiam post mortem, sive per eos sive per alios.* [1]) Et iterum: *Semper miracula sunt vera testimonia eius, ad quod ordinantur. Unde a malis, qui falsam doctrinam annuntiant, numquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ,* [2]) *quamvis quandoque fieri possint ad commen-*

---

[1]) II. 2. q. 178. art. 2.

[2]) Cf. hanc in rem Benedict. XIV. op. cit. part. I. cap. IV. n. 5., ubi animadvertit, theologos ad hoc declarandum uti exemplo prin-

Digitized by Google

dationem nominis Christi, quod invocant, et virtutis sacramentorum, quæ exhibent. Ab his autem, qui veram doctrinam annuntiant, fiunt quandoque vera miracula ad confirmationem doctrinæ, non autem ad testificationem sanctitatis.[1]) Et alibi passim.[2])

907. Hisce præiactis, iam ad applicationem veniamus. Si quis perpenderit omnia miracula, quæ in bibliis in utroque fœdere patrata referuntur, nec non illa omnia, quæ in Ecclesia Dei seu Ecclesia catholica a sanctis quovis seculo edita perhibentur, ne unum quidem invenietur destitutum eiusmodi insigni charactere, seu quod editum non sit ad Dei gloriam et ad hominum utilitatem modo exposito. E contra huiusmodi charactere prorsus carent magnetismi phænomena omnia.

908. De gloria Dei utilitateque hominum in eiusmodi operationibus non est quod quæras. Plerumque enim ad vanam explendam curiositatem ea diriguntur, ad solamen vanum, ad momentaneam satisfactionem. Nihil solidi præ se ferunt, ac vel in ipsis, qui dicuntur, morbis expellendis sæpe fallunt experimenta, atque in alias infirmitates non semel immutantur eiusmodi curationes.[3]) Quod si contingat veras interdum curationes

---

cipis, qui, si sigillum alicui traderet in aliqua circumstantia, in qua prævideret eius abusum, particeps esset abusus. Sane hoc exemplo usus est Card. De Lugo: De fide disp. II. sect. I. n. 24. perinde ac Suarez: De gratia proleg. III. cap. IV. n. 12., Card. Baronius item ad an. 34. n. 210. et Card. Bellarminus: De notis Ecclesiæ lib. IV. cap. XIV. n. 5., ut alios prætermittam. Etiam S. Thomas III. part. q. 43. hac utens similitudine ait: *Sicut cum aliquis defert litteras annulo regio signatas creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur.*

[1]) Ibid. in resp. ad 3.

[2]) Lect. II. in II. ad Thessalonic. et Quodlib. II. q. 4. art. 6. ad 4.

[3]) Cf. Des Mousseaux: La magie au XIX. siècle. chap. XII. seconde division: Action physique de cet agent. pag. 327 seq., ubi scribit: *Lorsque l'agent magnétique opère sur les maux de nos corps, l'expérience établit, à titre de vérité générale, qu'il ne les guérit point sans causer de vives douleurs, ou sans nous faire courir le risque de la vie, que souvent il éteint! Ses cures sont d'une longueur désespérante: elles ne sont complètes que par exception; le mal qu'il chasse d'un organe est souvent remplacé dans un autre organe par un mal plus farouche, et les maladies dissipées sont sujettes à de cruels retours.* Quod confirmat confessione ipsius de Puységur, antesignani somnambulismi. Cf. etiam d'Orient tom. III. liv. X. pag. 65.

Digitized by Google

fieri, hæ non sunt nisi illicia, ut deinceps facilius seducantur atque pertrahantur homines ad eiusmodi experimentorum frequentiam. Etenim cum mali spiritus Dei hominumque hostes vaferrimi sint, fieri nequit, ut ullum aliquando honestum in suis molitionibus sibi finem proponant, quo Deum honorent ac hominum promoveant utilitatem.[1])

909. IV. Quartus character ex effectibus aliisque adiunctis constituitur. Hoc enim sibi proprium vindicant vera miracula, qualia sunt quæ in bibliis et fastis ecclesiasticis referuntur, ut ipsorum effectus sint diuturnitas et perseverantia, quæ magnum sunt indicium veritatis; nam quæ ficte fiunt, subito evanescunt, contra quæ vera sunt, in effectibus suis miracula perdurant. Sic veritatem vitæ Lazaro restitutæ, cuius mortem veram quatriduum iam probaverat, diuturnum tempus vitæ insequentis confirmavit. His additur multitudo et frequentia talium effectuum cum signis omnibus ac indiciis veritatis, quæ esse solent in omnibus rebus, quas præ manibus habemus; et sic probata est veritas vini, quod Christus ex aqua convertit.[2]) Ad hos effectus revocari etiam debet mira in melius morum emendatio in iis, qui talia miracula suis præsertim oculis usurparunt. Fieri enim nequit, ut qui testes miraculorum sunt non percellantur ad eorum conspectum, neque cogitent de propriæ vitæ emendatione, uti experientia ostendit.

910. Jam vero omnibus hisce effectibus atque adiunctis destituta sunt opera magnetismi, somnambulismi ac spiritismi, quæ ut plurimum saltem consueverunt pessimos effectus producere, nempe vanitatem, dissipationem morumque pravitatem. Etenim ne ullus quidem ex illorum conspectu melior aliquando evasit, nec de vitæ emendatione cogitavit. Verum hæc non sunt nisi negativa; sed, quod deterius est, phænomena et operationes, de quibus agimus, solent ut plurimum noxios parere effectus, cuiusmodi sunt infestationes dæmonum, obsessiones, deliramenta, morbi.[3]) Insuper vel ipsi magnetistæ et spiritistæ fatentur, per sua phænomena ingeri propensionem ad suicidia, prout non

---

[1]) Jam alias attulimus verba Tertulliani in apolog. cap. XXII. scribentis: *Lædunt (dæmones), lædere desinunt, curasse creduntur. Remedia præcipiunt ad miraculum nova sive contraria.*

[2]) Ita Suarez: De fide. disp. IV. sect. III. n. 9.

[3]) Cf. Des Mousseaux op. et loc. cit.: Quatrième division: Son action morale et religieuse. pag. 356. Item d'Orient. tom. III. pag. 275.

Digitized by Google

semel contigit. [1]) Habentur ea ut prognostica malorum ingruentium publicarumque in societate calamitatum, ut superius vidimus. Tantum igitur abest ut opera magnetismi, somnambulismi ac spiritismi aliquo modo infirment miracula biblica aut sanctorum, ut potius non parum conferant ad illorum præstantiam veritatemque mirifice confirmandam, ut umbræ in picta tabula conferunt ad illarum figurarum, quæ in ipsis cernuntur, pulchritudinem, perfectionem excellentiamque extollendam, aut quemadmodum in tabula Raphaelis Sanctii exosi diaboli sub S. Michaelis pedibus deiecta figura confert ad eiusdem archangeli cœlestem imaginem relevandam admirandamque.

911. Quod demum attinet ad adiuncta cetera, quæ vera miracula comitantur, attendi debet ad modum, quo ipsa patrantur, vere mirabilem. Siquidem peraguntur aut per imperium, aut per orationem ad Deum, frequenter simul coniungitur aliud opus solius Dei proprium, cuiusmodi est manifestatio cogitationum cordis, quod sæpe Christus præstitit aut ex eius virtute etiam nonnulli sancti fecisse perhibentur. Contra vero si agatur de præstigiatoribus, hi nonnullis occultis formulis et arcanis sua mirabilia operari consueverunt, aut incantationibus, aut quibusdam signis ipsorum propriis. [2]) Si vero sermo sit de magnetistis ac spiritistis, hi etiam certis quibusdam mediis utuntur ad excitandum somnum artificialem ac magneticum, et ad alia phænomena producenda; quæ quidem omnia arguunt artificium alienum a veris miraculis. Huc accedit excellentia, quæ in veris miraculis elucet, quæque longe vincit ac superat quæcumque humano ac diabolico conatu fieri umquam possint, adeo ut in comparatione infinito intervallo opera Dei ab hisce miseris imitationibus distare, appareat; prout contigit in incantatoribus Pharaonis, dum similia his, quæ a Moyse patrata fuerunt, efficere sunt connisi. Itaque licet dum abstracte et vage res spectatur videri possit difficile, vera miracula a miris phænomenis distinguere, tamen, si in concreto et cum suis adiunctis omnia facta spectentur, tota difficultas evanescit. [3])

---

[1]) De quo effectu alias disseruimus.

[2]) Cf. Del Rio Disquis. magic. lib. I. cap. IV. q. III. et IV.

[3]) Multa discrimina, spectatis in concreto omnibus adiunctis, inter obiecta phænomena et miracula accurate recensentur in quodam articulo de hoc argumento edito in periodico: Civiltà cattolica serie I. vol. V. pag. 278 seq.

Digitized by Google

912. Plura ex his, quæ hactenus diximus, eleganter complexus est Justus Lipsius scribens: *Triplex nota est, qua vera a vanis miraculis differunt: magnitudo, finis et fides. Magnitudo, quod non exigua aliqua aut levia sint in opere, sed quæ opinionem, sensum, naturam omnem vincant, et quæ ipsa illa natura non nisi domino suo possit indulgere. Legistine, a Moyse, Pharaone rege arbitro, victos varie eius præstigiatores aut magos? Tale universe in veris vanisque scito; cum illic verum et divinum eminere, ideoque et maiestatem; hic fallax aliquid lusorium et illusorium, et in applicatione leve reperiendum . . . Jam discrimen alterum a fine est. Ut demus, magna quædam a profanis pravisque hominibus patrari, finis dissidet. Illi in ludibrium aut noxam faciunt, nostri in serium fructum aut salutem. Præstigiatores, calculatores, et id genus, quid nisi, vana specie obiecta, oculos sensusque fallunt? Et fallendo delectatiuncula aliqua fortasse permulcent. Magi, incantatores, venefici nocendi palam finem habent et ad dæmoniorum cultum adducendi, quorum ope consilioque hæc patrant. Itaque non fallax est iste character, quod vera miracula ad verum et unum Deum ducunt, falsa ad falsos et multos. Tertium denique discrimen fides, atque id dupliciter. Primum, quia vanæ multa eiusmodi famæ, aut scriptis prodita . . . sensu etiam altero vana, quia speciem sæpe, non rem habent, non certe perfectionem aut diuturnitatem . . . Non sic in veris, absit: Omnia fidem habent, sive libris sacris tradita, qui non magis, quam eorum auctor (is Deus est) mentiuntur, sive bonis testibus arbitrisque affirmata: denique fidi etiam perfectique operis, nec retractantur ea facili aut mutant.* [1])

913. Ad tria etiam vel quatuor capita hæc discrimina revocat S. Thomas: *Dicendum,* inquit, *quod signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis, quia signa facta per bonos virtute divina, fiunt in illis etiam, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit sicut suscitare mortuos, et huiusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt, sed in præstigiis tantum, quæ diu durare non possunt. Secundo ex utilitate signorum: quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et huiusmodi: signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis; sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida. Tertia differentia est quantum ad finem, quia signa bonorum ordinantur ad ædi-*

[1]) In tract.: De D. Virgine Hallensi, cap. V. apud Bened. XIV. l. c.

Digitized by Google

ficationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et quantum ad modum differunt, quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris et huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab his, quæ virtute dæmonum fiunt.[1])

914. Origenes vero in præclaro, quod Celso opposuit, opere circa an. 249. æræ christianæ, ut eius calumnias propulsaret, qui miraculis Christi et Moysis improborum præstigia opposuerat, ad eum modum quo nunc magnetistæ, somnambuli ac spiritistæ iactant, se suis phænomenis infirmare aut etiam superare miracula biblica et ecclesiastica, ad trutinam vocat falsa et vera miracula. Discrimen porro, quod inter illa intercedit, ad quatuor capita revocat, scilicet ad sanctitatem et integritatem vitæ eius, qui miracula patravit; ad qualitatem eorumdem miraculorum, quæ permanentia sunt, et diuturna; ad fidem eis præstitam, non a paucis, sed ab integris populis et nationibus; ad finem denique, ad quem miracula tendunt, correctionem videlicet morum, virtutem adipiscendam, vitæque sanctitatem servandam, quibus antithesin opponit eorum, qui falsa miracula edunt, confert opera cum operibus, effectus cum effectibus, fructus cum fructibus.[2])

915. Quandoquidem vero in enunciata propositione non modo miraculorum, verum etiam vaticiniorum aliorumque charismatum mentionem iniecimus, eaque pariter infirmari per somnambulismi et spiritismi phænomena contendunt istorum sectatores, aliquid saltem de iis adiicere præstat ad argumentum absolvendum maiori, qua fieri poterit, brevitate.

916. Vaticinium seu prophetiam presso sensu accipientes, dicimus esse præcognitionem et prædictionem certam futurorum contingentium, seu eorum, quæ a libera voluntate unice pendent.[3]) Eiusmodi autem futura eventa nonnisi a Deo cognosci

---

[1]) In II. sentent. dist. VII. q. 3.

[2]) Cum nimis prolixa sint, quæ in hanc rem scripsit Origenes, satis nobis erit loca indicare, in quibus ipse recensita capita singillatim evolvit, ex edit. De la Rue. Paris 1733. tom. I. lib. I. n. 68. pag. 387. Item lib. II. n. 20. pag. 405., nec non n. 52. pag. 426., ac n. 53. pag. 427.

[3]) Cf. Bened. XIV., qui lib. IV. de canoniz. sanct. cap. XLV.

Digitized by Google

ac prænunciari posse, aperte sacræ literæ docent, ac ratio ipsa suadet. Etenim Isaias sic provocabat inanes ethnicorum deos illis verbis: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos;*[1]) et iterum: *Recordamini, inquit Deus, prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt;*[2]) ut alia eiusmodi non pauca silentio præteream.[3]) Quo pariter refertur cognitio secretorum cordis, de qua legitur apud Jeremiam: *Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes;*[4]) ac de Christo legitur: *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine;*[5]) atque apud Matthæum: *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum.*[6]) Hinc S. Hieronymus: *Simpliciter accipiamus,* scribit, *quod nullus cogitationum secreta cognoscat nisi solus Deus.* Ex quo infert Christum non purum hominem esse, sed Deum, subdens: *Si autem de salvatore dicitur: videns autem cogitationes eorum Jesus, nullusque potest videre cogitationes eorum, nisi solus Deus: Ergo Christus Deus est, qui scrutatur corda, et probat renes.*[7])

917. Ipsa vero ratio idipsum confirmat. Cum enim homo res cognoscere non possit nisi vel in se existant, vel in suis causis, et quæ futura sunt contingentia nec in se adhuc existant, nec in causis suis, cum voluntas nondum determinata ad alterutram partem sit, plane consequitur, futura eiusmodi a nulla humana vel angelica etiam creatura prænosci posse. Ad summum potest homo et angelus, ac proinde dæmon, coniiciendo divinare, non autem certo prænoscere ac prænunciare; ac pro-

---

animadvertit, prophetiam aliquando extendi ad præterita, quorum nec memoria nec certa signa extabant, et ad præsentia loco distantia et occulta, et ad internas cordium cogitationes, ita ut propheta sit, qui divinitus cognoscit ea, quæ longe distant a sensu et naturali cognitione hominum, et ea potest manifestare.

[1]) Is. XLII. 23.

[2]) Ibid. XLVI. 9. 10.

[3]) Uti Daniel II. 78., I. Cor. II. 11., et alibi passim. Cf. Suarez: De relig. tom. I. tract. III. cap. VII. n. I. seq.

[4]) Jer. XVII. 9.

[5]) Jo. II. 25.

[6]) Matth. IX. 4.

[7]) Comment. ad cap. XVII. Jerem. Opp. edit. Vallarsii. tom. IV. col. 960.

Digitized by Google

pterea si quid eiusmodi prænuncietur ab alio quam a Deo, falsitati subiacet. [1])

918. Referta porro esse eiusmodi vaticiniis biblia tum in veteri tum in novo fœdere superfluum foret ostendere, cum res notissima sit. Inferimus potius, somnambulorum ac spiritistarum prædictionibus nulla ratione vaticinia biblica, ac etiam ecclesiastica infirmari posse, quippe quæ aut falsæ, aut coniecturales ex sagaciore dæmonum natura derivatæ sunt. [2])

919. Quod dictum est de prophetia, affirmari pariter debet de scrutatione cordium seu de cognitione cogitationum hominum, quæ Deo soli competere potest, nec ulla ratione dæmoni potest patere; nec nisi absurde magnetistæ ac somnambuli gloriantur, se aliorum cogitationes penetrare atque cognoscere. Hinc Apostolus absolute pronunciat: *Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est.* [3]) Adeoque, cum cogitationes sint intimæ homini, nequeunt dæmones, nec proinde magnetistæ, somnambuli ac spiritistæ eius cogitationes cognoscere, nec nisi solus Deus ac ipse cogitans perspicere possunt.

920. Quæ quidem intelligi debent de cogitationibus quatenus voluntariæ sunt, liberæ atque spontaneæ. Nam si agatur de nonnullis affectionibus passivis, quæ exterius prodeunt ac se manifestant in agitatione, in pallore, aut rubore: per hæc exteriora signa non solum dæmones, verum etiam sagaciores homines cogitationes cognoscere possunt non quidem in seipsis, sed in suis effectibus. Quod si species sive sensibiles, nempe phantasmata, sive intelligibiles cognoscunt dæmones, non tamen noverunt ipsarum usum, qui a voluntate unice dependet, prout animadvertit Angelicus Doctor, qui omnes magnetistarum prævenit difficultates, iamdiuque solvit. [4]) Qui concludit: *Motus voluntatis et per consequens voluntariæ cogitationis, non potest cognosci neque a dæmonibus, neque a quocumque alio, nisi ab ipso Deo, et ab homine volente et cogitante.* [5])

---

[1]) Cf. S. Thom. II. 2. q. 171 seq., præcipue vero q. 172. art. 4. et 5.

[2]) Cf. Suarez: De fide, disp. VIII. sect. I. et sect. VII., nec non Bened. XIV. op. cit. lib. III. cap. XLIV., ubi fuse de hoc argumento pertractant.

[3]) I. Cor. II. 11.

[4]) In quæstion. disputatis de malo quæst. XVI. art. VIII.: Utrum dæmones cognoscant cogitationes cordium.

[5]) Hoc de argumento egit Bened. XIV. op. cit. lib. III. cap. XLVI.,

Digitized by Google

921. Quod autem spectat ad reliqua sanctorum charismata, hæc revocantur ad gratiam discretionis spirituum, ad genera linguarum et interpretationis sermonem;[1]) item ad mentis excessum, ecstasim et raptum; ac denique ad visiones, apparitiones et revelationes; de quibus singillatim agere nobis in animo non est, lectoremque remittimus ad immortale opus Benedicti XIV., ubi copiose non minus quam docte ac erudite ea persequitur ad finem sibi propositum de servorum Dei beatificatione et canonizatione.[2])

922. Mirum profecto est, eo impudentiæ nonnullos magnetistas aut somnambulismi ac spiritismi sectatores devenire potuisse, ut præclarissima eiusmodi charismata, quibus Deus sanctorum suorum non paucos ornavit ad illorum sanctitatem manifestandam, magnetismo ac somnambulismo tribuerent.[3]) Ipsi enim pro certo assumunt in impio hoc paradoxo effutiendo, ecstases, raptus, visiones, quas furentes somnambuli magnetici ostentant, non modo comparari, sed præferri etiam donis illis, quæ sancti consecuti sunt, debere. At dato etiam, omnia vera esse neque magna ex parte exaggerata portenta quæ magnificantur somnambulorum suorum a magnetistis, ea tamen non sunt nisi aut ludicra, illusoria, ac phantasiæ emotæ ludibria, aut dæmonum operationes, ut patet vel ex ipsis poëticis descriptionibus, quas nonnullæ somnambulæ scriptis prodiderunt.[4]) Intrinsecum præterea inter Dei operationes in sanctis suis, et operationes sive naturales sive præternaturales, nempe diabolicas operationes, discrimen intervenit, ut nemo decipi possit.[5])

Del Rio: Disquisit. magic. lib. IV. cap. II. sect. 2. Item Thyræus: De apparitione intellectuali, lib. IV. cap. XIII. n. 14.

[1]) I. Cor. XII. 10.

[2]) Lib. III. cap. XLVIII. seq.

[3]) Cf. Vandermœren in cit. dissert. §. XCIV.: De magnetismi existentia et natura, prævia actis et vitæ S. Theresiæ. Bruxelles 1854. pag. 419, ubi n. 1812. impietatem suggillat magnetistarum, qui non sunt veriti, Moysem, Samuelem, prophetas, apostolos, sanctos sanctasque omnes, qui miraculis aut supernaturalibus donis inclaruerunt, magnetistis accensere. Immo, quod horrendam blasphemiam sapit, Christum ipsum Deum ac salvatorem nostrum, nonnisi magnetismi ope sanationes operatum esse, effutire sunt ausi.

[4]) De quibus egimus in cap. superiori.

[5]) Vid. Civiltà cattolica serie I. vol. VII. pag. 292.: Sonnambulismo e previsioni, ubi data opera discrimina inter vaticinia et somnambulorum prædictiones enumerantur.

Digitized by Google

923. Hoc porro discrimen petitur tum ex altissima quiete, qua fruebantur ac porro fruuntur sancti sanctæque Dei dum his donis, ecstasi, raptibus, visione afficiuntur, [1]) secus ac contingat in somnambulis magneticis, qui seu quæ convulsionibus in suis ecstasibus agitantur, ac quodam veluti furore percelluntur, prout contingebat in convulsionariis ad cœmeterium sancti Medardi; [2]) tum ex cælesti quodam lumine, sanctorum mentibus affulgente, quo non solum arcana divina percipiunt, sed præterea memoriam distinctam retinent eorum, quæ passi sunt aut viderunt. Oppositum autem evenit in somnambulis, qui cessante ficta eorum ecstasi aut raptu utplurimum plane obliviscantur eorum, quibus perculsi fuerunt; [3]) tum denique ex effectibus, qui sequuntur in viris sanctis ex divinis operationibus quas experiuntur, qui sunt plane contrarii iis, quos experiuntur somnambuli ac somnambulæ. Nam ex illis sancti proficiunt in virtutibus, humilitate, patientia, contemptu sui, atque, ut verbo dicam, in omnimoda sanctitate, dum somnambuli ac somnambulæ in peius iugiter ruunt, præcipue vero in vanitatem, fatentibus ipsis magnetismi patronis, qui vehementer monent, ne ipsis patefiant cognitiones ab ipsis manifestatæ in statu crisiaco, quia alioquin superbiunt, efferuntur, ac morosi, pertinaces intractabilesque evadunt. [4]) Nihil dicam de sensualitate ac in omnem libidinem proclivitate ac corruptione, in quam somnambulæ nominatim passim decidunt, [5]) aliisque malis affectionibus.

---

[1]) Cf. cit. dissertat. Bollandiani Vandermœren pag. 429. Item Benedict. XIV. op. et loc. cit.

[2]) Cf. Mirville: Des esprits. chap. IV., nec non Pailloux op. cit.: Le magnétisme etc. Quinzième entretien, qui totum hoc factum expendunt.

[3]) Cf. Vandermœren dissert. cit. n. 1847.

[4]) Cf. apud Monticelli op. cit.: Sulla causa dè fenomeni mesmerici. vol. III. cap. V. Conseguenze morali del magnetismo. pag. 194 seq.

[5]) Cf. Dubreyne, prius medicum deinde pium Trappensem monachum, in: Essai de la théologie morale. Paris 1843. part. IV. chap. I.: Dangers dans le somnambulisme magnétique, ubi hæc verba leguntur: *C' est surtout ici le grand écueil où l'innocence et la vertu peuvent faire le plus triste et le plus déplorable naufrage. Je voudrais pouvoir terminer ici pour n'être pas obligé de dévoiler tant de honte et d'ignominie; mais la voix sévère de ma conscience et le sentiment d'un grave devoir m'interdisent sur ce point un lâche et coupable silence. Si les infamies et les horreurs, qui m'ont été der-*

Digitized by Google

924. Cum itaque res ita se habeant, non est quod diutius his immoremur in ceteris persequendis, quæ patefaciunt, nihil commune intercedere inter charismata sanctorum et phænomena magnetismi atque somnambulismi, ut conferri inter se possint. Multo vero magis id affirmandum de operationibus spiritismi per tripodes, mensas mensulasque, per mentales mediorum seu mediatorum iussiones aliaque eiusmodi, quæ non produnt nisi diabolica commercia, prout in incantationibus et magicis operationibus obtinet. [1])

925. Constat igitur assertæ propositionis veritas, nihil scilicet esse pertimescendum ex phænomenis magnetismi ac spiritismi, quasi nempe per ea infirmari queant miracula ac vaticinia et charismata sanctorum. Immo vero ex miris istis novis phænomenis triplex derivatur utilitas ad supernaturalia miracula vindicanda.

926. Ac primo quidem narrationes biblicæ atque historiæ ecclesiasticæ de miraculis redduntur ipsis incredulis magis credibiles. Qua enim ratione negare possunt a priori extraordinaria ea facta, dum ipsi sunt testes phænomenorum magnetismi ac spiritismi, quæ iuxta ipsos æque sunt mira ac illa, quæ in bibliis et ecclesiasticis historiis leguntur? Revera dum prius increduli omnes, ac nominatim increduli sæculi elapsi, omnia facta miraculosa a priori negabant, nunc post visa magnetismi ac spiritismi phænomena plures increduli ea non amplius inficiantur, licet contendant naturaliter explicari posse. Interea ex magnetismi phænomenis hæc primo derivata est utilitas, ut veritas historica miraculorum, quæ in bibliis atque in aliis fide dignis monumentis narrantur, credibilior redderetur.

927. Quin etiam heic obiter noto, quod magicæ tum primorum sæculorum, tum præsertim medii ævi superstitiones dæmonumque obsessiones ac possessiones, quæ non ita pridem communi incredulorum calculo deridebantur una cum Ecclesiæ exorcismis, nunc iam ab ipsis ut historice veræ admittuntur,

---

nièrement révélées, sont vraies, et malheureusement il m'est impossible d'en douter, dès lors j'acquiers la triste et douloureuse conviction, que le magnétisme animal peut devenir le moyen de corruption la plus exécrable, qui soit jamais sortie de l'enfer.

[1]) Legi merentur quæ hac de re habentur in cit. dissert. tota §. XCV., ubi instituitur comparatio inter Theresianas et magneticas ecstases.

Digitized by Google

dummodo magnetismi, somnambulismi ac spiritismi pallio contectæ exhibeantur. Cum vero de factis iam constet, quod sit de ipsorum indole naturali aut præternaturali iudicium ferendum, ad ipsos non amplius spectat. Cumque ostensum sit, eiusmodi facta a causa præternaturali omnino repetenda esse, hoc ipso Ecclesia in sua agendi ratione iustificata est.

928. At secundo ex comparatione cum phænomenis magnetismi ac spiritismi hæc utilitas habetur, ut supernaturalis christianorum miraculorum ratio comprobetur. Nam si ex probatis phænomena ipsa magnetismi ac spiritismi non possunt tribui naturæ occultis viribus et causis mere naturalibus, sed necessario causæ præternaturali tribuenda sunt, multo magis christianæ religionis miracula, quæ sunt adeo maiora, non possunt naturaliter explicari, sed necessario causam postulant extra ordinem naturæ.

929. Hinc vero tertia profluit utilitas, quod scilicet divinus miraculorum character magis elucescit. Etenim comparatione facta inter phænomena magnetismi ac spiritismi, ac christiana miracula, vaticinia aliaque charismata, apparet neutra tribui posse naturæ, sed illa tribui debere malis angelis, hæc vero angelis bonis ac ipsi Deo. Nemo enim ita desipere potest, ut contendat, etiam christiana miracula auctorem habere dæmonem, quemadmodum magnetismi phænomena; imo vero ex multiplici oppositione, quæ inter ea intercedit, hinc magis patet diabolica operatio, inde vero operatio divina magis elucescit.

930. Itaque ex phænomenis magneticis non solum nihil deduci potest contra christiana miracula, sed potius ex oppositione confirmari potest historica veritas et supernaturalis ac divinus character miraculorum, quibus christiana religio gloriatur.

Difficultates.

931. I. Obi. 1. Perperam magnetismi, somnambulismi ac spiritismi adversarii deprimunt phænomena, quæ ex illis proveniunt, cum exploratum sit, ea minime prodigiis biblicis atque ecclesiasticis cedere. 2. Siquidem si magnitudinem spectes, constat nihil reperiri in biblicis miraculis, quod vincat operationes magneticas, per quas cæci vident, claudi ambulant, mutorum-

Digitized by Google

que lingua aperitur ac solvitur.[1]) 3. Si multitudinem, adeo frequentia sunt, ut numero superent quæ sive in bibliis, sive in sanctorum actis leguntur: nam pæne quotidie ægri curantur, ita ut cuiusvis infirmitatis utut insanabilis symptomata evanescant. 4. Si modum, eadem ratione, qua Moyses per brachiorum expansionem devicit Amalecitas, Christus apostolis per manuum impositionem fluido magnetico thaumaturgos effecit, atque apostoli imponentes manus super ægros his sanitatem restituerunt; sic magnetistæ se gerunt, eosdemque obtinent effectus. 5. Quin etiam ad nutum suum gignunt pandiculantem oscitantiam, somnum, somnambulismum, ecstasim, varium præterea pro libito imperant magnetizatores corpori magnetizati situm, quietem, incessum; ex somnambulo responsum eliciunt, et quidem ad propositas quæstiones de rebus occultis, futuris; efficiunt per voluntatem suam, ut somnambulus percipiat vel non percipiat quæ coram se a magnetizatore vel ab aliis proferuntur; inter somnambulum et tertiam personam instituunt magneticam relationem per corporis contactum, si præsens ea sit, vel, si absens, per præbitum a somnambulo capillitii eius cirrum, vestisve particulam, aut aliud quodcumque contrectatum ab eo obiectum.[2]) 6. Nihil porro tale mirum in Christi sanctorumque gestis occurrit. Ergo.

932. Resp. ad 1. vel N. vel D. Si magniloquis magnetistarum encomiis aurem præbeamus, C.; si factis attendamus, N. Recolantur probationes, ex quibus omnino contrarium constat, quin necesse sit eas denuo afferre.

933. Ad 2. N. Si reipsa quæ iactant magnetistæ phænomena essent, profecto cæci omnes, claudi, muti ad eos undique confluerent, prout confluebant ad Christum de quo legitur Luc. VI. 19.: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes;* et Marci VI. 56.: *Et quocumque*

---

[1]) Ita Ennemoser in: Hist. magnetismi animalis, qui eo usque progreditur, ut affirmare non vereatur, somnambulos secretiora lucido suo visu trans densum terrarum orbem pertingere atque ad ipsos usque antipodas, persentiscere quid ultra immensi cœli spatia in luna, et in remotissimis planetis fiat etc. Nec satis. J. J. Ricard in suo tractatu de magnetismo animali testatur, se conspexisse omnibus hactenus ignota hominibus, diemque vaticinatur venturum, quo magnetismus vigentia hodie principia ac systemata susdeque sit versurus. pag. 313 et 345.

[2]) Cf. apud Vandermœren diss. cit. n. 1818 seq.

Digitized by Google

introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Jam vero quamvis multiplicati undique sint magnetizatores, somnambuli et spiritistæ, nemo tamen ad eos accedit, ut lumen, auditum aut loquelam accipiat, sed vel in viis et compitis iacent, aut in hospitiis et nosocomiis recipiuntur. Igitur quæ magnetismi patroni phænomena venditant, fabulæ sunt ad fucum faciendum compositæ, nec sine impudentia conferri possunt cum miraculis biblicis aut ecclesiasticis.

934. Ad 3. Eadem esto responsio. Accedit, quod non semel animadversum est, infirmitates quæ magnetismo seu somnambulismo curari dicuntur, in aliam infirmitatem quandoque deteriorem degenerare aut immutari, prout experientia docuit nec ipsi magnetismi patroni diffitentur.[1]) Nonnulli post eiusmodi curationem fatis cesserunt.[2]) Sed neque oblivisci debemus verborum Tertulliani, quæ iam superius a nobis allata sunt, qui agens de eiusmodi fictitiis dæmonum curationibus scribit: *Lædunt, lædere cessant, curasse creduntur, remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria.*[3]) Cum igitur multiplicari di-

---

[1]) Inter alios Puységur. Cf. Des Mousseaux: La magie etc. ch. XII. pag. 327. Sed præstat verba afferre Rostan, qui inter cetera de sequelis magnetismi hæc habet: *Ex eo vidi aliquando corpus acutissimis percelli doloribus, cephalgias gigni obstinatas, cardialgias quoque violentas, prætereuntes quidem, sed non sine magno incommodo et dolore: quasi lassatum vidi totum nervorum systema cum periculo orituri cuiuslibet inde mali, lassitudinem item nimiam, magnam debilitatem, extremam maciem, suffocationem et asphixiam. Non dubito quin mors sequeretur, si magnetizator paralysin immitteret in respirationis organa; mentis denique alienatio et melancholia natæ inde sæpe sunt.* Eadem habet Car. Jos. Windischmann in tentamine coniungendi artem medicam cum philosophia christiana, pag. 219 scribens: *Magnus plangendorum hominum numerus, adhibito magnetismo, aut male curati sunt, aut in imam proiecti perditionem, varia diruti ratione, et eo quidem magis, quo magis ipse incantator (magnetizator) variis quateretur et abriperetur indomitis animi cupiditatibus.*

[2]) Uti testatur Olivier in: Traité du magnét. pag. 106., 107. scribens: *Et de la sorte va croissant (le désordre) jusqu' à la prostration des forces, jusqu' à la phthisie, jusqu' à la décomposition du sang, jusqu' à une mort certaine et prématurée.* Cf etiam d'Orient. liv. XII. pag. 266.

[3]) Apologet. cap. XXII.

Digitized by Google

cuntur eiusmodi sanationes, intelligi id debet ea ratione, qua heic rem exposuimus. Nihil porro tale occurrit in miraculis biblicis aut ecclesiasticis, quorum effectus stabilis ac beneficus iugiter fuit, dum in curationibus magneticis contrarium usuvenit. Accedit, quod, si quæ fiunt curationes, eæ fiunt adhibitis naturalibus remediis, quæ a somnambulis indicari solent, non quidem ex propria scientia, sed ex mali spiritus afflatu, ut in casibus in quibus locum non habet fraus et deceptio.

935. Ad 4. N. Quod enim affirmant magnetistæ de Moyse, qui per manuum protensionem, de Christo eiusque apostolis, magnetizantibus manuum impositione, non redolet nisi impietatem istorum virorum, qui non verentur tribuere Moysi, Christique discipulis, imo et Christo ipsi magneticam operationem ad effectus producendos, qui nonnisi a sola virtute divina repeti possunt. Idque non modo sine ulla prorsus probatione, verum etiam contra apertam divinorum eloquiorum auctoritatem. Etenim Moyses oratione ad Deum fusa Amalecitas fugavit ac vicit, ut legitur Exodi XVII. 10—16., Apostoli vero, tradita sibi a Christo virtute super ægros manus imponebant, et hi bene habebant vi orationis, quam illi ritui adiungebant. In scripturis enim receptum est, ut impositioni manuum oratio adiungeretur ad producendum effectum, ad quem obtinendum fundebatur. [1]) Contra vero magnetistæ per passus suos, ut vocant, somnum conciliare consueverunt somnambulis, ut exinde eliciant suam catalepsim, membrorum rigorem, statum anormalem, convulsiones ceteraque eiusmodi, quæ longe absunt a thaumaturgis supernaturalibus.

936. Ad 5. D. Et hac ipsa de causa eiusmodi operationes vel ad circulatoriam artem vel ad dæmoniorum vafritiem amandamus, C.; virtuti magnetismo insitæ dicimus esse tribuendas, N. Fatemur utique, hæc omnia a magnetistis passim vulgari; ast, præterquam quod plura ex recensitis exaggerata sunt, et a non paucis reiiciuntur, [2]) hæc omnia non excedunt agentis

---

[1]) Cf. Ps. CXL. 2., Act. VI. 6., IX. 17., XIII. 3., et alibi passim. Verum et illud addendum est, passim Christum et apostolos ad voluntatis imperium ac nutum morbos depulisse, uti ex historia evangelica patet atque ex actis apostolicis, ut cetera mittam.

[2]) Saltem quoad exaggeratos eiusmodi effectus, ut patet ex Deleuze, Lafontaine, aliisque non paucis. Nam quoad rei substantiam et phænomenorum amplexum, uti suo loco ostendimus, in dubium revocari magnetici effectus nequeunt.

Digitized by Google

præternaturalis ac intelligentis vim ac virtutem. Nil mirum proinde, si interveniente signo magico vel expressa vel tacita dæmonis invocatione ad istorum nutum et voluntatem talia efficiantur, quæ communes naturæ leges excedunt. De his omnibus nos egimus in superioribus capitibus, in quibus ostendimus, sin minus in omnibus, in plerisque saltem admitti debere diabolicum interventum. Itaque dum adversarii conferunt miracula cum miris illis magnetismi factis, quæ historice vera sunt, primo quidem semper falso utuntur supposito, quod mira illa facta magnetica sint prorsus naturalia, deinde inferunt etiam miracula, nil aliud esse quam mira facta naturalia. At vero nos ostendimus, ipsa illa facta magnetica non posse tribui naturæ: ergo multo minus naturæ tribui possunt miracula; imo omnibus spectatis adiunctis positive ostendimus, ea malis spiritibus tribuenda esse, hæc vero soli Deo et bonis angelis ac sanctis divina virtute operantibus.

937. Ad 6. Resp. Ita prorsus: nil tale in Christi sanctorumque gestis occurrit; hæc enim indigna ipsis fuissent atque in dedecus vergerent sanctissimæ religioni. Apollonio siquidem Thyanæo, circulatoribus incantatoribusque hominibus ea relinquenda sunt.

938. II. Obi. 1. Ecstases saltem, aut raptus de quibus crebra in sanctorum biographiis fit mentio, catalepsi vel morbo hysterico, tensioni cerebrali, aut somnambulismo quominus adscribantur, nil est quod vetet. 2. Jam vero hæc ipsa in gradu longe inferiori esse deprehenduntur in sanctis, quam in experimentis magneticis et spiritisticis. 3. Etenim nemo sanctorum pervenit hactenus ad illam, quam vocant, claram intuitionem, quæ complectitur tum transpositionem sensuum, tum intuitionem sine oculis, quæ intuitio interna nuncupatur quum ad intuendum applicatur internum statum morbosum proprii organismi, prævisionem item internam et externam, id est prævisionem morborum futurorum sive proprii individui sive alterius, eorumque vicissitudinem, perinde ac aliorum factorum, retrointuitionem præterea seu cognitionem factorum præteritorum, quæ a vigilante ignorabantur, instinctum remediorum ac therapeuticæ sive pro se sive pro aliis adhibendæ iuxta diversos casus tandem penetrationem cogitationis seu, ut alii eam nuncupant, transmissionem cogitationis, [1]) prout superius exposita

[1]) Ita passim magnetistæ apud Monticelli op. cit. part. IV. cap. II. et III.

Digitized by Google

sunt. 4. Quod si nos convertimus ad spiritismum, certum est, prodigia, quæ per mediatores eduntur, longe adhuc superare illa, quæ in gestis sanctorum legi consueverunt. Talia sunt evocatio sive viventium sive defunctorum, responsa plane admirabilia circa res præteritas, præsentes ac futuras, morborum mira curatio, linguarum ignotarum peritia, aliaque sexcenta eiusmodi, quæ longum esset per singula recensere. [1]) Ergo.

939. Resp. ad 1. N. Immo nihil est quod non obstet, quominus eiusmodi charismata his causis tribuantur. Etenim qui hæc obtrudunt, non advertunt in sanctis, qui ecstasi raptuve præditi exhibentur, nulla reperiri signa pathognomonica, ut vocant, morborum, ex quibus tamquam effectum ecstasim aut raptum magnetistæ derivant. Atque ut incipiamus a catalepsi, hac significatur affectio convulsiva, quæ manifestatur suspensione plerumque completa facultatum intellectualium ac simultanea contractione; aut contra, vitiosa flexibilitate musculorum dependentium a voluntatis imperio. Quo fit, ut qui illo morbo urgetur, suspensas habeat animæ facultates seu facultatum usum. Catalepticus præterea non conservat memoriam eorum, quæ tempore paroxysmi sibi evenerunt. [2]) Porro numquam reperimus eiusmodi morbosam affectionem in sanctis, qui ecstasi aut raptu præditi a Deo fuerunt. Siquidem nec ulla convulsione, nec intellectus et memoriæ laborasse defectu illos constat; quinimo summa animæ quiete eos gavisos esse, ex ipsorum actis et biographiis compertum est. [3]) Sane si eiusmodi incommodis, seu verius inordinationibus physicis aut moralibus obnoxii fuissent Dei servi his charismatibus præditi, numquam ab Apostolica Sede probati fuissent. Confundi proinde ac per-

---

[1]) Ita apud citt. AA.: Mirville: Des esprits; Des Mousseaux: La magie; Les médiateurs; Pailloux: Le magnétisme, et ita porro.

[2]) Cf. Dizionario di medicina ec. Traduz. dal Francese. Venezia 1844. art. Catalessia; ibi catalepsis a Tissot cum aliis definitur: *Una perdita assoluta dei sensi, e dei movimenti volontarti, senza febbre, con un attitudine nei muscoli a rimanere, e perciò anche a mantenersi nella situazione in cui si mettono . . . La riunione di quest' ultimo carattere colla perdita dei sensi che forma la catalepsia.* Quam definitionem, seu potius descriptionem communi calculo medici auctores probant, perinde ac characteres et effectus.

[3]) Cf. Bened. XIV. op. cit. lib. III. cap. XLIX., ubi singillatim doctus Pontifex hæc fuse persequitur.

Digitized by Google

misceri inter se nequeunt ecstases ac raptus, si placet, naturales ex ideæ seu mentis fixatione aut morali affectione genitæ, de quibus agunt facultatis medicæ scriptores, cum dono cælesti ac supernaturali. Multo vero minus cum ecstasi magnetica dæmonum ope excitata, comparari possunt ecstases ac raptus sanctorum: nam ex contrariis effectibus, qui ab alterutra oriuntur, patet cuilibet, adeo hæc inter se differre quantum differt cælum ab inferis, opus Dei ab operibus malorum spirituum.[1])

940. Quod autem dictum est de catalepsi aptari pariter debet hysterismo, cui etiam adversarii increduli sanctorum ecstases et raptus adscribere vellent; immo potiori quoque ratione. Etenim cum hysterismus seu affectio hysterica in uteri suffocatione aut strangulatione consistat, nequirent ecstases et raptus reperiri nisi in solis fœminis, et quidem iunioris ætatis, ut docent medicinæ periti.[2]) Porro ecstases et raptus supernaturales communes sunt tam maribus quam fæminis provectæ etiam ætatis. Ecquis ecstases ignorat, stupendosque ac plane mirabiles raptus S. Josephi a Cupertino, ac S. Theresiæ, cum iam provectioris esset ætatis,[3]) ut alios pæne innumeros utriusque sexus prætteream silentio? Idipsum dicatur de tensione cerebrali, quasi nempe quotquot placidissima ecstasi ac raptu claruerunt in Ecclesia Dei viri ac mulieres, tot fuerint insanientes cerebrali tensione correpti. Quod vero attinet ad somnambulismum, quæri potest, ubinam reperiatur totus ille somnambulismi apparatus, quo sancti provocarentur ad somnum vel naturalem vel artificialem aut lucidum, ut in ipso et per ipsum raperentur ad ecstasim, ad visiones atque ad alia eiusmodi?

---

[1]) Satis est vel leviter percurrere, quæ in actis S. Theresiæ, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, S. Josephi a Cupertino aliorumque pæne innumerorum describuntur. Exempli causa dum S. Theresia sublimibus donaretur charismatis, omnia abfuerunt adiuncta illa, quibus artificiales ecstases afficiuntur ac stipantur. Non aderat apud eam magnetizator cum voluntatis suæ nisu ac contentione, sine qua tamen magnetica phænomena produci non posse, magnetologi fatentur; imo licet obsisteret, tamen vel invita extra se rapiebatur. Compertum præterea est ad obedientiæ nutum et quidem solius, S. Mariam Magdalenam, S. Josephum statim ab ecstasi altissima ac mirabili raptu revocatos constanter fuisse, ut alios prætteream.

[2]) Cf. Diction. citatum ad vocem: Isterismo, ubi etiam nonnulli præcipui magnetistæ refelluntur.

[3]) Cf. Vandermœren in diss. cit. pag. 428.

Digitized by Google

Nonne totidem hæc sunt profecto magnetistarum et incredulorum somnia, seu potius impietates, qui talia comminiscuntur?

941. Verum, quod deterius adhuc est, non verentur eiusmodi homines ipsis apostolis somnambulismum appingere, perinde ac si sanctissima Christi religio in universum orbem disseminata fuisset a catalepticis, a somnambulis aut ab affectis tensione cerebrali hominibus. Hoc vere est insaniæ culmen attingere.

942. Ad 2. vel Neg. omninò, vel D. Si comparatio inter disparata constitui posset, C.; si nullum locum habere potest, N. In eo enim est disparitas inter phænomena magnetica et charismata sanctorum, quod illa sint opera nugatoria, mystificationes nullius frugis, quæ nihil exhibent cæleste ac divinum, contra vero sanctorum charismata operationes sint divinæ, quæ sensum omnem excedunt ac superant, atque prægustus, ut ita loquar, cælestis beatitudinis animabus sanctorum concessus, adeo ut vere dici possit eos in mundo supernaturali versari, cuius ineffabilibus gaudiis inebriantur. [1])

---

[1]) Ad probationem eorum affectuum, quos recensui, lubet hic aliquot saltem afferre lacinias eorum, quæ de se scribit S. Theresia in Commentario vitæ suæ, cap. XX.: *Ille (Deus),* inquit, *animam nostram ad se colligit, eam extra se sustollens secumque rapiens et incipiens ei regni cælestis gaudia ostendere. Anima tunc quasi corporis expers est, sentitque nativum eius calorem deficere, quamquam interea magnam experitur delectationem. Quasi ab aquila, sub cuius alis delitescit, anima in sublime effertur, frustra obnitens . . . Aliquoties, raro tamen, totum corpus meum de terra sursum elevatum est. Quod semel contigit mihi in choro cum reliquis monialibus agenti et genua iam flectenti ut sacram Eucharistiam acciperem . . . In eo statu anima, pendens cælum inter et terram, veluti crucifixa mundo præ vehementissimo Dei, quem nosse cæpit, amplius possidendi desiderio. Atque huius possessionis dilatio tantam illi parat pœnam, ut ei ferendæ homo vix sit par. Equidem interdum cogito, si pœna hæc duret et crescat, dominum, quæ eius bonitas est, facturum aliquando, ut simul cum vita hæc pœna finem accipiat; ea enim, ut mihi quidem videtur, ad hoc plus quam satis est. Sed hoc ego non mereor. Nihil adeo exoptans quam mortem oppetere, non recordor tunc purgatorii nec gravium, quæ commisi, peccatorum, propter quæ infernum promerita sum. Omnino scilicet obliviscor præ vehementia desiderii Deum videndi etc.* Et hæc speciminis gratia attulisse sufficiat; siquidem integri exscribendi eius essent tractatus.

Digitized by Google

943. Ad 3. Libenter concedimus, sanctorum neminem pervenisse hactenus, immo nec perventurum esse ad claram illam somnambulorum intuitionem, de qua magnetismi patroni disserunt. Siquidem sanctorum nemo dæmoniacis artibus addictus fuit, quibus solis mira quæ prædicantur phænomena somnambulismi claræ intuitionis adscribi possunt. Nam transpositio sensuum, quam vocant, intuitio sine oculis sive interna sive externa profecto nulli naturali causæ tribui possunt, cum humanæ naturæ seu hominis organismus ea non patiatur: non quidem corporis facultatibus in se spectatis, ut per se patet, sed neque corpori quatenus ab anima informatur, quia singulorum sensuum organa ita disposita sunt, ut nonnisi illi officio ac muneri inserviant, ad quod destinantur, ut aures ad percipiendos sonos, oculi ad lucem, et ita de ceteris sensibus dicatur. Adeoque fieri omnino nequit, ut homo intueatur per occiput, epigastrum, pedes manusve. Neque item id potest anima ex se sola atque a corporis veluti abstracta ac soluta sensibus, prout nonnulli magnetistæ sentiunt. Si enim anima independenter a corporis compage esset substantia completa, suisque muneribus fungi posset, et communicare cum natura sensibili, tunc corpus ei foret non modo inutile, sed impedimento, cum sine ipso multo perfectius hæc munera obiret. Restat igitur ut spiritus ab homine distinctus ille sit, qui per opaca corpora interposita legere perhibetur, videre in distantia, per transpositionem sensuum, interna ac externa cernere, et sine quovis sensu intuitionem habere. Cum vero eiusmodi spiritus extraneus intelligens nec Deus nec bonus angelus sit, sequitur ut sit spiritus malus, nempe dæmon. [1]) Adeoque iure diximus sanctos utpote a dæmoniacis artibus plane alienos, potitos non esse eiusmodi somnambulismi intuitionibus, sed eorum charismata ab his toto cælo differre.

---

[1]) Cf. Monticelli op. cit. vol. II. pag. 271 seq., ubi expendit systema Doctoris Charpignon, ipsumque docte refellit; atque in nota subdit: *Non si tratta di una differenza di più o di meno, ma di una differenza essenziale tra gli effetti magnetici, e quelli che può cagionarsi nell' alterazione nervosa prodotta da una causa patologica. Nessuna malattia dovuta a cause fisiche renderebbe l'uomo capace verbigrazia di vedere senz' occhi, attraverso i corpi opachi e da lontano: e lo stesso dicasi di qualunque di quelle facoltà magnetiche, di cui in questa parte ci occupiamo.*

Digitized by Google

944. Idem dicendum de prævisione sive interna sive externa morborum futurorum tum proprii, tum alieni individui. Etenim ex una parte certum est, eiusmodi scientiam haud inesse propriam somnambulo ignaro morborum et affectionum, quæ ipsos comitantur, etiamsi ipsi a causa naturali seu prædispositione procedant, multo vero magis illorum, qui a causa naturali præexistente non pendent. Attamen in futurorum eiusmodi eventuum circa morbi processum quandoque cum omni accurata præcisione prænoscuntur ac prænunciantur a somnambulo die, hora, interdum etiam minuto, quibus contingere debent.[1]) Cum proinde prænosci non possint nisi ab eorum causa efficiente seu producente hos ipsos morbos, consequitur, nonnisi ab hac ipsa causa seu agente prædici posse, quæ causa alia non est, nisi spiritus malus, qui eos morbos tali tempore ac in talibus adiunctis prout eos producturus est, venturos novit, et per somnambulum prænunciare potest.

945. Hæc eadem ratiocinatio extendi debet ob causæ paritatem ad instinctum remediorum ac therapeuticæ, qui quidem non est naturalis instinctus, sed operatio est diabolica, in qua dæmon suggerit naturalia remedia, ut se tegat, fingens ad melius decipiendum incautos, ex naturali causa hæc omnia provenire. Necesse proinde non est diutius in iis immorari.[2])

946. Neque mirum esse debet quod idem malus spiritus communicet somnambulis retrointuitionem eorum, quæ olim gesta sunt, aut etiam quæ eodem contingunt tempore in dissitis regionibus, quæque penitus a somnambulo ignorantur. Huic enim spiritui cum omnia quæ olim contigerunt, aut etiam quæ actu alibi contingunt perspecta sint, potest utique per somnambulum patefacere; in quo nihil est quod repugnet aut superet spiritus mali naturalem facultatem,[3]) licet utique superet naturalem hominis facultatem.

947. Quod demum spectat ad cogitationis alterius cognitionem aut cogitationis transmissionem, post ea, quæ superius scripsimus, non indiget peculiari animadversione. Ceterum si

---

[1]) Recole non pauca exempla eiusmodi prædictionum apud Monticelli op. cit. pag. 286 seq. Quæ ego prætermitto, ne longior sim.

[2]) Ibid.

[3]) Ibid. non pauca exempla suppetunt eiusmodi retrointuitionum, aut intuitionum eorum, quæ actu alibi contingebant, cum omnibus minutissimis adiunctis.

Digitized by Google

detur, quod tamen non pauci inficiantur, malum spiritum seu dæmonem posse in signis, quæ in encephalo a cogitatione imprimuntur, cognoscere, quæ in mente alterius non sine aliquo phantasmate haberi potest, [1]) eo melius confirmatur quod asserimus, nempe dæmoniacis artibus eiusmodi cogitationum etiam spiritualium penetrationem coniecturalem esse tribuendam. Ceterum revocanda in mentem est doctrina angelici doctoris, quam paulo ante attulimus de distinctione inter species et eorum usum: illos quidem poterit dæmon agnoscere, istum vero non item, cum a voluntatis actu pendeat nec nisi coniecturaliter a dæmone cognosci potest. [2])

948. Hinc si paulo penitius inspiciantur singula hæc, quæ opponuntur, somnambulismi phænomena, et vera christianæ religionis miracula, apparet nullam inter ea esse realem similitudinem, sed quo intimius spectantur, eo magis apparet multiplex inter illa discrimen. Hinc etiam diximus, ea ita esse disparata, ut comparari invicem nullo modo possint.

949. Revera quis unquam ex apostolis apostolicisque viris ad probandam divinam missionem et ad christianam religionem tradendam iuxta magnetizantium morem publica huiusmodi dedit experimenta, legendi scilicet oculis clausis et denso velamine obductis, transpositionis sensuum, divinandi quæ quis cogitet vel quæ in dissito loco fiant, atque per aliquam somnambulam explicandi internum alicuius infirmi statum? Hæc sane redolent circulatoriam artem, et sæpe nihil sunt aliud; quando vero hæc realiter fiunt, nihil in iis est Deo dignum, sed illusiones sunt, fraudes operationesque diabolicæ, quemadmodum expositum est.

---

[1]) Cf. Monticelli op. cit. pag. 386., ubi acute disserit de facultate intellectiva, atque ostendit, quod, licet intellectus sit independens per se ab organo corporali, tamen in interna etiam intellectuali cogitatione convertitur ad phantasmata.

[2]) Universam hanc doctrinam expendit Suarez lib. II. de angelis a cap. XXI. ad XXV., ex occasione qua quærit: *Utrum unus angelus internos actus voluntatis alterius sine illius consensu cognoscat.* Ac re copiose discussa quatuor integris capitibus, concludit cap. XXV. n. 5.: *Cogitationes cordis quoad ipsos actus intellectus* (nedum voluntatis, de quibus antea disseruerat) *ita esse angelis occultas, ut illas in se et intuitive videre non possint, nisi illis manifestentur;* adeoque nec dæmoni perspectas naturaliter esse hominum cogitationes, prout legitur III. Reg. VIII. 39.: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.*

Digitized by Google

Non hisce mediis comprobata est vel confirmata christiana religio; longe alio modo thaumaturgi suam missionem comprobarunt ac fidem confirmarunt, neque umquam poterunt magnetizatores atque somnambuli thaumaturgis christianæ religionis comparari.

950. Ad 4. Generatim eadem redit responsio; speciatim vero nonnulla animadvertenda sunt. Ac primo quidem generatim: Quod de magnetismo, atque somnambulismo diximus, a fortiori valet quoad spiritismum seu spiritismi phænomena.

951. Etenim quonam pacto contra miracula obiici possunt spiritismi phænomena? Num ut ipsa miracula naturaliter explicentur? Absurde id fieret, quum neque illa spiritismi phænomena sint naturalia. Num ut miracula, non secus ac spiritismi phænomena, dæmonibus tribuantur? Absurde pariter id fieret, quum spectata rei natura et adiunctis omnibus evidens sit, miracula non malis spiritibus, sed bonis, imo vero Deo ipsi esse tribuenda. Nullo itaque pacto spiritismi phænomena contra supernaturalia miracula obiici possunt.

952. Judæi quidem et pagani magiæ et diabolicæ operationi ipsa etiam Christi miracula, et deinceps miracula sanctorum et charismata tribuerunt; sed hæc obiectio potius antiquata dici debet, quum recentiores increduli christiana miracula non dæmonibus, sed naturæ esse tribuenda contendant. Si qui vero adversarii obiicerent, miracula non secus ac spiritismi phænomena, operationes esse diabolicas, nullo negotio hæc obiectio disiicitur, si præ oculis habeantur adiuncta, interni præterea externique characteres, quos in thesi exposuimus, quibus Dei opera ab operibus dæmonum distinguuntur.

953. Atque hæc quidem generatim. Sed quoniam speciatim obiiciuntur apparitiones viventium et defunctorum per spiritismum, responsa item plane admirabilia circa res præsentes, præteritas et futuras, morborum miræ curationes et linguarum ignotarum peritia, præstat circa singula aliquid animadvertere, ut appareat, quantopere hæc quæ de spiritismo prædicantur a veris miraculis differant, licet nonnulla ex iam dictis repetere cogamur.

954. Primo expendenda est evocatio sive viventium sive defunctorum, qua evocatione ad nutum seu imperium medii apparere seseque spectabiles reddere dicuntur quicumque evocati fuerint. Dixi: sive defunctorum sive etiam viven-

Digitized by Google

tium; siquidem et hæc mediis sive mediatoribus tribuitur facultas efficiendi, ut absentes atque in regione longe dissita constituti sistant se una cum adstantibus per evocationem, quin tamen cessent in eo loco detineri, in quo degunt. Quod exponitur in Germania per theoriam bilocationis eiusdem individui.[1]) Quod vero attinet ad evocationem animarum cuiuscumque individui, sive a paucis diebus, sive a longo tempore defuncti, experimenta quotidiana eam ostendunt, plenique sunt spiritismi annales eiusmodi evocationum, nec non dialogorum, quos spiritus evocati instituunt circa statum præsertim alterius vitæ, circa religionem ac similia,[2]) ut superius diximus.

955. Verum ecquis non videat, per mediorum evocationem nec viventes neque defunctos posse adesse, sed nonnisi vel phantasmate vel alicuius spiritus præternaturali apparitione totum hoc negotium expleri? Profecto divinæ omnipotentiæ virtute fieri potest, ut alicuius viventis reduplicatio seu multilocatio, ut alii dicere malunt, interveniat, cuius rei in sanctorum biologiis non pauca suppetunt exempla luculentissima;[3]) ast eiusmodi bilocatio ex parte cuiusvis creaturæ sive angelicæ sive humanæ ex communi sententia per se seu naturali virtute haberi nequit, nec proinde dæmoniacæ, cum eius potentiam excedat limitibus circumscriptam. Superest igitur, ut, si qua apparitio intercedat hominis viventis in distantia degentis, non sit nisi illusorium phantasma, quod præ se ferat personam absentis evocati.

956. Quod vero attinet ad apparitiones defunctorum, dicimus, animas per spiritismum evocatas haud vere esse animas illorum, qui evocati dicuntur, sed esse malos dæmones qui apparentiam eorum referunt eorumque personam assumunt, atque se ipsas esse mentiuntur, ut illudant et decipiant. Interdum se fingunt esse animas sanctorum aut angelorum, interdum etiam personam gerunt Christi ipsius, eiusque sanctissimæ Matris.[4])

---

[1]) Cf. Des Mousseaux: La magie. pag. 10.

[2]) Cf. Bizouard: Des rapports de l'homme avec le démon. tom. VI. liv. XXXIII. chap. VIII. seq.

[3]) Inter ceteras eminent bilocationes S. Antonii Patavini, S. Francisci Xaverii, S. Francisci de Hieronymo, S. Alphonsi de Ligorio etc.

[4]) Cf. Del Rio lib. III. quæst. 26. sect. 7. pag. 138., cuius hæc est conclusio: *Magi nequeunt opera dæmonum veras defunctorum animas nobis ostendere. Ratio est, quia sanctorum animæ in manu Dei sunt et soli Deo obediunt; damnatorum nequit*

Digitized by Google

Quidni igitur fingant, se esse vel animas purgantes, vel impiorum hominum, quæ apud inferos detrusæ sunt? [1]) Sane ecquis dixerit animas, quas necromantii excitasse leguntur, vere animas fuisse eorum, quos ipsi evocabant? Atque hæc est sententia D. Thomæ scribentis: *Frequenter dæmones simulant se esse animas mortuorum ad confirmandum gentilium errorem, qui hoc credebant.* [2]) Et hæc de spirituum evocationibus.

957. Concludendum itaque est sive vivorum sive mortuorum apparitiones, quæ per spiritismum fieri dicuntur, comparari non posse cum multilocationibus cumque apparitionibus, de quibus ecclesiastica historia testatur. Istæ enim ex pluribus adiunctis veræ comprobantur, licet variis modis iuxta Patres et scholasticorum doctrinam explicentur; [3]) illæ autem omnino fictitiæ sunt, per operationem nempe malorum spirituum, qui mentiendo sive viventium sive mortuorum personam assumunt.

958. Non est opus quidpiam adiicere circa responsa spirituum quoad res præteritas, præsentes ac futuras, post ea quæ disseruimus de somnambulis magneticis, quibus hæc ipsa communia sunt. Eadem enim aptari debet responsio, cum agatur de iisdem auctoribus eiusmodi responsionum, dæmonibus scilicet, qui et præterita et præsentia norunt, ac de futuris coniiciunt, et propterea per mensas perinde ac per somnambulos possunt responsa præbere.

959. Sed quisnam audeat eiusmodi responsa opponere splendidissimis prophetiis, quæ in bibliis continentur, quibus

---

diabolus sinere egredi sine nutu Dei, sine quo nec ipse id potest, quod ipsum habet locum in iis, quæ expiantur. Ideo solent ipsi has vices subire dæmones, qui per mundum adhuc vagantur, et has animas amant mentiri... Neque id mirandum, cum in angelum quoque lucis se transfigurent, et in B. Virginem Deiparam... immo et in ipsum Christum Dominum. Quæ omnia auctoritatibus opportunis confirmat. Exinde novimus, nihil sub hoc respectu novi spiritismum attulisse.

[1]) Cf. Thyræum: Loca infesta. capp. IX., X., XI.

[2]) I. part. q. 117. art. 4. ad 2. Cf. Del Rio loc. cit., ac Des Mousseaux: La magie etc. chap. IV. pag. 214 seq.

[3]) Cf. Thyræum: De variis tam spirituum quam vivorum apparitionibus. Colon. Agripp. 1594. lib. I. cap. XI. Vid. etiam S. Thom. I. part. q. 89. art. 8. ad 2. Nonnulla etiam de hoc argumento accurate scripsit Tongiorgi Cosmologia lib. III. cap. I. art. V.: De corporum multilocatione.

Digitized by Google

christiana religio innititur, et luculentissimo prophetiæ dono, quo non pauci Ecclesiæ sancti inclaruerunt? Poterunt quidem spiritismi responsa comparari responsis, quæ olim per oracula et per pythones habebantur; sed quemadmodum per hæc nullatenus infirmari potuerunt biblicæ prophetiæ aut donum prophetiæ in Ecclesia, ita neque infirmari poterunt per superstitiosa spirituum responsa, quæ a veris prophetiis Dei solius propriis omnino differunt. [1])

960. Neque vero ad infirmandum illud charisma, quod gratiæ curationum nomine venit, opponi possunt miræ quædam curationes, quæ per spiritismum, somnambulismum, ac magnetismum factæ perhibentur. Quid enim commune habet curationum gratia, qua infirmi nullo adhibito remedio immediate ad sanitatem restituuntur eripiunturque a mortis faucibus ab insanabili morbo, cum iis somnambulorum et spirituum responsis de interno alicuius infirmi statu deque infirmitatis natura deque remediis opportune adhibendis? Sed iam plura alias discrimina indicavimus, quin necesse sit ea iterare.

961. Quod vero de gratia curationum dicimus, de dono etiam linguarum affirmandum est, cum quo peritia ignotarum linguarum, quam spiritus iactant, comparari nequit.

962. Spiritus loqui ignota lingua, exploratum est ex relationibus fide dignis; ac factis præterea luculentissimis constat, interdum eiusmodi spiritus adscitis corporibus, quæ inanimata videbantur, communicationem, conversationem familiarem instituisse cum advenis, qui ad quamdam mediatricem se se conferebant, locutosque fuisse linguis græca, germanica, hispanica, quarum ipsa nec prima elementa noverat, immo nec unam voculam. [2]) Scimus præterea, in Indiis quondam ab eiusmodi spiritibus actum lingua latina, quam penitus ignorabat, locutum fuisse, et ita porro. [3]) Quod mirum esse non debet; siquidem dæmones mortalium linguas callere nemo est qui ambigat, atque idcirco possunt, per eos quos veluti instrumenta et organa sua elegerunt, quodcumque idioma promere ad excitandam admirationem. Ast hoc ipso se produnt; nam cum eiusmodi lin-

---

[1]) Cf. Civiltà cattol. I. serie. tom. VII.: Sonnambulismo e previsioni pag. 315., ubi prophetiæ veteris fœderis cum spirituum responsis comparantur.

[2]) Cf. Roys: Vérité du spiritisme. pag. 36.

[3]) Ibid.

Digitized by Google

guarum ignotarum usus excedat rudium et incultorum facultatem, evidens est, nonnisi a malis spiritibus eam provenire posse, adeoque eos, qui ita loquuntur, patefacere se a malo spiritu agi. Et reipsa inter signa, quæ Romanum Rituale recenset ad veros dæmoniacos secernendos, præter ea, de quibus nuper disseruimus, de visione in distantia, de occultorum cognitione etc. hoc primo loco ponit his verbis: *Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere.* [1]) Factum itaque non negamus, sed dicimus nullam habere cum dono linguarum affinitatem.

963. Sane si opus cum opere conferamus, unicuique palam fiet, dæmonum conatum exiguum esse, dum per organa sua linguam peregrinam loquuntur ad excitandam admirationem, delectationem, aut ad vanitatem ostendendam, non posse componi cum charismate sanctorum permanente, de quo loquitur apostolus dicens: *Alii (dantur) genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* [2]) Multo vero magis deprehenditur discrimen inter dæmonum ludicram molitionem per spiritismum, et sanctorum donum in suis adiunctis spectatum; etenim hoc non ad ostentationem vanamque curiositatem datum est, sed ad Ecclesiæ utilitatem, et ad infidelium conversionem, ut liquet ex S. Francisco Xaverio, qui apud Indos et Japones præcellenti hoc dono præditus innumeros pæne infideles ad christianam veritatem amplectendam adduxit. [3]) Verum quod magis in viro hoc apostolico mirari subest, est, quod unica responsione pluribus inter se variis sibi propositis quæstionibus satisfaceret. Ceterum plura alia exempla præsto sunt in sanctorum actis, qui ante et post ipsum admirabili hoc dono a Deo præditi fuerunt, quorumque prolixum catalogum exhibet Benedictus XIV., penes

---

[1]) Rit. Rom.: De exorcizandis obsessis. Præmonitio.

[2]) I. Corinth. XII. 10.

[3]) Cf. Bartoli: L'Asia part. I.: Indie. Turcellini in vita eiusdem sancti, et in epist. V. in append. ad eius vitam lib. III. De hoc linguarum dono, divinitus S. Francisco Xaverio collato, in relatione causæ eiusdem sancti, Rotæ Auditores ad titul.: De dono linguarum habent: *Claruit linguarum dono Xaverius; nam et lingua diversarum gentium, quas non didicerat, cum eas Evangelii causa adiret, eleganter atque ita expedite loquebatur, ac si ibi natus et educatus esset; et contigit non raro, ut concionantem eum diversarum nationum homines sua quisque lingua loquentem audiverit.*

Digitized by Google

quem videre quisquam poterit, quin eum nos describere debeamus. [1])

964. Ut igitur omnia simul complectamur, quæ de spiritismi magnalibus efferunt ipsius patroni, post ea omnia, quæ hactenus discussimus, fidenter affirmare possumus, nihil in ipso reperiri, quod aliqua ratione valeat vel minimum infirmare sive miracula biblica, sive charismata sanctorum. Opus profecto est aut impietate aut summa impudentia ad comparanda phænomena sive magnetismi sive spiritismi cum Dei operibus, ut quoquo modo hæc per illa possint infirmari. Attamen collegimus quidquid speciosius ab hisce hominibus obiicitur ad fucum faciendum, atque ex accurato instituto examine, nihil aliud extudimus nisi aut exaggerationes sine sufficientibus probationibus, aut circulatoriam artem, aut magica præstigia per angelum tenebrarum exhibita ad vanos et curiosos homines circumveniendos, vel, si placet, ad homines malevolos et incredulos ad sua castra inducendos, ut bellum moveant adversus Deum et adversus Christum eius. Ast quam infirmi et exigui sunt omnes impiorum conatus, cum in Deum eiusque religionem insurgunt! Vere sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. [2]) Præsertim cum nihil novi attulerint, quodque anteactis sæculis non præcesserit, si formas aliquas accidentales excipias. [3]) Hac sola de causa inscripsimus hanc alteram tractatus partem: De recentiori superstitione, quia nempe antiquis superstitionibus novam, saltem ex parte, formam magnetistæ ac spiritistæ dederunt, novumque apparatum ac novas denominationes; ceterum quoad rei substantiam nihil additum est, quod prius non obtinuerit. Idque facto ipso adversarii admittere et fateri visi

---

[1]) De servor. Dei beatif. et canonizatione. lib. III. c. XLVIII. n. 9 seq.

[2]) Ps. LXIII. 8.

[3]) Satis est, quæ ab hodiernis magnetistis ac spiritistis magnificantur conferre cum iis, quæ de superstitionibus magicisque artibus ac mirabilibus referuntur a Del Rio: Disquisit. magic. lib. I. c. III. q. 2.: An huiusmodi effectus magici miraculis similes oriri possint ex hominis naturali complexione? — An animæ humanæ res materiales obediunt? — q. 3.: Quanta qualisque sit vis imaginationis quoad eiusmodi effectus? — q. 4.: An solo contactu, afflatu, visu, voce, aspectu? Item cap. IV. de magia artificiali, et ita porro. — Sic etiam cum iis, quæ referuntur a Thyræo in variis operibus, quæ passim allegavimus: Loca infesta; De apparitionibus; De dæmoniacis; De terrificationibus, aliisque non paucis.

Digitized by Google

sunt, dum quæ præteritis seculis, medio præsertim ævo, de incantationibus, divinationibus, magicis artibus referebantur, deridebant aspernabantque uti aniles fabulas, nunc omnia tanquam historice vera admittunt, dummodo magnetismo aut spiritismo adscribantur.

Conclusio.

965. Sed iam ad finem tractationis perventum est. Lucubrationem nostram in duas partes divisimus, ac prius de virtute religionis, deinde de oppositis vitiis disseruimus. Utraque pars in duas sectiones fuit distributa, in quarum prima generatim, in altera speciatim de subiecta materia disputavimus. Quæcumque scitu dignissima visa sunt de natura virtutis religionis in genere deque præceptis et actibus in specie, brevi sermone contraximus. Idem præstitimus quoad vitia opposita, de irreligiositate scilicet ac superstitione. Quandoquidem vero recens superstitio magnetismi animalis, somnambulismi et spiritismi accuratius studium postulabat, in hac præsertim sectione distinctis thesibus errores profligare et veritatem statuere pro viribus studuimus.

966. Ne quis vero nos exaggerationis incuset, perinde, quasi de huiusce novæ superstitionis phænómenis disserentes æstu quodam abrepti præter veritatem gressi fuerimus, ad probatos auctores fide dignos ultro revocamus, qui facta ipsa quaquaversus rimati sunt, ex quibus comperiet, nobis, ea potius extenuare quam ulla ratione augere, propositum esse.

967. Verum iam præstat ex hactenus circa magnetismum, somnambulismum ac spiritismum disceptatis nonnulla magni pro his temporibus momenti consectaria deducere atque recentem hanc superstitionem spectare in sua ad religionem atque ad Ecclesiam habitudine.

968. Extra omnis dubitationis aleam, inspecta totius orbis facie, constitutum est, conspirationem vigere, eamque operosam, acrem, pugnacem adversus Dei Ecclesiam, seu adversus Ecclesiam catholicam, quæ unice vera est. Hanc quippe Christus constituit, ut esset omnibus hominibus, pro quibus mortuus est, veritatis revelatæ organum, custos et interpres, atque ita porro tutum omnibus ad salutem iter pateret per eam, cui propterea dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Hæc Ecclesia iam a sæculis undeviginti perseverat militans adversus innumeras

Digitized by Google

prope hostium legiones, qui per omnes ætatum flexus, sub diversis quidem nominibus sed eiusdem plane indolis, ad eam oppugnandam insurrexerunt. Nam iugis hæc Ecclesiæ continuatio non aliud fuit, quam perpetua quædam lucta atque indefessa plane laborum perpessio, quam per præsentissimam Dei opem victrix semper eminuit. [1])

969. Atrox ac pertinax eiusmodi bellum, cuius princeps et antesignanus diabolus existit, per gradus veluti quosdam diversis epochis recruduit ac instauratum est: primo quidem a reprobatis Judæis atque paganis, deinde vero a multiplici hæreticorum progenie, qui sibi invicem successere viamque straverunt protestantismo, qui demum sæculo XVI. erupit clademque orbi attulit maximam. Per protestantismum enim, qui ad omnes hæreses, ac nominatim ad rationalismum, ad incredulitatem, ad atheismum viam reclusit idem diabolus, his armis instructus ad finem suum aptissimis, inchoatæ demolitionis opus persequi perrexit.

970. Etenim per protestantismum innumeræ prope sectæ longe lateque diffusæ sunt ad Christi regnum ubique gentium evertendum. Quoniam vero protestantismus per nativam indocilitatem animique elationem, qua nempe absolutam cuiusque capitis autonomiam constituit, cupiditatibus omnibus humanæ naturæ propriis blanditur, factum est, ut quotquot legitimæ auctoritatis pertæsi novitatibus inhiabant, ad castra sua magno numero attraxerit, communistarum ac socialistarum agmina sub eius vexillis se receperunt; exinde sectæ omnes, quas secretas nuncupant, eidem protestantismo suppetias ferre numquam destiterunt, et cum eodem conspirant ad revelatæ ac supernaturalis religionis eversionem. Exinde etiam ratio petitur, quare tenebricosæ eiusmodi sectæ ad protestantismum dilatandum ac fulciendum artibus omnibus ac mediis quibuscumque, pecunia, scriptis, auctoritate, qua in ditionibus plerisque pollent, conatus suos dirigant. Pro certo enim habent, christianismum eversum iri, si protestantismus aliquando rerum potiatur. Hinc nullis parcunt sumptibus, nullis laboribus, fraudibus nullis, quibus propositum sibi scopum attingant.

---

[1]) Cf. opus, quod non ita pridem edidimus, cui titulus: L'idea cristiana della chiesa avverata nel cattolicismo. Genova 1862., præcipue vero cap. XIX. XX. et XXI.

Digitized by Google

971. His nondum contentus hic Dei Ecclesiæque suæ vaferrimus ac perpetuus hostis, sectas excitavit pantheisticas ope præsertim protestantium pseudophilosophorum in Germania, ut hoc pallio atheismus sub nova forma propagaretur. Quo autem facilius isti errorum præcones imperitis fucum facerent, retentis catholicis formulis de trinitate, de incarnatione, de sacramentis, de martyrio, ceterisque impietatis suæ doctrinæ obsequendum curarunt. [1])

972. Nec satis; copias auxiliares diabolus apud catholicos ipsos accersivit, obtinuitque magno numero. Perditi nimirum homines, abiecta catholica fide per apertam vel occultam apostasiam se eidem socios atque cooperatores ultro adiecerunt, ut scelestum eius opus promoverent. Tales sese exhibuerunt quotquot Sansimonianismum, Fourierismum, Icarismum professi sunt, qui facta carnis a mortificatione spiritus subducentes, atque exinde mulierum communionem, matrimonii abolitionem, amandi libertatem, voluptatum omnigenarum consectationem commendant. Socios præterea se eidem adiecerunt athei aperti, qui theoretice ac practice, omni deposita larva, merum atheismum profitentur, tamquam medium unicum ad conscientiæ pacem consectandam, cuiusmodi est nupera solidariorum secta nuncupata, quæ sin minus in Belgio ortum habuit, saltem præcipuam sedem ibi constituit, nunc vero novos adipiscitur proselytos in Germania, in Austria, in Galliis et alibi. [2])

---

[1]) Qua de re aliud opus italico idiomate scripsimus: L'idea cristiana distrutta nel protestantesimo. Genova 1862.

[2]) Istius sectæ novissimæ membra se iureiurando obstringunt, non admissura se sacerdotes ad ortum, ad coniugium, ad obitum. Ad funera cuiusdam Caroli Van Peen solidarii, hæc pronunciavit Eugenius Steens: *Chaque fois que nous accomplissons ce triste devoir de rendre un dernier hommage à la mort héroique d'un des nôtres, et que nous rendons à la terre, notre mère commune, la dépouille d'un républicain, d'un libre penseur, d'un homme vrai, chaque fois alors de cette fosse où s'ensevelissent les souvenirs de tant de grandeurs, et de tant de misères, s'élève un cri de suprême insurrection, un cri de victoire, et de liberté, un cri de révolte intellectuelle contre Dieu, contre le ciel et la terre, contre l'iniquité, l'injustice et le règne de la force. ... Lui a su répudier le prêtre, mourir en homme libre et prouver enfin, que la paix de l'âme se puise dans la négation de Dieu. Salut Van Peen! Salut!* Ceteras blasphemias omitto. Vid.: La vérité 12. Juin 1864. pag. 327. seq.

Digitized by Google

973. Socios insuper se eidem adiecerunt agmina pseudopoliticorum, qui adeptionem bonorum temporalium, progressum in commercio, statuum dilatationem religioni atque æternæ animarum saluti præferentes, haud verentur, cum opus fuerit, proculcare iura omnia, pacta iurata pessumdare, promovere falsam religionem, atque eam, quæ unice vera est, omnibus modis vexare ac veluti quoddam impedimentum submovere, abiicere, extra terrarum orbem amandare. [1]) Horum præcipuum studium est: *Quæ falsa sunt vera ostendere, et quæ vera sunt falsa demonstrare,* ut iam ætate sua S. Gregorius M. eos graphice depinxerat. [2]) Eiusmodi homines cuncta, utut sanctissima, parvi, immo vero nihili faciunt, dummodo palmum vel pedem terræ occupent ac dominationem protendant.

974. His autem omnibus, nullo licet dolo malo, immo vero nihil mali suspicantes, auxilio sunt scriptores illi catholici, qui, novitatibus studentes plus quam par sit, turbant Ecclesiæ pacem, discordias et dissensiones serunt, et quadam pertinacia nescio quæ doctrinarum capita, etiam postquam ea ab Apostolica Sede improbata norint, adstruere pergunt.

975. Novissime vero in aciem prodivit magnetismus animalis cum suo somnambulismo ac spiritismo, quorum omnium, ut ostendimus, principalis auctor et agens dæmon ipse est, qui perfecturus iam bene cœptum opus hanc demum machinam admovit. Etsi ad substantiam quod attinet, uti non semel monuimus, nihil novi intulerit, cum per easdem artes dominatus iam fuerit orbi idololatrico nuncupato ac universum pæne humanum genus ad se traxerit, nunc nova forma inducta ac satis bene disposita et præparata materia, iterum christianos aggre-

---

[1]) Unus ex istis, scilicet Petrucelli della Gattina in comitiis Taurinensibus die 22. Julii 1863. verba hæc pronunciavit: *La Base granitica della futura politica d'Italia dev'essere la guerra contro il cattolicismo su tutta la superficie della terra .... Noi dobbiamo combattere la preponderanza cattolica nel mondo d'ogni maniera e per tutt'i mezzi possibili.* Miser homuncio! qui iam excidit e gradu suo! Vid.: Le monde 5. Févr. 1864.

[2]) Lib. X. Moralium cap. XVI. in cap. XII. Job. Huc spectant Encyclicæ datæ a Pio IX. die 8. Decemb. 1864. ad omnes patriarchas, primates et episcopos una cum Syllabo continente non minus quam LXXX. capita doctrinæ reprobatæ, quæ nunc maxime obtinet.

Digitized by Google

ditur atque seducere adnititur, ut eos, relicto Christo, ad sua castra atque ad suum vexillum perducat. Etenim appropinquasse videntur tempora ab apostolo prænunciata, cum *revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cuius adventus secundum operationem satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione impietatis iis qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*[1])

976. Atque ut sistamus in spiritismo, qui tertius gradus est magnetismi, quocum arcte connectitur, hic in dies magis prævalet tum in Germania, tum in Anglia, tum in Galliis præcipue ætate hac nostra. Sane Lutetiæ Parisiorum, Lugduni, Burdigalæ, aliisque principibus in urbibus societates spiritistarum institutæ sunt, quæ eo tendunt, ut novum cultum constabiliant fundatum in spirituum evocatione. Huiusce novi cultus sectatores proprium habent symbolum, suas cæremonias ac ritus, suas preces, quas ab iisdem spiritibus didicerunt; proprios habent sacerdotes, quos media seu mediatores vocant, quosque ipsimet spiritus sibi eligunt; habent loca conventuum, ad quæ se conferunt designata die ad interpellandos spiritus eorumque conciones audiendas.

977. Supervacaneum est adiicere, novam eiusmodi religionem, si absque blasphemiæ nota ita nuncupari potest, antichristianam esse. Est quippe pantheismus paganus in tota sua turpitudine cum nova terminologia, quæ in magnam partem sumpta est a terminologia Ecclesiæ propria. Hæc proinde doctrina non est nisi una ex formis incredulitatis hodiernæ. Tantum vero abest, quod a nonnullis inconsiderate dictum est cum primum mensarum rotantium phænomena apparuerunt, eam spiritualismo favere, ut potius eum funditus destruat: siquidem per facta materialia manifestatur mundus spirituum, quem vocant, ac totus hic apparatus eo dirigitur, ut fiat potens auxiliator ad statuendam confirmandamque pantheisticam sectam philosophiæ sæculi XIX. Quocirca spiritismus nobis sese offert ut novum periculum adiectum præcedentibus, quæ religioni imminent, atque ad eius extremam perniciem et cladem conspirant.

---

[1]) II. Thessal. II. 8—11.

Digitized by Google

Eiusmodi nova religio, quique exinde ortus hominum cætus manum præbebit omnibus societatibus secretis, quæ inter tenebras adnituntur Christum eiusque Ecclesiam e medio tollere.

978. Quamdiu spiritismus intra domesticos parietes aut aulæ alicuius angustos limites se continuit, periculum non adeo grave videri poterat, ast posteaquam e latebris in apertum eruperit, ingentem cladem populo et cuiusvis ordinis hominibus eum esse allaturum, nemo negaverit. Id patet primum ex doctrinis, quæ per eum disseminantur, quibus fit ut universa christiana religio pervertatur, Dei timor omnino excutiatur, animorum immortalitas prorsus negetur, discrimen omne inter virtutem et vitium penitus eliminetur, ac proinde, quod consequens est, tum familiæ, tum societatis fundamenta subruantur, hominesque cæco impetu ad cupiditates explendas alliciantur ac propellantur. Idipsum præterea patet ex libris, qui ingenti profusione in vulgus sparguntur ad stultos, quorum infinitus est numerus, decipiendos. Cuius rei iam specimen exhibuit pseudonymus Allan Kardec tot voluminibus a se accurate elucubratis ac in lucem editis; nec non academicæ institutiones præbuerunt, ad quas semel per hebdomadas singulas spiritistæ conveniunt, ut mensas scribere faciant, a quibus societatibus alternis mensibus scriptorum collectiones eduntur ad spirituum documenta vulganda.

979. Alia præterea distinguitur spiritistarum secta schismatica (siquidem et inter spiritistas sua schismata reperiuntur ac vigent), quæ dirigitur a quodam Priérard, quæ pariter semel in hebdomada cogitur. Hæc quin hæmatitam pedi vel pedibus mensæ suspendat ad habenda eius oracula, prout aliæ societates facere consueverunt, per istas accipit responsa. Celebrantur insuper vigiliæ vespertinæ hebdomadariæ puellarum Huet ac Bodière, quæ prodigia operantur. Demum bini scribæ seu amanuenses mystica eiusmodi documenta indesinenter litteris consignant; quidam Henricus Delange, amicus ac discipulus celebris Home, et Victorinus Sardou, qui etiam serio scribit sub spirituum dictatu, sagarum drama, cuius titulus est: Civitas cælestis. [1])

980. Talis est postrema spiritismi periodus. Quid de ipso, perinde ac de ceteris, quas enumeravimus, machinis satanæ

[1]) Vid.: Monde 23. Augusti 1864., ubi prolixe universa hæc narratio cum suis documentis reperitur.

Digitized by Google

ad destruendum Christi regnum et ad dominationem suam instaurandam ac dilatandam futurum sit, nobis plane incompertum est. Mirum porro nemini esse debet, si adeo satanas vel in ipso christianismo proficiat, et si eius fraude homines ad pristinam formam, quæ vigebat in paganismo, revocari videantur. Siquidem, quo magis homines a fide, moribus, doctrina, institutionibus abalienantur Christi Jesu, qui in mundum venit ut dissolvat opera diaboli, [1]) eo magis diabolus recuperat quod amiserat, suum antiquum imperium instaurat, ac denuo se in illo constituit. Lex generalis est, ut quibus quis a Deo recedit, iisdem plane gressibus ad satanam accedat. Verum et illud novimus, quod quotquot quacumque ratione et sub quovis prætextu ac velo concurrunt ad eiusmodi media fovenda, quæ satanas adscivit sive ad Ecclesiam oppugnandam sive ad stabiliendum imperium, totidem sint Christi hostes diabolique cooperatores.

981. Exinde sequitur, Christi hostes satanæque administros esse 1° quotquot bellum Ecclesiæ movent, atque adversus eius institutionem ac libertatem hostiliter se gerunt, qui eius actionem impediunt et influxum, ut fidelium sanctificationem impediant, quæ finis est proximus ministerii Ecclesiæ a Christo institutæ.

982. 2° Qui protestantismum fovent, adstruunt et propagare satagunt, exitiosum eiusdem proselytismum promovent, atque ad eum concurrunt, multo vero magis qui catholicos ad protestantismum suscipiendum perducunt.

983. 3° Qui sectis secretis nomen dant, quæ in id maxime conspirant, ut Ecclesiam catholicam demoliantur, sive tenebricosis involvantur conventiculis, sive in luce publica versentur, quocumque demum nomine se ipsas vocitent. Idipsum de iis censendum est, qui exitiales hasce sectas quoquomodo protuentur ac promovent.

984. 4° Qui pantheisticam philosophiam consectantur eamque propagare sive voce sive scriptis adnituntur, cum id sit atheismum propagare, ac veterem paganismum ex inferis evocatum inter homines constabilire.

985. 5° Qui communismum ac socialismum profitentur, quacumque demum forma indutum, utpote non modo cuiusvis

---

[1]) I. Jo. III. 8.

Digitized by Google

religionis inimici ac societatis eversores, verum etiam totius honestatis ac moralitatis destructores.

986. 6° Qui magnetismi animalis, somnambulismi magnetici atque spiritismi sunt sectatores, fautores ac promotores, utpote organa atque instrumenta immediata ac validissima ad eversionem christianæ seu catholicæ religionis ordinata, in quibus diabolus se potissimum manifestat ad opus suum maturandum.

987. Hi igitur omnes, quos vere vocaveris potestatem tenebrarum, cum habita ratione finis, quem sibi proponunt, unum quid cum satana moraliter constituant et ad eius consilium perficiendum coniurent, totidem eius satellites sunt et cooperatores fidelissimi, licet diversa ratione diversisque mediis rem conficiant. Nihil porro refert, sive privati homines hi sint, sive publicos magistratus exerceant, sive rerumpublicarum, regnorum ac imperiorum gubernacula tractent. Ex horum omnium actione simultanea his non paucis annis in idem collata, factum est, ut novam, si ita loqui fas est, faciem et physiognomiam publica societas induerit, catholicismo adversam eiusque proximum exitium minitantem. Dumque infideles et acatholici omnes sive hæretici sive schismatici propriam sectam summo studio omnique sollicitudine et adstruunt et tuentur et dilatare connituntur non modo in propriis regionibus sed et apud exteras gentes, soli catholici unice veram propriam religionem negligunt, pessumdant, omnique, qua possunt, ope vexant et persequuntur. Vix habentur comitia, in quibus aliqua non proponatur lex, qua aut Apostolicæ Sedis aut episcoporum iura ac libertas lædantur, aut sacerdotum atque religiosorum virorum ac sanctimonialium paci incolumitatique officiatur, sacra ministeria et cultus pessumdentur, atque Ecclesiæ hostibus auxilium præstetur. Loquor, ut patet, de iis, quæ in omnium conspectu sunt posita, nec ullo modo in dubium revocari possunt, cum facta pæne quotidiana ubique locorum luculentissima sint.

988. Quæ cum ita se habeant, ecquis conclamatum esse de catholicismo non diceret? Quis eum ad interitum suum magnis passibus properare non prænunciaret? Quod si contingeret, actum plane foret de præternaturali ac supernaturali ordine universo, portæ inferi in eo essent, ut prævalerent; satanæ regnum toto terrarum orbe vix non esset instauratum.

989. Verum nihil est, quod pertimescamus, immo nec quo commoveamur; Christi promissa deficere numquam possunt.

Digitized by Google

Superabitur satanas, cumque eo vincentur omnes ipsius adiutores et satellites, quos Christus Dominus oris sui gladio conficiet. Imperabit Jesus ventis ac mari, et fiet tranquillitas magna. Ecclesia catholica multo pulcrior atque illustrior exsurget. Cuius faustissimi exitus non promissiones modo falli nescias, verum et certissima pignora tenemus. In tanta enim coniurationum atque oppugnationum pertinacia Deus optimus maximus Ecclesiam suam tueri atque amplificare numquam destitit, suam illi præsentiam plurimis luculentisque signis commonstrare numquam intermisit. Huc certe pertinet perpetua illa iuventus, qua ipsa floret, huc mira illa fœcunditas, qua se præditam ostendit. Huc viri sanctitate insignes ac spiritu vere apostolico instructi, quos Deus e medio Ecclesiæ sinu deprœmere atque excitare non desinit. Huc episcoporum omnium constantia atque concordia, qualis fortasse numquam extitit, in sacerrimo illo pascendi ac docendi munere obeundo. Huc fidelium pietas ubique gentium præter omnem expectationem inter tot corruptionum illecebras seductionumque insidiàs iugiter perseverans. Huc demum Pontificum Romanorum præclara successio, qui tot tantisque malis catholico gregi ingruentibus adamantinum pectus constanter obiiciunt. Quæ profecto omnia et singula in omnium oculos incurrunt, neque ab ipsis Ecclesiæ hostibus negari possunt.

990. Certissima hæc pignora divinæ dilectionis erga Ecclesiam, quam Deus acquisivit sanguine suo, tot inter scandala, insectationes, angustias, in quibus versamur, catholicorum animum erigunt, recreant, suavissimaque voluptate perfundunt. Firmissimam enim nobis spem faciunt, fore ut Ecclesiæ fasti tot victoriis ac triumphis distingui pergant in posterum, quot sane inde a principio ac deinceps Ecclesia distincta est in mediis adversariorum suorum cladibus ac ruinis.

Digitized by Google

Alexander Ponza

Præpositus Provinciæ Romanæ Societatis Jesu.

Cum opus, cui titulus: **Prælectiones theologicæ de virtute religionis deque vitiis oppositis, nominatim vero de mesmerismi, somnambulismi ac spiritismi recentiori superstitione,** a P. Joanne Perrone nostræ Societatis sacerdote latina lingua conscriptum, aliquot eiusdem Societatis theologi recognoverint ac in lucem edi posse probaverint: potestate ab A. R. P. N. **Petro Beckx** Præposito Generali mihi ad id data, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has literas manu mea subscriptas et sigillo officii mei munitas dedi.

Romæ, 28. Julii 1865.

A. Ponza S. J.
Præp. Provincialis.

Imprimatur.

Quarto Kalendas Aug. 1865.

Fr. Hieron. Gigli,
S. P. A. Magister.

Digitized by Google

Errata.				Corrige.
Pag. 18	lin. 19		ab	ad
„ 22	No. 56	lin. 6	Massiliani	Massaliani
„ 32	„ 78	„ 26	*cooptare*	*coaptare*
„ 32	Nota 1	„ 5	Communio	Cammino
„ 36	No. 90	„ 3	illós	illas
„ 45	„ 119	lin. 8	adiciemus	adiiciemus
„ 57	Nota 1		Vallars	Villars
„ 58	No. 150	lin. 12	promovent	permovent
„ 59	„ 151	„ 8	*piscens*	*discens*
„ 64	„ 166	„ 7	notus	actus
„ 64	Nota 4	„ 1	*Serapionis*	*Serapidis*
„ 77	No. 203	„ 15	Amentarium	Armentarium
„ 97	lin. 4		*iuis*	*iuris*
„ 120	No. 317	lin. 16	niustus	iniustus
„ 149	Nota 2	„ 5	Opsisque	ipsisque
„ 153	No. 394	„ 4	innumera	innumeræ
„ 156	„ 400	„ 8	mesmerismi	magnetismi
„ 158	Nota 1	„ 10	Mutignon	Matignon
„ 158	„ 1	„ 11	Paillioux	Pailioux
„ 176	„ 4	„ 3	quod	quæ
„ 185	No. 461	„ 4	observantur	obversantur
„ 186	„ 465	„ 6	historia	historica
„ 187	„ 469	„ 2	omnino	omnia
„ 196	Nota 2	„ 8	exercere	exerere
„ 211	„ 2	„ 7	*immagini*	*immagina*
„ 225	„ 1	„ 6	hoc ipsum caput	hoc ipso in capite
„ 296	„ 1	„ 7	*ectasi*	*estasi*
„ 296	„ 1	„ 13	*aduniti*	*ad unirsi*
„ 308	„ 3	„ 1	Univeram	Universam
„ 309	„	„ 2	Bagozzoni	Ragazzoni
„ 318	„ 2	„ 9	Christianitis	Christianity

Reliqua emendabit eruditus lector.

Digitized by Google